THE BRITISH SCHOOL AT ROME

From the Library of
SYDNEY J. A. CHURCHILL, M.V.O.

Presented by his family, June 1924

Indice degli Opuscoli compresi in questo Volume

1°. Jablonski, De Memnone Graecor. et Aegyptior. huiusque statua, Syntagmata III. =

2° - Xaverii Matthaei, Per saturam exercitationes. Exercitatio 1ª De voce Tityrus 2ª De ficu Ruminali, Ara et Ara Maxima. -

3° Gjallingii, Ad Runographiam Scandinaviae accessiones novae -

4° Apollonii Rhodii, Argonauticon lib. II, latino carmine redditus. -

5° Coppolinii, Exercitationes miscellaneae.

PAVLI ERNESTI IABLONSKI,

DE

MEMNONE GRAECORVM, ET AEGYPTIORVM,

HVIVSQVE

CELEBERRIMA IN THEBAIDE STATVA

SYNTAGMATA III.

CVM FIGVRIS AENEIS.



Francoſurti ad Viadrum.

IMPENSIS IOANNIS CHRISTIANI KLEYB.

MDCCLIII.

ILLVSTRI ET CELEBERRIMO

VIRO

FRIDERICO OTTONI MENCKENIO,

PHILOS. ET IVRIS V. DOCTORI,

POTENTISSIMO SARMATARVM REGI ET PRINCIPI ELECTORI SAXONIAE, A CONSILIIS AVLICIS, VRBIS LIPSIENSIS SENATORI AMPLISSIMO, SOCIETATI SCIENTIARVM REGIAE BEROLINENSI ADSCRIPTO

FAVTORI DE SE OPTIME MERITO PACEM ET SALVTEM A DOMINO PRECATVR

PAVLVS ERNESTVS IABLONSKI.

Non ignoras, Vir Illuſtris, me anno ſuperiori, graviſſimas ob rationes, chartarum mearum, ad res veteris Aegypti Sacras et ciuiles ſpectantium, quas ab annis quadraginta et amplius, horis quibusdam ſubceſiuis, in vſum meum congeſſeram, iacturam ſponte et vltro feciſſe. TVA enim a multis annis cognita mihi beneuolentia et amicitia effecit, vt hoc omne, quicquid eſt, in ſinum TVVM effuderim. Vnicam tamen hancce, ex illo naufragio tabulam ſervaui, eo quod iuris mei non eſſet;

 verum

verum TIBI omnino deberetur. TIBI igitur eam offero, etenim TVA eſt, non mea. TV enim, vt operam hanc in me ſuſciperem, ante plures annos, neque ſemel, me hortatus es. TV vt ea commode, et vberiori cum fructu defungi poſſem, pretioſum, et rarum in noſtris hiſce oris, POCOCKII Opus, ſumtibus TVIS ex Anglia aduehi curaſti, eiusque vſuram, per temporis idonei et bene longi interuallum, perbeneuole mihi indulſiſti. TV denique, vt iſtud meum Schediasma, lucem nunc viderit, auctor, ſuaſor, et

Pro-

Promotor extitiſti. Taceo tot alia impenſi fauoris et affectus, quae in me extare voluiſti, documenta, etſi nulla vnquam aetas ea in pectore meo obliteratura ſit. Experientia namque magiſtra ſatis intellexi, commemorationem TVORVM beneficiorum, praeſertim publicam, haudquaquam auditu TIBI iucundam; ſed moleſtam potius eſſe, importunamque videri. Non poſſum tamen, quin etiam hic, pro illis omnibus, TIBI me vehementer obſtrictum eſſe profitear, gratiasque agam debitas ac maximas, quas alte animo meo infixas, re ipſa habere

non

non deſinam, donec ſpiritus meos artus reget. TE vero Vir Illuſtris, eruditae noſtrae Germaniae et Lipſiae TVAE, decus inſigne, Deus O. M. diu ſoſpitet ac conſeruet, vt Rempublicam literariam, quae inclyto nomini MENCKENIANO, a tam longo tempore tantum debet, ſicuti hactenus feciſti, ornare porro, nouisque ſemper et deſideratiſſimis TVIS muneribus locupletare poſſis. Dabam Francofurti ad Viadrum D. XVI. April. MDCCLIII.

PRAE-

PRAEFATIO
AD LECTOREM.

Non opus eſt, B. L. vt argumentum, cui in hoc Commentario illuſtrando operam dedi, multis et prolixe Tibi commendem. Quis enim eſt, ſtudiis hiſtoriae antiquae, omnisque humanitatis paulo diligentius imbutus, quem fugere poſſit, quam celebris, quantoque in pretio apud veteres fuerit Memnonis ſtatua Thebaea, Statua, quam Cambyſes, ferox Perſarum rex, ante annos bis mille circiter et trecentos, mutilari iuſſit, et quae ab illo tempore, ad noſtram vsque aetatem, in eodem fere ſtatu permanſit. Quod vbi cogitationibus voluo, riteque perpendo, non poſſum non ita iudicare, inter Statuas celebres omnes, quarum apud veteres aliqua mentio occurrit, quarumque ad hoc noſtrum aeuum aliquid ſuperſtes remanſit, non inueniri aliam, quae Coloſſi Memnonii aetatem attingat, nedum ſuperet. Eſt profecto et antiquiſſimum, et pretioſiſſimum artis veterum Aegyptiorum, aut potius veterum in vniuerſum, Monumentum. Magna certe iam ante Cambyſae tempora, extitit Coloſſi huius gloria, quod

teſtimonia Scriptorum fide dignorum, in Commentario noſtro adducta, ſatis euincunt, etſi ille gentibus exteris, nondum ita tum innotuiſſet. Verum enim vero, quot non, ab Auguſti Imperatoris aetate, et poſt auſpicatam Euangelii Sanctiſſimi per totum orbem annuntiationem ac propagationem, reperiuntur hiſtorici, omnisque generis Scriptores optimi, qui laudes ſaxeae huius effigiei celebrarunt, et quaſi certatim ad Poſteros transmiſerunt. Mirum itaque videri nemini debet, fuiſſe poſt inſtauratas in Europa noſtra feliciter literas ſemper, qui in polienda et illuſtranda hiſtoria Memnonis, eiusque celeberrimae Statuae, operam ponerent laudabilem et diligentem. Contulerunt ad eam ſymbolas ſuas, gallici Operum Philoſtrati interpretes et Commentatores, BLASIVS VIGENERIVS, et ARTVS THOMAS EMBRYACVS. Plura dedit vir antiquitatis graecae, ſi quisquam alius, peritiſſimus, GASPAR BACHETVS MEZIRIACVS, in doctiſſimis obſeruationibus ad Ouidii Heroides, gallico pariter idiomate vulgatis. At, vt alios iam taceam, reliquorum fere diligentiam in hoc argumento vicit vir ſummus, IOHANNES MARSHAMVS, in notiſſimo eruditis *Canone Chronico.* Video etiam, VRBANI GODOF. SIBERI, viri quondam clariſſimi Diſſertationem *de Statua Memnonis*, Snebergae A. 1699. editam, nonnunquam commemorari; ſed eam etſi ſtudioſe quaeſitam, videre hucusque non contigit. Harum tamen omnium, et ſi qui praeterea ſunt alii, diligens laudabilisque labor, me in eodem Stadio currentem, retinere non potuit, cum perſpicerem, quantum viri egregii, ſpicilegium aliis reliquerint, praeſertim poſtquam *Deſcriptio Aegypti*, veteris et hodiernae, praeſtantiſſimi POCOCKII lucem vidit, ex qua praecipuum argumento huic conciliari poteſt debetque decus et ornamentum. Si ingenio meo et inſtinctui obſecundaſſem, contentus fuiſſem ornandis Syntagmatibus duobus poſtremis, *de Memnone* ſcilicet *Aegyptio*, *eiusque celebrata valde*

Statua,

Statua, quae vberiorem lucem etiamnum deſiderare mihi ſemper viſae ſunt. At enim, cum Scriptores tantum non omnes, ſiue ſint antiqui, ſiue recentiores, Memnonem vtrumque, Graecum et Aegyptium, continuo inter ſe confundere ſoleant, cumque inſuper in fabulis Graecorum, quas de Memnone ſuo excogitarunt, multa inueniantur, quae ex traditionibus Sacerdotum Aegyptiorum de Statua Amenophis Thebaei deriuata fuiſſe arbitror, facile animaduerti, me res Memnonis Aegyptii accurate et perſpicue explicare haud quaquam poſſe, niſi Memnonem Aegyptiorum, ſiue Amenophin, a Memnone Graecorum ſollicite diſtinguerem, et res vtriusque, vti a veteribus referuntur, ſeorſim exponerem. Id igitur tria Syntagmata, quae Tibi nunc offeruntur, B. L. peperit, et exercendae Tuae, in legendo, ſi ita vis, patientiae, ampliorem ſubminiſtrauit materiam.

Quae Synt. III. cap. III. et IV. de Statua Memnonis Aegyptii, et miraculo vocis ab ea edi ſolitae ſcripſi, priusquam ad Typographum Lipſienſem mitterentur, communicanda eſſe duxi cum venerabili Academiae noſtrae Seniore, NICOLAO WESTERMANNO, quem multiplex excellentis doctrinae copia, a multis annis mihi valde carum, ac ſimilium et pene eorundem Studiorum iucunda cultura, peramicum et coniunctiſſimum reddidit. Nam quia in illis capitibus, plurimas ex POCOCKIO Inſcriptiones, graecas et latinas, nonnullas etiam verſibus conceptas, deſcripſeram, reſcire ex eo cupiebam, et quaenam eſſet de his ipſius ſententia, et numquid meas de iisdem coniecturas, calculo ſuo comprobaret. Reſcripſit illico nonnulla vir humaniſſimus, quorum etiam p 91. et 92. ſed tacito auctoris nomine, quod volebat, mentionem feci. Poſtea vero quam ſchedae meae ad Typographum transmiſſae iam dudum eſſent, Vir idem celeberrimus, in Programmate, quo ad audiendam Orationem ſolennem, more ſolito quot-

 annis

annis D. XVII. Februar. habendam, hoc anno Ciues Academiae noſtrae inuitauit, de vno et altero horum Epigrammatum, quaedam diſſeruit, quae hic omittere non licet. Et ibi quidem primo Epigramma illud latinum tangit, quod in Synt. III. p. 84. 85. legitur. De quo iſta obſeruat: "Praeter Ora-"tores etiam impoſtorum erat, hac ratione improuidis homi-"nibus fucum et nebulas vendere, vt vel ex Statua Memno-"nis apparet, cuius effigiem nuper Pocockius curioſiſſimus in-"ter Britannos nobis exſcriptam dedit, quaeque Lipſiae, vt "audio, recuditur, nec ſine doctiſſimo Commentario Iablons-"kii noſtri: cuius Latinas Inſcriptiones quaſdam, quum mihi "pro Studio quo me ornat, beneuole communicaſſet, vidi Sta-"tim in Inſcriptione Petronii, Praefecti Aegypti, vt idem ſci-"te emendat, in pentametro, qui ibidem pro clauſula additus "eſt, VOX AVDITA MIHI EST PERBENE MEMNONIA. "Nam *per* ibi obliteratum vetuſtate eſſe, ſiue adſcriptum eſſet "totidem literis, ſiue in literae B aliquo tractu, marmorarii ſolo "compendio deſignatum, ex conſpectu tabulae patebit, quod "ego per coniecturam tantum ſuſpicabar. Quum enim Petro-"nius ibi Memnonem loquentem induxiſſet, quaſi ad dormito-"res et ignauos, qui lectulum aegre relinquerent mane ſurgen-"te Aurora, quid ſibi eueniat, quotiescunque primam vel ſe-"cundam horam ortus ſui ſideris, nempe toto Oceano tum "plenum diem nitere, lectori ſuo perſuadere vult, ſibi hoc ex-"auditum eſſe non languido et fallenti ſono, ſed *perbene*: ex "quo concludimus, non eodem modo ab omnibus, ſed ab "aliis aliter et diſtinctius vocem Memnonis auditam, quae-"cunque fabrica doli vel magicae Theurgiae interuenerit ſacri-"ficulorum calliditate et artificio, vel in auribus hominum, "vel intra Statuae Structuram, quum piae fraudes paſſim in ta-"libus et licentiam ſibi ſumſerint et aliis fecerint. Quid vocis "autem iſtud eſſet, poſt id aetatis nunc detegere velle, teme-

ritatis

"ritatis foret. Pythagoras ac Socrates talia libenter ad "Daemones deferebant, quod prior etiam de tinnitu au-"rium ſanciebat, teſte Aeliano Var. hiſt. IV. 17." Mox vero vir ille doctiſſimus ad illuſtrandam aliam Inſcriptionem graecam, Iambicis verſibus conſtantem, pergit. Nam poſtquam de voce ὅσιος, cui vocem germanicam *Wiſe*, quae nunc *Weiſe* effertur, reſpondere cenſet, peracute diſſeruiſſet, haec continuo addit: "Et iſtud ὅσιον vel "ὁσίαν nunc libentius eligerem admitteremque pro eo "quod initio malueram ἄϊστον, in carmine graeco ΑΥΔΗϹ "ΤΟ ΠΡΟϹΘΕΝ Statuae Memnoniae, licet clariſſimus "interpres eiusdem ΑΙϹΙΟΝ praeoptaret prae τῷ ἄϊστον, et "veſtigia veteris ſcripturae ipſi potius quam mihi addice-"rent: quoniam niſi aliud nomen coniungatur cum τῷ "φθέγματα, interpoſitum καὶ frigide inſertum videri poteſt: "et Aegyptiorum vel Alexandrina pronuntiatio iſtius vo-"cis (ὅσιος) videtur mihi voci germanicae *Wiſe*, pro quo "hodie *Weiſe* dicimus, iam tum accommodaſſe aliquid in "vocalibus, quas metatheſi variaſſe dixi, licet parui mo-"menti videatur iſta diſſenſio. Ego autem libenter etiam "melodiam vocis ad conſultorum aures dimanaſſe credide-"rim, hoc eſt, non ſimplicem ſonum, ſed compoſitum, "vt melodia ſimul et mens oraculi dici poſſit, cuius in-"tellectum ſecum communicatum iactat auctor Inſcriptionis "a Natura δημιουργῷ τῶν ὅλων."

Vt autem B. L. haec tanto melius intelligat, paucis monendum eſſe duxi, in Epigrammate graeco, de quo diſſeritur, quodque in Commentario noſtro p. 91. edidimus, verſum quartum, a POCOCKIO, vti illum in Statua Memnonia legendo aſſequi potuit, hoc modo fuiſſe deſcriptum:

 AICOH

ΑΙCΟΗ ΙΝΑΡΑΤ*ω* ΝΟ*ω* ΚΑΙ ΡΘΕΓΓΜΑΤΑ

Quae ſic non incommode legi poſſe autumabam.

ΑΙCΙΟΝ . ΙΝΑ ΚΑΤΝΟΩ ΚΑΙ ΦΘΕΓΜΑΤΑ.

Ad hanc enim lectionem veſtigia Scripturae, in Statua hodie extantis, et in Apographo Pocockiano reperiundae, manu me veluti ducebant. Vir autem eruditiſſimus malebat initio legere ΑΙCΤΟΝ, et poſtea ΟCΙΟΝ, vel ΟCΙΑΝ, docte profecto et ingenioſe. Verum hanc in rem tota viri celeberrimi obſeruatio de vſu vocis ὅσιος, quam Programma lectu inprimis dignum complectitur, legenda et curate perpendenda erit. Recte vero idem obſeruauit, particulam καὶ in verſu illo frigide inſertam videri. Eodem modo ego quoque iudicaueram, ideoque alias verſum huncce legendi vias et rationes propoſueram. At vbi omnia ſeria tandem et vltima aeſtimatione expendenda mihi erant, atque cum veſtigiis ſcripturae veteris, vti eam POCOCKIVS conſeruauit, curate conferenda, in ea quam Commentarius exhibet, lectione, mihi acquieſcendum eſſe exiſtimaui. Iudicet ea de re doctus et cordatus lector pro lubitu. Id tantum addo, Epigrammata in Statua Memnonis legenda, mihi quidem videri non ſemper ſummos in re poëtica prodere artifices et magiſtros.

In Commentario meo * ſubinde mentionem inieci *La Crozianorum*, eorumque edendorum Lectori ſpem feci. Haec ſuperiori aeſtate ſcripſeram; verum ſuperuenere mox quaedam, quae me, vt conſilium hoc, aut plane abiicerem, aut in aliud ſaltem tempus differrem, non inuitum adegerunt. Quoniam vero omnia, quae a manu incomparabilis La Crozii profecta ſunt, nomenque eius praeferunt,

* v. g. p. 39. et p. 100 in notis.

runt, in magna apud eruditos ſunt exiſtimatione, deſideriumque non leue excitare ſolent, operae pretium me facturum ſperaui, ſi, quomodo *Miſcellanea* haec *La Croziana* comparata ſint, breuibus expoſuero. Non moris erat beato illi viro, de vno aliquo argumento, multa operoſe congerere, et in vnum compingere, ad eum nempe modum, quo eruditi noſtri ſaepe Collectanea ſua Miſcellanea conficere ſolent. Ego certe, quo per longam annorum triginta ſeriem, valde familiariter vſus eſt, nunquam in Muſeo eius, huius generis quidquam vidi: neque etiam poſt mortem eius, haeredes tale quid repererunt. Tantum memoriae ſuae, tenaci ſane confidebat. Vt tamen illam aliqua ſubleuaret, ex Scriptoribus, quos attentione ſingulari, a capite ad calcem perlegebat, ea quae in rem ſuam facere exiſtimabat, nullo alio, quam lectionis ordine ſeruato, prout ſe illi offerebant, paucis verbis notare conſueuerat, nonnunquam etiam de rebus obſeruatis iudicio ſuo adſcripto, quamuis rarius. Eiusdem generis ſunt *La Croziana*, quorum editionem pollicitus ſum. Continent Excerpta ex Scriptoribus plurimis, vetuſtis plerumque, aut medii aeui, *Herodoto*, *Diodoro*, *Pauſania*, *Plutarcho*, *Athanaſio*, *Euſebio*, *Theodoreto*, *Syneſio*, et ſimilibus aliis. Miſcellanea iſthaec plerumque parum copioſa, Vir quondam illuſtris, CAROLVS STEPHANVS IORDANVS, Bibliothecae La Crozianae totius et ex aſſe haeres, per ampliſſimum IO. LVDOVICVM VHLIVM, nunc Vniuerſitatis noſtrae ICTum multo celeberrimum, cuius opera, eruditis ſatis nota et perchara, in edendo *Theſauro Epiſtolico La Croziano*, aliisque eiusdem pretii Scriptis, vſus iam erat, ante annos decem, communicari mecum eo voluit, vt diſpicerem, num quem ad contexendam aliquam *La Crozianorum* farraginem vſum praeſtare poſſent. Volebat

insuper,

inſuper, vir ipſe illuſtris, ea quae La Crozius ad margines librorum Bibliothecae ſuae plurimorum, et nonnunquam ſatis largiter, alleuerat, cura ſollicita deſcribere, vt cum meis *La Crozianis* ſociata, iuſtum volumen conficere poſſent. At enim egregium huncce viri illuſtris conatum, non ſine magno Reipublicae literariae damno, languor primo corporis valde triſtis, ac deinde mors praematura, intercepit. Quod vero ad *La Croziana* curae meae credita attinet, cum ea oculo tantum fugitiuo perluſtraſſem, inque iis nil niſi excerpta breuia, ex Scriptoribus mihi non ignotis, ac praeterea obſeruationes quidem nonnullas; ſed pauciſſimis verbis, et non a quouis intelligendis, comprehenſas, offendiſſe mihi viderer, ad tempus ea ſepoſui. Credebam me Manibus viri optimi, cuius memoria mihi ſemper cara erit et venerabilis, iniuriam eſſe illaturum, ſi ea, quae in ſuos tantum priuatos vſus deſcripſerat, quorumque publicationem ipſe profecto, ſi viueret, indignaturus eſſet, ego tamen publici iuris facerem. Quod ſi ea quae animo voluebat illuſtris Iordanus perfecta fuiſſent, et meis *La Crozianis* decus pretiumque addidiſſent, Spartam mihi impoſitam pro virili ornare non detrectaſſem. At cum mors viri illius flebilis, conſilia haec penitus euertiſſet, iacuerunt ea, quae penes me erant, neglecta, et de iis plane amplius non cogitaui, praeſertim vbi breui poſt, alia poſt alia ſuperuenerunt negotia, quae omnem mentis meae aciem ſibi vindicarunt, et antecedentium memoriam e pectore pepulerunt. Et manſiſſent profecto *La Croziana* illa, perpetua quaſi obliuione obruta, niſi anno ſuperiori, rumor iam antea clanculum, neſcio per quos ſparſus, ad aures etiam meas perueniſſet, me ſchedas quasdam Beati LA CROZII in manibus habere, iisque in conſcribendo *Pantheo* meo vſum fuiſſe. Suſpicionem hanc, natam forte ex quibusdam

buſdam haud recte acceptis *Theſauri La Croziani* locis, omni prorſus deſtitutam eſſe fundamento, ſancte teſtor, et teſtaretur idem, ſi viueret, illuſtris Bibliothecae La Crozianae haeres. Praeter literas, quas ad me plusculas dedit optimus La Crozius, quarum vſuram aliis non inuidi, ſchedas aliquas, ad res Aegyptiacas ſpectantes, e manu ipſius nunquam accepi. Quoties igitur in ſcriptis meis editis, obſeruationum a doctiſſimo hoc viro mecum communicatarum memini, facio autem id perſaepe, aut clare ſignifico, aut non obſcure ſubinnuo, me eas vel ex literis ad me datis hauſiſſe, vel ex ore ipſius olim coram percepiſſe. Poteram, ſi res tanti eſſet, rationibus aliis, et bene multis, oſtendere, ſuſpicioni huic ſolidi plane nihil ſubeſſe. Etenim Scripta viri huius omni laude maioris, quae edita ſunt, abunde teſtantur, notiones eius de Theologia Aegyptiorum, a meis vehementer differre. Sed ea quae dixi, omnium maxime et prorſus inuicte demonſtrant *La Croziana*, quae apud me diu latitarunt non lecta, quae ſi iam dudum lucem adſpexiſſent, ſuſpicioni de me et conatibus meis iniquiori, locum relinquerent plane nullum. Nam cum occaſione illius, quem commemoraui, rumoris, *La Crozianorum* meorum recordatus eſſem, eaque maiori cum attentione, quam antea, relegiſſem, plura quidem ad literaturam Aegyptiacam ſpectantia illic obſeruaui, quibus etiam, dum conſcriberem *Pantheon*, vti potuiſſem, et luce non omnino indigna; ſed et illud non potui non animaduertere, virum praeſtantiſſimum, et ad ornandas literas natum, cum rebus aliis, et ſine dubio melioribus, intentus eſſet, ad eruendam et ſtudio exquiſito illuſtrandam Theologiam Aegyptiorum, animum nunquam appellere, aut voluiſſe, aut potuiſſe. Multa ibi occurrunt nomina Deorum veteris Aegypti, ex *Herodoto, Diodoro, Plutarcho*, Scripto-

ribusque huius generis aliis decerpta, quae plane non explicantur. Et conceptis verbis nonnunquam profitetur vir egregius, ſibi de hoc vel illo nomine nihil conſtare. Alia nomina re ipſa hinc inde interpretatur, *Athor* videlicet, *Cnuphis*, *Oſiris*, *Amun*, *Horus*, *Serapis*, *Iſis*, *Sothis*, *Apis*, *Nephthys*, *Aſo*, et ſimilia; ſed interpretationes illae videntur extemporales, ad ſolum vocum Aegyptiacarum, vti a Graecis referuntur, ſonum conformatae, et quae, me quidem iudice, rei minime ſatisfaciunt. Si vir ingenii rari et vere excellentis, ac tanto inſuper ſolidae eruditionis apparatu inſtructus, argumentum hoc debita mentis contentione, et pro virili ornare in ſe ſuſcepiſſet, nullus dubito, eum conatus hac in re, non meos tantum; ſed et aliorum omnium, longo interuallo poſt ſe relicturum fuiſſe. Aſt ille, ſpreto hoc labore, ſane quam moleſto, alia omnino mente ſua voluebat ac moliebatur. Id editio *La Crozianorum*, olim fidei meae concredita, palam feciſſet omnibus, ideoque anno ſuperiori, quod et in Commentario meo ſignificaui, operi huic manum admouiſſem, niſi noua, quae interuenerunt, impedimenta, cogitationes has interturbaſſent. Id igitur me commouit, vt *Miſcellanea* haec *La Croziana* Ampliſſimo et amiciſſimo Vhlio, ea fide, qua mihi quondam illa tradiderat, nunc redderem, ipſumque rogarem, vt eorum edendorum, et ornandorum, ſi qua ſe offerret commoda occaſio, curam in ſe ſuſcipere vellet, quod nec, qua eſt humanitate, mihi denegauit.

Quandoquidem folia typis deſcripta, antequam editio tota abſoluta eſſet, huc ad me Lipſia transmiſſa fuere, egoque illa relegi, quaedam offendi feſtinanter nimis in chartam a me coniecta, de quibus Lectorem monendum eſſe duxi, vt ea corrigere queat.

P. 17.

P. 17. not. ** in verbis SERVII, recte legitur *ad Troiae miſit auxilium.* Emendatio, quam aliud omnino agens, Lectori illic obtuli, textum non corrigit; ſed inquinat.

P. 19. lin. 17. pro *cum Antilocho* ſcribendum erat *cum Memnone*, quod nexus rerum per ſe docet.

P. 53. lin. 7. Scripſi *Hecataeo Mileſio*, vti et p. 102. et 108. quibus omnibus in locis, non *Mileſium;* ſed *Abderitam*, iuniorem, in animo habebam.

P. 103. fin. *cubitum* cum *pede* perperam confudi. Nam cum DIODORVS pedem Statuae Memnoniae *ſeptem cubitos* vel *vlnas* excedere ſcribat; POCOCKIVS vero eidem *nouem decemque pedes noſtros* tribuat, dixi menſuram hanc, priorem illam DIODORI ſuperare, quod excidere mihi potuiſſe, valde miror. Contrarium namque verum eſſe, nunc ſponte et libenter agnoſco. Sed ſi rem ipſam ſpectes, ea quae ibidem ſequuntur pro me militant. Sunt autem haec. *Si conſideres, non per omnia inter ſe conuenire, veterum noſtrorumque recentiorum modulos menſurarum, abſurdum non fuerit dicere, menſuram Diodori a Pocockiana non ita longe diſcedere.* Id enim verum puto.

P. 111. attuli ex Statua Memnonia Inſcriptionem graecam ΘΕΙΟΤΑΤΟΥ, &c. de qua id monere oblitus eram, verba a me allata, conſtituere hexametrum, etſi quae illic praecedunt, mirifice tamen inquinata, metrum non redoleant.

Dum illa folia diligenter relegi, quosdam etiam Operarum errores animaduerti, quos inter eos, qui lectori negotium faceſſere, aut ſenſum turbare poſſent, hic annotandos eſſe duxi.

Pag. 2. lin. penult. pro CATVLLVS lege Q. CATVLVS.
P. 10. l. 17. pro *quidam* lege *quidem.*
P. 16. l. 9. *quam bene* lege *quod bene.*
P. 33. not. * ad verba, *Vide Ioſephum L. I.* Adde *aduerſus Apion.*
P. 49 lin. 24. Ad verba, *de longaeuitate Macrobiorum* adde *aperte aduerſantur.*
P. 50. lin. 19. pro *non ego* lege *non nego.*
P. 82. lin. 6. a fin. ad verba *aut clare affirmaut*, adde *aut ſubinnuere videntur.*
P. 91. lin. 4. a fin. in verſione Epigrammatis graeci v. 2. pro *familiariter*, lege *familiares.*
P. 100. lin. 16. pro *illiusque* lege *illique.*
P. 105. init. pro *Syenite* lege *Syenitae* in caſu ſecundo.
P. 106. lin. 10. pro *Nam non*, quod ſenſum magnopere turbat, lege *Num non.*
P. 109. lin. 3. pro *fuerint* lege *fuerintne.*
P. 114. lin. 21. pro *habere* lege *haberi.*

Atque haec ſunt, que Te B. L. antequam ad lectionem Syntagmatum meorum Te accingeres, ſcire volebem. Tu vero vale, et conatibus meis faue. Dabam Francofurti ad Viadrum D. XVI. Aprilis MDCCLIII.

CON-

CONSPECTVS
Argumentorum et Capitum.

SYNTAGMA I.
De Memnone Graecorum.

CAP. I. De Memnonis Graeci genere.
CAP. II. De Memnonis Graeci patria et forma.
CAP. III. De Memnonis Graeci aetate rebusque geſtis, ac morte.
CAP. IV. De Memnonis Graeci ſepultura, honoribusque, quos poſt mortem conſecutus eſt.

SYNTAGMA II.
De Memnone Aegyptio, ſiue Amenophi.

CAP. I. De nomine Memnonis Aegyptii, Amenophi.
CAP. II. De loco vbi regnauit Amenophis, deque eius aetate.
CAP. III. De vita Amenophis Aegyptii, deque rebus ab eo geſtis.

SYN-

SYNTAGMA III.

De Statua celeberrima Memnonis Aegyptii, ſiue Amenophis, et Oſymandyae.

CAP. I. De magna, in qua Statua haec apud veteres fuit, exiſtimatione.

CAP. II. De loco, vbi Statua Amenophis, vel Oſymandyae ſpectanda fuit.

CAP. III. De Statua Amenophis ſive Oſymandyae, eiusque materia, forma, et magnitudine.

CAP. IV. De voce mirabili, a Statua Amenophis quotidie edita.

CAP. V. De nomine Oſymandyae, quo Statua Memnonia ab Aegyptiis olim deſignari conſueuit.

CAP. VI. De Amenophis, ſiue Oſymandyae diuinitate.

SYNTAGMA I.

De
Memnone Graecorum.

CAPVT I.
De Memnonis Graeci genere.

Graeci Memnonem fingunt filium Aurorae. §. 1. Fabulae huius ſenſus arcanus inueſtigatur. §. 2. Memnon a Graecis perhibetur etiam filius Diei. §. 3. Pater ei a Graecis aſſignatur Tithonus Aurorae maritus. §. 4. Paucorum quorundam a prioribus diſſenſus. §. 5.

§. 1.

Memnoni ſuo, heroi temporis fabuloſi, originem fabuloſam aſſignant Graeci. Fabulantur enim, Auroram, cui et corpus et ingenium foeminae affingunt, eum partu in lucem edidiſſe. Ita ipſum HOMERVM, Poëtarum omnium patrem et principem ceciniſſe videmus, Odyſſ. Δ. v. 187. *Graeci Memnonem fingunt Aurorae filium.*

Μνήσατο γὰρ κατὰ θυμὸν ἀμύμονος Ἀντιλόχοιο
Τὸν ῥ' Ἠῦς ἔκτεινε Φαεινῆς ἀγλαὸς Υἱός.

Recordabatur etiam animo ſuo, eximii Antilochi,
Quem ſcilicet Aurorae interfecit ſplendidus filius.

Quibus verbis deſignari Memnonem, Aurorae quippe filium, et res ipſa loquitur, et veteres quoque Homeri interpretes qui extant, obſervare non neglexere. HOMERVM ſequuntur Poëtae graeci reliqui, quos inter PINDARVS *Olymp.* II. Memnonem vocat Ἀοῦς παῖδα, *Aurorae filium*, et *Nem.* Od. VI. verbis HOMERI vſus, Φαεννᾶς υἱὸν Ἀοῦς, *ſplendidum Aurorae natum.* Iungo his DIONYSIVM *Periegeten*, cuius in *Deſcriptione Orbis*, hi ſunt verſus, v. 248.

> Ἠ μὲν ὅσοι Θήβην ἐρικυδέα ναιετάουσι
> Θήβην ὠγυγίην, ἑκατόμπυλον, ἔνθα γεγωνὼς
> Μέμνων ἀντέλλουσαν ἑὴν ἀσπάζεται Ἠῶ.
> *Et qui Thebas percelebres inhabitant,*
> *Thebas priſcas, centum portas habentes; vbi reſonans*
> *Memnon exorientem ſuam ſalutat Auroram.*

Quibus Memnon ignotus penitus non eſt, facile intelligunt, reſpici verſibus his ad celebratam tot veterum ſermonibus Statuam Memnonis in Thebaide Aegypti, quae exoriente Sole vocem emiſiſſe, eaque matrem ſuam Auroram, ſalutaſſe perhibetur. Audiamus et Poëtas latinos, qui poſt Graecos, acceptam ab iis fabulam, continuo recoquunt. MANILIVS itaque Memnonem noſtrum *Aſtron.* Lib. I. v. 764. nuncupat

> *Auroraeque nigrum partum* ——

Sic et VIRGILIVS Aen. Lib. I. v. 755.

> *Nunc quibus Aurorae veniſſet filius armis,*

Et OVIDIVS *Metam.* Lib. XIII. v. 576.

> *Non vacat Aurorae, quanquam isdem fauerat armis,*
> *Cladibus et caſu Troiaeque Hecubaeque moueri.*
> *Cura Deam propior, luctusque domeſticus angit*
> *Memnonis amiſſi.* ——

Fabulae huius ſenſus arcanus inueſtigatur.

§. 2. Quis vero cordis eſt vsque adeo plumbei, quin confeſtim perſpiciat, fabulae huic Poëtarum allegoricae, ſenſum ſubeſſe arcanum, qui tamen haud ita difficulter inueſtigari et in lucem protrahi poterit? Fuerunt, qui hariolarentur, Poëtas fabula hac aenigmatica, eximiam Memnonis pulchritudinem ſubinnuere voluiſſe. Aurora enim nihil pulchrius, aut quod oculis plus abblandiatur, placereue poſſit. Vnde CATVLLVS egregiam Roſcii ſui formam commendaturus, hac vti comparatione voluit.

* Con-

* *Conſtiteram, exorientem auroram forte ſalutans:*
Cum ſubito a laeua Roſcius exoritur.
Pace mihi liceat coeleſtes dicere veſtra:
Mortalis viſus pulchrior eſſe Deo.

Ex eo nempe Poëta Roſcium laudat, quod illius forma viſa ſibi ſit, ſplendorem ſpeciemque ipſius Aurorae ſuperaſſe. Sed de hac comparatione plura dicemus cap. II. Alii fictionem iſtam Poëtarum hunc in modum explicare malunt **, *Tithonum* Memnonis patrem, de quo mox, *in Aſia Orientem verſus militantem, ad Aethiopiam vſque proceſſiſſe, indeque fabulam de Memnone ex Aurora ſuſcepto*, originem traxiſſe. Graecis enim Ἠώς, id eſt *Aurora*, dicitur etiam *plaga* mundi *orientalis*, quemadmodum et Latinis *Aurora*, vti in his OVIDII *Metam.* Lib. I. v. 61.

Eurus ad Auroram Nabataeaque regna receſſit:
Perſidaque et radiis iuga ſubdita matutinis.

Mihi improbabile non videtur, HOMERVM, fabulae huius, quantum nouimus, auctorem, eam e Sacerdotum Aegyptiorum lingua ſymbolica mutuo ſumſiſſe. *Amenophis* Aegyptius, quem HOMERVS cum Graecis omnibus, *Memnonem* vocat, ſiue Statua eius celeberrima, prope Thebas in Aegypto ſuperiori erecta, cum ortu cuiusuis diei, prima videlicet eius hora, ſonum emittere, eoque Auroram quodammodo ſalutare ſolebat, quod in Synt. III. cap. IV. multorum teſtimoniis confirmabimus. Eam ob cauſam Sacerdotes Aegyptii, Statuam hanc, aut Memnonem, ſiue *Amenophin*, quem ea repraeſentabat, filium *Aurorae*, vel quod hic idem eſt, *Diei*, dixiſſe videntur. Nam ſimulatque dies illuxiſſet, vox Memnonis, tanquam diei ortum cum gaudio excipientis, audiebatur.

§. 3. Et hic quidem obſeruaſſe ſuperuacaneum non erit, matrem Memnonis, quam plerique *Auroram* dicunt, a multis etiam Ἡμέραν, vel *Diem* nuncupari. Sequitur hos vetus doctusque *Pindari Scholiaſtes*, ad *Olymp.* II. p. 26. cuius haec ſunt verba ***. Μέμνων *Memnon a Graecis perhibetur etiam filius Diei.*

A 2 ὁ Τι-

* Apud CICERONEM *de Nat. Deor.* Lib. I. c. 28.
** DIODORVS *Siculus* Lib. IV. p. 276. Edit. Wechel.
*** Paria habent *Scholiaſtes* idem in Pindari *Nem.* Od. VI. p. 382. *Scholiaſtes* vetus *Homeri*, in Odyſſ. Δ. v. 188. et EVSTATHIVS in eiusdem Iliad. Α. p. 128.

ὁ Τιθωνȣ̃ τȣ̃ Λαομέδοντος, καὶ Ἡμέρας· Ταῦτα δὲ λέγȣσιν οἱ τὰ μεθ᾽ Ὅμηρον γράψαντες ȣ̃τω. Τιθωνῷ γίνονται ἐξ ἡμέρας παῖδες δύο, Μέμνων καὶ Ἠμαθίων. *Memnon patrem habuit Tithonum, Laomedontis filium, qui eum genuit ex Die. Haec vero, qui poſt Homerum ſcripſere, ita perhibent. Tithono ex Die duo nati ſunt filii, Memnon et Emathion.* EVSTATHIVS in Homeri Odyſſ. Λ. p. 1697. haec notat. Δοκεῖ ὁ Μέμνων διὰ τὸ κάλλος Ἡμέρας ὑὸς εἶναι. *Videtur Memnon Diei filius dici, ob inſignem formae pulchritudinem.* Et ISACIVS TZETZA, in Lycophronem v. 18. ſcribit. Τὸν Τιθωνὸν σύνευνον ἔχεν ἡ Ἡμέρα, ἐξ ȣ̃ γεννᾷ Μέμνονα καὶ Ἠμαθίωνα. *Tithonum tori ſocium ſibi adiunxit Dies, ex eoque peperit Memnonem et Emathionem.* Eodem ſpectat, quod DICTYS *Cretenſis, de bello Troiano* Lib. VI. c. 10. memoriae prodiderit, *Himeram Sororem Memnonis, nonnullos materno nomine Hemeram appellare.* Et mox, paucis interpoſitis, de eadem refert, *quod poſt occaſum Solis, cum matre Hemera, e conſpectu hominum exceſſerit.* Ex his igitur, aliisque ſimilibus teſtimoniis, quae libenter omittimus, ſatis apparet, in hac hiſtoria, *Auroram* et *Diem* rem vnam eandemque ſignificare, quod et obſeruatum videmus ab * EVSTATHIO. Poterit id, niſi fallor, ex ſermone Aegyptiorum vetuſto, illuſtrari. Illo namque *dies* dicitur ⲉ̀ϩⲟⲟⲩ *Eho-u*, ex quo Graecorum Ἠώς, *auroram* communiter, nonnunquam vero *diem* ſignificans, fluxiſſe videtur. Qui vero Memnonis matrem *Diem* potius, quam *Auroram* appellant, ad Theologiam vetuſtam Aegyptiorum, in primis vero incolarum Thebaidis, ac Aethiopum inſuper, quibus imperaſſe dicitur Memnon, propius accedere mihi videntur. In antiquiſſima certe Inſcriptione Aegyptiaca, quam ** loco alio, ex THEONE attulimus, inter octo Numina Aegyptiorum primaria, locus quoque eſt *Diei.* Aliam, vetuſtam quoque, Inſcriptionem DIODORVS commemorat, p. 24. in qua Oſiris dicitur συγγενὴς Ἡμέρας, *cognatus Diei.* Idemque *** ex *Orphicorum* et *Pythagoraeorum* placitis, quorum non eſſe originem aliam, quam Aegyptiacam, inter omnes conſtat, egregie illuſtrari poteſt. Suboluiſſe hoc videtur EVSTATHIO, qui ad Dionyſium Periegeten v. 243. haec obſeruat. Διὰ τȣ̃το τοίνυν ἠῶ σωματικώτερον

τὴν

* In Homeri Odyſſ. B. p. 1430. et E. p. 1527.

** In *Pantheo Agypt.* Lib. I. cap. I. §. 12.

*** Vide ibidem.

τὴν τȣ̃ Μέμνονος νοȣ̃σι μητέρα, τὴν ἡμέραν, τὴν θεὰν, τὴν πρὸς τοῖς Αἰθίοψιν, — ἧς ἡμέρας ἐν ταῖς νοτίαις Θήβαις ἀνέστηκεν ἄγαλμα. Eam ob cauſam igitur cenſent, Poëtam hic loqui de Aurora, tanquam foemina, intelligique matrem Memnonis, quam Diem vocant, honoribus diuinis ab Aethiopibus cultam. Diei huius Statua apud Thebas in auſtrali Aegypti parte poſita erat. Eaque Statua, cuius videntur meminiſſe plures, forte etiamnum ſupereſt, vti dicemus Synt. III. cap. IV. §. 2. Aethiopes porro, quibus Memnon imperaſſe fertur, ſacra feciſſe Ἡμέρᾳ, *Diei*, etiam * LVCIANVS memoriae prodidit.

Memnoni pater a Graecis aſſignatur Tithonus, Aurorae maritus.

§. 4. De Memnonis matre, *Aurora* videlicet, ſiue *Die*, quid tradiderint Graecorum Poëtae, vidimus. Patrem eius, eundemque Aurorae maritum, perhibent fuiſſe Tithonum, Laomedontis, Troianorum regis filium, Priamique fratrem. Tithoni huius genealogiam talem veteres referunt. ** *In Troade primus regnauit Teucer. Huius filiam Bateam matrimonio ſibi iunxit Dardanus, qui ſuccedens in regno, ſubditos a ſe Dardanos vocari iuſſit. Natus ab hoc Erichthonius: et ab hoc Tros, Troiani nominis auctor. Natus huic Ilus, nobiliſſimam extruxit vrbem, cui Ilii nomen a ſe impoſuit. Huius Laomedon fuit filius, qui Tithonum et Priamum generauit. Tithonus in Aſia Orientem verſus militans, ad Aethiopiam vsque proceſſit, vnde fabula de Memnone ex Aurora ſuſcepto.* Addamus et haec ex ISACIO TZETZA, in Lycophronem v. 16. Ὁ Τιθωνὸς ἀδελφὸς ἦν Πριάμȣ ἀμφιμήτριος. Ὁ γὰρ Πρίαμος ἦν Λευκίππης, ὁ δὲ Τιθωνὸς ἦν Στρυμȣ̃ς ἢ Ῥοιȣ̃ς, τῆς Σκαμάνδρȣ θυγατρὸς υἱός. Ἀμφότεροι δὲ πατρὸς Λαομέδοντος. Φασὶ γȣ̃ν, ὅτι τὸν Τιθωνὸν τȣ̃τον σύνευνον ἔσχεν ἡ Ἡμέρα, ἐξ ȣ̃ γεννᾷ Μέμνονα καὶ Ἠμαθιῶνα. *Tithonus frater erat Priami, ſed ex alia matre. Priami mater fuerat Leucippe; Tithoni vero Strymo, ſiue Rhoeo, Scamandri filia. Vterque vero Patre Laomedonte natus erat. Aiunt autem, Diem Deam, Tithonum adſciviſſe in tori ſocietatem, exque eo peperiſſe Memnonem et Emathionem.* In fabulis Poëtarum porro perhibebatur, Auroram vel Diem, Tithoni amore captam, eum ex Palatio regum Troianorum furto abſtuliſſe, et in cubile ſuum transtuliſſe. Fabulam hanc, multorum oratione celebratam, paucis hunc in modum narrat APOLLODORVS in *Biblioth.*

A 3 Lib.

* In *Ione Tragoedo*, Opp. To. II. p. 223. Edit. Salmur.
** DIODORVS *Siculus* Lib. IV. p. 275. 276.

Lib. III. c. XI. *Porro Tithonum, quod cum arderet, Aurora prae-ceptum in Aethiopiam abducit, ibique cum eo congreſſa, Emathionem ac Memnonem gignit.* Prolixius vero rem ita exponit antiquus *Homeri Scholiaſtes*, ad Iliad. Λ. v. 1. Μυθεύεται, ὅτι Τιθωνὸν τὸν Λαομέδοντος, εὐπρεπέστατον τῶν καθ᾽ ἑαυτὸν, ἐν Ἰλίῳ γενόμενον, ἐρασθεῖσα, ἀνήρπασεν ἡ Ἡμέρα, καὶ τῆς τούτου, μετέλαβε κοίτης. Αἰτησαμένῳ δὲ αὐτῷ παρέσχεν ἀθανασίαν. Ὁ δὲ γέρων γενόμενος, διὰ γὰρ ἄγνοιαν οὐκ ἠτήσατο ἀθανασίαν σὺν ἀγηρασίᾳ, ἀχθόμενος, ὡς τῶν ἐν βίῳ μεταλαμβάνειν οὐ δυνάμενος, ἐκάλεσε τὴν θεὸν, ὅπως αὐτὸν τοῦ ζῆν ἀπαλλάξῃ. Ἡ δὲ (οὐ γὰρ ἦν δυνατὸν ἀποθανεῖν) αὐτὸν μετέβαλεν εἰς τέττιγα, τὸν μουσικώτατον τῶν πτηνῶν, ὅπως καὶ διὰ φωνῆς αὐτοῦ τέρπηται. Γίγνεται δὲ ἐξ αὐτῶν παῖς Μέμνων, ὁ Αἰθιόπων βασιλεύς. *Fingunt, Tithonum Laomedontis filium, praeſtanti corporis ſpecie, omnibus Ilii incolis, illa aetate ſuperiorem, a Die Dea adamatum fuiſſe, quae et eum rapuit, vt connubio eius frui poſſet. Mota etiam precibus eius, immortalitatem ipſi conceſſit. Cum vero ſenectute confectus eſſet, nam ex ignorantia, vna cum immortalitate iuuentutem perpetuam ſibi expetere neglexerat, et vita tam longaeua excruciaretur, quippe qui rebus, quae vitam reddunt iucundam, frui iam amplius non poſſet, vocata Dea, ab ea petiit, vt vitae ſuae finem imponeret. Illa vero, cum donato immortalitate, mori haud quaquam liceret, ipſum mutauit in cicadam, quae inter aues omnes muſicam callere optime videtur, vt ſaltem voce eius delectaretur. Ex his parentibus prognatus eſt Memnon, Aethiopum rex.* De iſthac fabula, quae ex graecis latinisque Poëtis, nota ſatis omnibus eſt, plura non addo. Eam vero HOMERVS, aut non nouit, aut non attigit. *Auroram* quidem cecinit Memnonis matrem, §. 1. Et *Tithoni* quoque, mariti *Aurorae*, * ſemel iterumque mentionem facit. Verum Memnoni patrem *Tithonum* nuspiam aſſignat. Et adduximus §. 3. *Scholiaſten Pindari*, obſeruantem, haec finxiſſe Poëtas Homero poſteriores. Per eos vero praecipue innuere videtur HESIODVM, apud quem prima fabulae huius mentio deprehenditur. Is enim in *Theogonia* v. 984. ita cecinit

Τιθωνῷ δ᾽ Ἠὼς τέκε Μέμνονα χαλκοκορυστὴν
Αἰθιόπων βασιλῆα, καὶ Ἠμαθίωνα ἄνακτα.

Tithono vero Aurora peperit Memnonem aerea galea munitum,
Aethiopum regem, et Emathionem regem.

Et

* Iliad. Λ. init. et Odyſſ. E. init.

Et hunc ſequuntur reliqui, qui *Memnoni* patrem tribuunt *Tithonum*, fratremque *Emathionem*, quorum nonnulla loca, §. hoc, et 3. adduximus. Filiis his Tithoni, Memnoni et Emathioni, DICTYS *Cretenſis* Sororem addit *Himeram*, vel *Hemeram*. Vide §. 3. Sunt, qui huic * aliam inſuper adiungant, *Antyllam*, a qua vrbs quaedam, non longe ab Alexandria remota, in Nilo, nomen acceperit.

§. 5. Haec ſunt, in quibus Poëtae veteres tantum non omnes conſentiunt, quoties res Memnonis graeci attingunt, genusque eius enarrant. Sunt tamen, qui neſcio quos ſecuti, Memnonem Ioue patre ſatum eſſe affirmauerint. Eos inter eſt vetus *Ariſtophanis interpres* graecus, qui in Nubes p. 163. Edit. Geneu. literis iſta prodidit. Μέμνων καὶ Σαρπηδὼν, ὑοὶ ὄντες Διὸς, ἀποθανόντες ἐν Τροίᾳ, οὕτω παρὰ θεοῖς ἐτιμήθησαν, πατρὸς νομοθετήσαντος, ὡς τὴν ἡμέραν καθ' ἣν ἀπέθανον, ἐν πένθει καὶ νηστείᾳ θεοὺς διάγειν κατ' ἔτος. *Memnon et Sarpedon, Iouis vterque filius, cum ad Troiam occubuiſſent, iuſſu patris ipſorum, tantos a Diis conſecuti ſunt honores, vt diem, quo heroes illi fato functi ſunt, luctu quotannis et ieiunio celebrarent.* Id forte ſubinnuebat ** antiqua pictura, in Templo Apollinis Delphici viſenda, quae Memnonem et Sarpedonem repraeſentabat, tanquam amicos coniunctiſſimos, indiuulſosque comites. Sicuti vero quidam patri Memnonis humano, ſubſtituunt diuinum, ipſum Iouem, ita vice verſa, pro matre diuina, Aurora, vel Die, eidem alii attribuunt humanam, quam *** AESCHYLVS vocat *Ciſſiam*. Videtur STRABO nomen hoc *Ciſſiae*, quo Memnonis mater a quibusdam deſignatur, habere pro nomine gentilitio, quo nempe patria eius ſignificetur. Verba enim eius ſunt. Λέγονται δὲ καὶ Κίσσιοι οἱ Σούσιοι. Φησὶ δὲ καὶ Αἰσχύλος τὴν μητέρα Μέμνονος Κισσίαν. *Suſii dicuntur etiam Ciſſii. Et certe Aeſchylus matrem Memnonis Ciſſiam vocat.* Memnon enim a permultis gente ferebatur Suſianus. Atque hanc veram nominis illius rationem eſſe arbitror. At aliter rem capit STEPHANVS *Ethnicographus*. Is enim in voce Σοῦσα ſcribit Σουσίους καὶ Κισίους κεκλῆσθαι ἀπὸ Κισίας τῆς μητρὸς Μέμνονος, *Suſios etiam dici Ciſios*, vel Ciſſios, *a Ciſia matre Memnonis*.

Paucorum quorundam a prioribus diſſenſus.

CAPVT

* EVSTATHIVS in Iliad. A. p. 117. 118.

** PAVSANIAS in *Phocicis* Lib. I. c. XXXI. p. 875.

*** Apud STRABONEM Lib. XV. p. 500. Edit. Geneu. Caſauboni.

CAPVT II.

De Memnonis Graeci patria et forma.

De Patria Memnonis non vna fuit veterum Sententia. §. 1. Poëtae plerique eam volunt fuiſſe Aethiopiam. §. 2. Et Scriptores quoque alii. §. 3. Primi famae huius auctores, per Aethiopiam intellexiſſe videntur Thebaidem Aegypti. §. 4. Alii Memnonem ex Aſſyria arceſſunt. §. 5. Memnon inſtar Dei, tum in Aethiopia, tum in Aſſyria cultus perhibetur. §. 6. De forma Memnonis. §. 7.

§. 1.

De Patria Memnonis non vna fuit veterum ſententia.

Tithonus Memnonis Pater, regio quidem Troianorum ſanguine ſatus erat; §. 4. cap. I. at Memnonem inter Troianos lucem non adſpexiſſe, inter omnes conſtat. Patriam ille, ſi Graecos audimus, plane aliam habuit. Communior per Poëtas inter Graecos vulgata fama, quam et capite ſuperiori commemorauimus, fert, Auroram e domo Troianorum regia, Tithonum rapuiſſe, ac in cubile ſuum transtuliſſe. Sed vbinam gentium Tithoni conjux domum et cubile habuerit, non vna eſt omnium ſententia. Sub iudice etiam num lis eſt, vbi locorum Memnon ille fabulis Poëtarum tam celebratus, lucem adſpexerit, vbi vixerit, quid rerum geſſerit, quem vitae finem, vbiue ſepulchrum nactus fuerit. Sed de his, quoniam pleraque ex fabulis Sacerdotum Aegyptiorum de Amenophi, ſiue Memnone illius gentis, dimanaſſe videntur, paulo diſtinctius exponere, operae pretium erit.

Poëtae plerique patriam ipſi aſſignant Aethiopiam.

§. 2. Graecorum plerique, regiam Tithoni, patriamque Memnonis, filii eius, in Aethiopia quaerere nos iubent. Aiunt, Memnonem Aethiopem gente extitiſſe. PINDARVS id ſaepius affirmat, eaque in re aliis praeiuit. *Olymp.* II. p. 26. Memnonem appellat

Ἀῶς τε παῖδ᾽ Αἰθίο-
πα —

*Et Aurorae filium Aethio-
pem* —

Vbi vetus *Scholiaſtes* graecus obſeruat, *fingere haec qui poſt Homerum ſcripſere.* Idem *Pyth.* Od. VI. p. 283 eum appellat

— ϛρατάρχον Αἰθιόπων Μέμνονα —
— *ducem exercitus Aethiopum, Memnonem* —

QVINTVS

QVINTVS SMYRNAEVS in *Paralipomenis Homeri* ita de eo canit Lib. II. v. 31.

> *Μέμνων ὀμβριμόθυμος, ἀγὼν ἀπερείσια φῦλα*
> *Λαῶν, οἳ ναίουσι μελάμβροτον Αἰθιοπίαν.*
>
> *Memnon magnanimus adducens infinitas cohortes*
> *Gentium, quae Aethiopiam incolunt, nigros homines producentem.*

Et Libro eodem v. 100.

> *Μέμνων κυανέοισι μετ' Αἰθιόπων ἀνάσσων.*
> *Memnon inter atricolores Aethiopes imperium tenens.*

Et quae ibi ſequuntur plura. Referenda huc quoque illa Poëtarum Romanorum teſtimonia, quae Memnonem nobis depingunt colore nigrum, quorum nonnulla deſcribemus §. 7. Non alia namque de cauſa heroëm hunc nigrum colore fingunt, quam quod ſubinnuere velint, ſolum Aethiopicum eum in lucem edidiſſe.

§. 3. Poëtis hic ſeſe iungunt hiſtorici, Rhetores, et cuiuscunque generis ſcriptores alii. Acceptam hi a Poëtis fabulam ſuam fecere, et ad poſteros propagauere. Teſtatur DIODORVS Lib. II. p. 109. *Aethiopes Memnonem patriae ſuae arrogare, in qua et oſſa eius recondita iaceant.* Conſimiliter CVRTIVS memoriae prodidit, Lib. IV. cap. 8. Alexandrum M. voluiſſe *Aethiopiam inuiſere, vt Memnonis Tithonique celebratam regiam cognoſceret.* De auibus Memnoniis, quarum apud veteres mira fuit celebritas, ſcribit PLINIVS Lib. X. c. 26, *aduolare Ilium ex Aethiopia aues, et confligere ad Memnonis tumulum, quas ob id Memnonidas vocant. Hoc idem quinto quoque anno facere eas * in Aethiopia, circa regiam Memnonis, exploratum ſibi Cremutius tradit.* PHILOSTRATVS *de vita Apollonii Tyanaei*, haec ex DAMIDE refert de Memnone Lib. VI. c. III. Edit. Morelli: *Memnonem occubuiſſe non apud Troiam, quo etiam nec venerit, ſed in Aethiopia, cum regnaſſet apud Aethiopes, per generationum quinque ſpatium. Ipſi tamen Aethiopes, quoniam ſupra ceteros homines longiſſimae ſunt vitae, Memnonem tanquam in adoleſcentia mortuum lugent.* Idem in *Heroicis p.* 572 ſcribit, *Aethiopem quidem fuiſſe Memnonem,* in

Cum Poëtis hic faciunt Scriptores alii.

* Vide eundem Lib. VI. c. 29. vbi tradit Memnonem circa Troiana bella regnaſſe in Aethiopia.

in Aethiopia * *ante tempus belli Troiani imperantem* — *Verum* ** *alium ab hoc fuiſſe Memnonem Troianum* ***, *recentiorem*, *qui vixit tempore famoſi illius belli Troiani* etc. Auctor hicce, et non immerito, duos a ſe inuicem Memnones diſtinguit, Aethiopem alterum, alterum Troianum, priori iuniorem. Quid plura hic ex Scriptoribus aliis; ſed eundem in ſenſum congereremus? Horum igitur veſtigia legit HELIODORVS notiſſimus *Aethiopicorum*, aut fabulae Aethiopicae auctor, qui Lib. IV. p. 175 narrat, Aethiopes inter heroës ſuos, quibus cultum religioſum decreuerint, numerare etiam Memnonem; Libro vero X. p. 462 affirmat, reges Aethiopum Memnonem inter maiores ſuos ſtirpisque auctores recenſere.

Primi famae huius auctores, per Aethiopiam intellexiſſe videntur Thebaidem Aegypti.

§. 4. Videntur omnes, quorum teſtimoniis vſi nunc ſumus, aut certe ex iis plerique, nomine *Aethiopiae*, illam intelligere, quae in meridionali Africae parte, ſupra Aegyptum ſita eſt. Neque ab illis LYCOPHRON recedit, qui in *Caſſandra* v. 18. Tithoni cubile, et patriam Memnonis τῆς κέρνης πέλας, *prope Inſulam Cernen* collocat. Nam hic quidam *Cernen* inſulam vix aliam crediderim intelligi poſſe, quam *S. Laurentii*, quam vulgo *Madagaſcar* appellant. † Arabes eam *Serandab* vocare conſueuerunt. Qui vero omnium primi, natales Memnonis in *Aethiopia* quaerere nos iuſſerunt, nomine hoc, *Thebaidem*, vel ſuperiorem Aegypti regionem, quae contermina eſt Aethiopiae, deſignaſſe omnino videntur. †† Illic enim regnaſſe et vixiſſe Memnonem ſuum, ſeu Amenophin, teſtabantur veteres Aegyptii. ††† Illic oſtendebantur *Memnonia*, quorum STRABO facit mentionem. In eadem regione erecta erat inclyta illa Memnonis Aegyptii Statua, quae talis fere hodieque ſupereſt, qualem STRABO et PAVSANIAS eam oculis ſubiecere. Et dubio quoque carere debet, regionem illam Aegypti, veteribus non raro dici *Aethiopiam*. Veritati plane congruunt,

* In Editione Morelliana, qua vtor, editum eſt ἐπὶ τῶν Τρωϊκῶν. Sed ſequentia aperte clamant, legendum eſſe πρὸ τῶν Τρωϊκῶν. Et ſic in verſione mea expreſſi.

** Verſio Morelliana hic ſenſum verborum graecorum non exprimit. Eam itaque correxi.

*** In Editione Morelliana legitur νεώτερον τοῦ Τρωϊκοῦ. Scribe νεώτερον, ἐπὶ τοῦ Τρωϊκοῦ, vel ἐπὶ τῶν Τρωϊκῶν. Et ſic latine reddidi.

† *Bibliotheque Orientale* de D'HERBELOT artic. *Serandab*. fol. 806.

†† Vide Synt. II. cap. II. §. 2. 3.

††† Vide ibidem §. 4.

unt, quae hac de re vir ſummus in haec verba commentatus eſt. * „Delta diu Graecis Aegyptus propria habebatur; quae a mari remo-„tiores ſunt ad Auſtrum regiones, communi [a] *Aethiopiae* nomine de-„ſignabatur; ſicut *Scythiae* nomine, Septentrionaliores. Homerus „Thebaida *Aethiopiam* vocat, illamque ab Aegypto diſtinguit. Me-„nelaus ſic Telemachum alloquitur,

[a] STRABO Lib. I. p. 33 b.

„— [b] καὶ Αἰγυπτίους ἐπαληθεὶς
„Αἰθίοπάς θ' ἱκόμην —

[b] Odyſſ. Lib. IV. v. 84.

„— *Per Aegyptumque vagatus*
„*Aethiopes adii.* —

„id eſt, ex inferiori Aegypto, ſive propria dicta, in Thebaida. Nam „Homerus expreſſis verbis dicit, Menelaum *Thebas* veniſſe; illum vero „vlterius penetraſſe, non eſt rationi conſentaneum. Damis, Apollonii „Tyanaei comes, vidit *Memnonis templum et eius loquentem Statuam* „*in Aethiopia*, id eſt in Thebaide, ſcilicet Libyca Thebarum parte.„ Alii vero ex veteribus, loquentes de Memnone, *Aethiopiae* nomen, ſenſu latiori acceperunt **, eamque ad Indiam vſque extenderunt. Sic enim apud PACVVIVM ***, *Oceanus Memnonius*, eſt Oceanus Indicus, ſeu Orientalis. Et PROPERTII non ignoti ſunt hi verſus, Lib. I. Eleg. VI.

Non ego nunc Hadriae vereor mare noſcere tecum
Tulle, neque Aegaeo ducere vela ſolo:
Cum quo Riphaeos poſſim conſcendere montes,
Vlteriusque domos vadere Memnonias.

Ex hac veterum ſententia DICTYS *Cretenſis* ſcribit Lib. IV. c. 4. *Memnon Tithoni atque Aurorae filius, ingentibus Indorum atque Aethio-*

B 2 *pum*

* MARSHAMVS in *Canone Chronico* p. 430. Edit. Franek.

** Quam late apud veteres pateat *Aethiopiae* nomen, intelligi poteſt ex HERODOTO Lib. VII. cap. 69. 70. SYNCELLI *Chronographia*, p. 151. vbi traditur, Indos ab Indo fluuio profectos conſediſſe in Africa ſupra Aegyptum. Adde VINDINGII notas in Dictyn Cretenſem Lib. IV. cap. IV. MARSHAMI *Canonem Chronicum* ad ſec. XIII. p. 335. BRENNERVS Commentar. ad Moſen Armenum p. 60. vult, Aethiopes, quos Memnon, Troianis auxilia laturus, duxit, fuiſſe Colchos. Et profecto de Memnone ſcribit DICTYS *Cretenſis* Lib. IV. c. 4. *Indos atque Aethiopes iugis Caucaſi montis ad Troiam duxit.*

*** Vide IS. VOSSII notas ad Catullum p. 271.

pum copiis ſuperuenit. Etſi nondum ſatis conſtet, quaenam gentes hic *Indorum* nomine deſignentur.

Alii Memnonem ex Aſſyria arceſſunt. §. 5. Verum enim vero, ſunt ex antiquis permulti, qui Memnonem patria Aſſyrium fuiſſe, et Suſis regiam habuiſſe, contendant. Itaque DIODORVS *Siculus* ex CTESIA refert Lib. II. p. 109. *Auxilium Troianis ab Aſſyriis miſſum ductore Memnone, Tithoni filio. — Nam Priamus Troadis rex, quia regi Aſſyriorum ſuberat, mole belli gravatus ſubſidia a Teutamo, rege* Aſſyriorum, *petiuit. Hic decem millia Aethiopum, et totidem Suſianos, cum CC curribus, illi miſit. Praeerat his Memnon, Tithoni filius. Hic enim Perſiae tum temporis a rege praefectus erat, pollebatque inter ceteros duces, maxima apud eum gratia. Memnon vero aetate florens, virili robore animique claritate praeſtabat, qui in arce Suſiana regiam extruxit; quae nomine Memnoniae ad Perſarum vſque Principatum durauit; viam quoque publicam ſtrauit, quae nunc etiam nomen eius ſeruat.* Docent nos Scriptores eximii *, *Suſa a Tithono condita fuiſſe, Memnonis patre, ambitus* CXX *ſtadiorum, figura oblonga, cuius arx Memnonium vocabatur.* Magnam famae huic veri ſpeciem conciliat, quod Scriptores longe optimi vnanimiter teſtentur, arcem vrbis Suſianae, ab antiquo dictam fuiſſe *Memnoniam*, vel etiam vrbem ipſam, a Graecis ſaltem, *Memnoniam* communiter nuncupari. Teſtimonia CTESIAE, DIODORI, et STRABONIS, iam modo retulimus. HERODOTO quoque perfamiliare videmus eſſe, vt *Suſa*, Perſarum regiam **, *Memnonia* vocitet. Idem quoque faciunt *** AELIANVS, et plurimi alii, quos excitare longum foret. Sunt tamen, qui regiam Memnonis in Orientis quidem partibus locent; verum aliis in vrbibus. Iuxta HYGINVM Fab. CCXXIII. *Domum Cyri regis in Ecbatanis, fecit Memnon lapidibus variis et candidis, vinctis auro.* Quod in Appendicula ad VIBIVM SEQVESTREM *de fluminibus*, ab Heſſelio edita, ita effertur p. 164. *Domus regia in Ecbatanis, quam Memnon aedificauit lapidibus candidis et variis, auro vinctis.* In AMPELII *libro Memoriali*, cap. 8. haec inueniuntur. *Murus intus medio Babyloniae, quem Memnon aedificauit lapide cocto, id eſt calce et ſulfure, ferro intermixtus, vt ſunt iuncturae.* Quis vero non intelligat, haec omnia

* STRABO Lib. XV. p. 500.
** Lib. V. c. 53. 54. VII. 151.
*** *De Animal.* Lib. V. c. 1. Lib. XIII. c. 18.

omnia nonniſi erroribus μνημονικοῖς adſcribenda eſſe? Vnicum iſtud nunc tantum addam, PAVSANIAM, vt diverſas Graecorum, de patria Memnonis relationes, aliqua ratione inter ſe conciliaret, rem ita narrare *. *Prope Memnonem nudus eſt puer ex Aethiopia, quod nempe Memnon rex, ex gente Aethiopum duxerit genus. Venit tamen ad bellum Troianum, non ex Aethiopia, ſed a Suſis Perſarum vrbe, debellatis iis omnibus nationibus, quae mediae ſunt, vſque ad Choaſpem fluuium.*

Memnon Dei inſtar cultus, tum in Aethiopia, tum apud Aſſyrios, perhibetur.

§. 6. Prouti vero Graeci Memnonem ſuum, aut ex Aethiopia, aut ex Aſſyria, arceſſunt, ita ipſi etiam cultum diuinum vindicant, modo ab Aethiopibus, modo vero ab Aſſyriis oblatum. Quidam nempe honores diuinos ipſi delatos fuiſſe ſcribunt ab Aethiopiae et Thebaidis in Aegypto incolis. Ex eorum ſententia PHILOSTRATVS ita ſcribit *de vita Apollonii* Lib. VI. c. 3. *Aethiopes Memnonem*, (etſi anno centeſimo circiter et ſexageſimo fato functum,) *lugere tanquam in adoleſcentia e viuis ereptum, et morte immatura extinctum.* Et poſt aliquam multa. *Sacra igitur Soli Aethiopi et Memnoni Eoo fecerunt. Sic enim ea Numina Sacerdotes cognominant, Solem quidem dicentes Aethiopem, ἀπὸ τȣ͂ αἴθειν καὶ θάλπειν, quod nempe loca illa perurat et calefaciat, Memnonem vero Eoum, quod nempe filius ſit* τῆς Ἠȣ͂ς, id eſt *Aurorae.* Ideoque, quod ſupra iam monuimus. §. 3. HELIODORVS narrat, Aethiopes inter heroës, cultu publico honoratos, ponere et Memnonem. Alii vero memoriae mandarunt, ſacra huius generis, Memnoni ab Aſſyriorum gente fieri conſueuiſſe. Id certe perhibere videmus OPPIANVM, *Cynegeticon* Lib. II. v. 151.

Πάντη δ' ἔργα βοῶν θαλερὰς βέβριθεν ἀλωὰς
Μεμνόνιον περὶ νηὸν ὅθ' ἀσσύριοι ναετῆρες
Μέμνονα δακρύȣσι κλυτὸν γόνον ἠριγενείης
Ὃν ποτε πριαμίδησιν ἀμυνέμεναι πελάσαντα
Θαρσαλέος πόσις ὦκα παρέδραμε Δηϊδαμείας.

Et paſſim labores boum florentes onerant areas
Memnonium circa fanum, qua Aſſyrii incolae
Memnonem deſlent; illuſtrem filium Aurorae,
Quem quondam Priamidis ſuppetias laturum
Animoſus maritus Deidamiae celeriter praeueniens interfecit.

B 3 §. 7.

* In *Phocicis* cap. XXXI. p. 875.

De Forma Memnonis.

§. 7. Qui Memnoni patriam tribuunt Aethiopiam, regionis huius colorem ipſi quoque affricant, eumque *nigrum* vel * *nocticolorem* appellant. Ignorare non poſſunt, qui Poëtarum, Latinorum cumprimis, lectione capiuntur, nihil his eſſe ſolennius et familiare magis. Notum eſt VIRGILIVM memorare Lib. I. Aeneid. v. 493.

Eoasque acies, et nigri Memnonis arma.

Et MANILIVM *Aſtron.* Lib. I. v. 764.

Auroraeque nigrum partum —

OVIDII haec ſunt *Amorum* Lib. I. Eleg. VIII.

— *nigri non illa parentem*
Memnonis in roſeis ſobria vidit equis.

Et Eleg. XIII. eiusdem Libri, Auroram Memnonis matrem ſic alloquitur:

Inuida quo properas? quod erat tibi filius ater?
Materni fuerat pectoris ille color.

Ideoque in pictura quadam, quam in Templo Delphico viderat PAVSANIAS **, puer Aethiops ſymbolum erat Memnonis, eadem quippe forma conſpicui. Eadem de cauſa, PHILOSTRATVM finxiſſe videmus, in *Heroicis* p. 742. *Memnonem in Aethiopia transmutatum fuiſſe in nigrum lapidem*, quo haud dubie alludit ad inclytam Memnonis Statuam marmoream, quam plures ex nigro lapide ſculptam fuiſſe narrant. Sed ea de re plura dicemus Synt. III. Quinimo *Iconum* Libro II. p. 790. ſubinnuit, ante Memnonis profectionem Troianam, Aethiopes incognitos meramque fabulam fuiſſe. De nigro vero illo colore Memnonis, ita loquuntur veteres, tamquam cum decenti, quinimo pulchra, vultus ſpecie, fuiſſet coniunctus. PHILOSTRATVS itaque loc. cit. imaginem deſcribens, in qua Memnon pictus erat, obſeruat: Ὀυδ᾽ ἂν μέλανα φαίης τὸν Μέμνονα. Τὸ γὰρ ἀκράτως ἐν αὐτῷ μέλαν ὑποφαίνει τι ἄνθος. *Ne nigrum quidem diceres Memnonem. Nam quae ipſi ineſt Sincera nigredo, floris neſcio quid prae ſe fert.* Ipſe HOMERVS Memnonem nobis repraeſentat, ceu forma elegantiſſima inſignem. Loquens enim de Eurypylo, Telephi filio, ſcribit Odyſſ. Λ. v. 521.

Κεῖνον

* LAEVIVS vetus Poëta, apud GELLIVM, *Noct. Attic.* Lib. XIX. c. VII.
** PAVSANIAS vbi ſupra. §. 5.

Κεῖνον δὴ κάλλιστον ἴδον μετὰ Μέμνονα δῖον.
Illum ſane pulcherrimum vidi poſt Memnonem diuinum.

Ad quae verba haec commentatur EVSTATHIVS p. 1697. Περιάδετε δὲ καὶ ὁ Μέμνων, καὶ δοκεῖ διὰ τὸ κάλλος, ἡμέρας υἱὸς εἶναι. *Etiam Memnon ob formae praeſtantiam celebratur, et hanc ob cauſam veroſimile eſt, eum dici diei filium.* Idem ad Odyſſ. Δ. v. 188. p. 1490. in haec verba ſcribit: Ὡραιότητα δὲ οὐ μόνον τοῦ Μέμνονος αἰνίττεται τὸ ἠοῦς αὐτὸν υἱὸν λέγεσθαι, ἀλλὰ καὶ Τιθωνοῦ — Ὅρα δὲ ὅτι Φαεινῆς μητρὸς ἀγλαὸς ἦν οἰκείως οὗτος υἱὸς, ὡς ἡλιώδης τὴν θέαν. *Non vero id tantum pulchritudinem Memnonis ſubindicat, quod Aurorae dicatur filius, verum et quod perhibeatur natus Tithoni, cum quo Aurora conſueuit. Quam appoſite vero non dixit Memnonem Aurorae fulgentis ſplendidum filium, vt qui adſpectu Soli eſſet ſimilis?* In notis porro ad DIONYSII *Periegeſin* v. 248. haec habet: Ἡμέρης ἐλέγετο υἱὸς εἶναι, διὰ τὸ ἐν Αἰθίοψι τάχα κάλλιστος εἶναι, καὶ μόνος ὑπερλευκάνθαι (forte legendum ὑπολευκάνθαι) τὴν χρόαν, πατρὸς ὢν Τιθωνοῦ. *Memnon dictus eſt filius Diei, forte quod inter Aethiopes forma excelleret, ſolusque, Tithoni quippe filius, colore albicaret.*

CAPVT. III.

De Memnonis Graeci aetate rebusque geſtis.

Memnon ab Homero numeratur inter heroës belli Troiani. §. 1. Eius in bellum Troianum profectio, et res geſtae. §. 2. In illo bello Memnon Antilochum filium Neſtoris certamine victum interfecit. §. 3. Memnonem viciſſim interfecit Achilles. §. 4.

§. 1.

Memnon ab Homero numeratur inter heroës belli Troiani.

Memnonis Graeci aetas, ſi Poëtas, Hiſtoricos, Rhetores et Grammaticos audimus, certa eſt, dubiisque obnoxia eſſe nequit. Summus tamen Scientiae Chronologicae Magiſter, illuſtris MARSHAMVS, ſpiſſis tenebris argumentum hoc circumuoluere anniſus eſt. Ita autem is rationes ſubducit *. *Heſiodus et Homerus Memnoni fuerunt coaetanei. Homerus quidem Memnonem omnino non nominat; neque*

* *Canone Chronico* p. 430. Edit. Franek.

neque meminiſſet eius, etiamſi Iliadas vltra mortem Hectoris deduxiſſet; quum indecorum eſſet, res ſuae aetatis nuperas, veteribus Troianis immiſcuiſſe. Heſiodus autem (Theog. v. 985.) *Memnonem, quem fingit Tithoni et Aurorae filium, appellat* Αἰθιόπων βασιλῆα, *regem Aethiopum.* Verum ex ſuperioribus perſpicuum eſt, MARSHAMVM hoc quidem in loco, a ſcopo aberraſſe. Extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, Memnonem Graecorum, pluribus Seculis anteuertere aetatem Homeri et Heſiodi. Nam non modo HESIODVS, quam bene MARSHAMVS obſeruat, verum et HOMERVS illius mentionem iniecit. Nomen eius expreſſit Odyſſ. Λ. 521.

Κεῖνον δὴ κάλλιϛον ἴδον μετὰ Μέμνονα δῖον.
Illum ſane pulcherrimum vidi poſt Memnonem diuinum.

Cumque verba haec Poëta tribuat Vlyſſi, ſic iam ſatis omnes intelligunt, eum res Memnonis illigare temporibus Troiani belli. Sed multo clarius magisque aperte id ipſum teſtatur, vbi de Antilocho, Neſtoris filio, ad Troiam interemto canit Odyſſ. Δ. v. 187.

Μνήσατο γὰρ κατὰ θυμὸν ἀμύμονος Ἀντιλόχοιο
Τὸν ῥ᾽ Ἠοῦς ἔκτεινε φαεινῆς ἀγλαὸς υἱός.
Recordabatur enim mente ſua eximii Antilochi,
Quem ſcilicet Aurorae ſplendidae interfecit inclytus filius.

PINDARVS itaque, quod pariter volebat * MARSHAMVS, primus vtique non fuit, qui Memnonem nobis ſiſteret, bello Troiano implicatum. Primus rem hanc narrauit ipſe HOMERVS, isque Scriptoribus reliquis ea in re praeiuit, qui fideliter ipſum ſecuti ſunt. Non nego, PHILOSTRATVM, qui id ex traditione per Aegyptios propagata accepiſſe videtur **, de duobus loqui Memnonibus, quorum alter Troiano bello antiquior extiterit, alter Troianorum rebus interfuerit. Sed quem is dicit antiquiorem Memnonem, eſt Aegyptius: qui hoc perhibetur iunior, quemque ad Troiam militaſſe, Graeci omnes conſentiunt, eſt Memnon Graecorum, de quo hic diſputamus.

Memnonis in bellum Troianum profectio et res ibi geſtae.

§. 2. Quaecunque etiam Graeci de rebus geſtis Memnonis ſui narrant, vnice fere ad bellum Troianum referuntur. Numeratur certe inter praecipuos et fortiſſimos duces, qui Priamo et Troianis auxilio venerunt; ſed et ad Troiae moenia, infelici fato occubuerunt. Ferunt

* Ibidem p. 431. ** Vide ſupra cap. II. §. 3.

Ferunt Tithonum patrem ei, vt expeditionem hanc ſuſciperet, imperaſſe ac perſuaſiſſe. SERVIVS rem ita refert ad *Virgilii Aeneid.* I. 493. *Tithonus * frater Laomedontis raptus ab Aurora, filium ſuum Memnonem, ex ipſa progenitum, inlectus dono vitis aureae, Priamo ** ad Troiae miſit auxilium.* Quod ad *vitem auream* attinet, rem nobis explicabit EVSTATHIVS, niſi quod promiſſionem vitis aureae non Tithono, verum Telepho regi Myſiae, filioque eius Eurypylo factam eſſe tradat. Ita enim ad Odyſſ. Λ. p. 1697. commentatur. *Χρυσῆν τινα ἄμπελον Ζεὺς ἐχαρίσατο ἀντὶ Γανυμήδους τῷ πατρὶ Τρωΐ. Πρίαμος δὲ ἐκ διαδοχῆς ἐλθοῦσαν εἰς αὐτὸν ὑπέσχετο Ἀστυόχῃ, τῇ ἑαυτοῦ μὲν ἀδελφῇ, Εὐρυπύλου δὲ μητρὶ, εἰ πέμψει ἐπὶ συμμαχίᾳ τὸν υἱὸν, φάμενον ἐπὶ τῇ μητρὶ κεῖσθαι, τὴν εἰς πόλεμον ἐξέλευσιν αὐτοῦ. Iupiter cum Ganymeden rapuiſſet, pro eo patri Troi vitem auream dono dedit. Cum vero haec haereditatis iure ſucceſſiue ad Priamum perueniſſet is vitem hanc auream Aſtyochae, ſorori ſuae, matrique Eurypyli promiſit, ſi filium ſuum cum copiis auxilio ſibi mittere vellet. Dixerat namque is, penes matrem poſitum eſſe, vt in bellum proficiſceretur.* Paria habet DICTYS *Cretenſis, de bello Troiano* Lib. IV. cap. 14. *Nuntius Priamo ſuperuenit, Eurypylum Telephi ex Moeſia aduentare, quem rex multis antea illectum praemiis, ad poſtremum oblatione deſponſae Caſſandrae confirmauerat. Sed inter cetera, quae ei pulcherrima miſerat, addiderat etiam vitem quandam auro effectam, et ob id per populos memorabilem.* SERVIVS vero hoc ad Memnonem refert. Idem ad *Aeneid.* Lib. I. huncce verſum 755.

Nunc quibus Aurorae veniſſet filius armis

narrat ***, *ei feciſſe Vulcanum arma, cum auxilium Troianis ferret.* Sic igitur Memnon, precibus Priami, vt ferunt, commotus, armis diuina manu fabricatis amictus, ingentemque iuxta ac fortiſſimum Aethiopum aut Aſſyriorum exercitum ducens, Troiam, vrbi huic ſuppetias laturus, profectus eſt. Ex PAVSANIA † ſupra retulimus, *Memnonem veniſſe ad bellum Troianum, non ex Aethiopia, ſed a Suſis Perſarum vrbe, debellatis iis omnibus nationibus, quae mediae ſunt, vſque*

* Videtur legendum eſſe: *frater Priami, filiusque Laomedontis.*

** An ſupplendum erit? *Ad Troiae moenia.*

*** Subinnuit hoc etiam QVINTVS SMYRNAEVS Paralipom. Lib. II. v. 454.

† Cap. II. §. 5.

vſque ad Choaſpem fluuium. Ex CTESIA vero DIODORVM commemorare intelleximus *, *Priamum Troadis regem, quia regi Aſſyriorum ſuberat, mole belli grauatum, ſubſidia a Teutamo Aſſyriorum rege petiuiſſe: hunc vero decem millia Aethiopum, et totidem Suſianos, cum* CC *curribus illi miſiſſe, illiſque praefeciſſe Memnonem, Tithoni filium, Satrapam Perſiae, aetate tum florentem, ac virili robore, animique claritate praeſtantem. — Eſſeque famam conſtantem, Memnonem viginti millia peditum, et ducentos currus bellicos adduxiſſe, et magna fortitudinis gloria, multos in proelio graecos neci dediſſe: donec ad extremum Theſſalorum inſidiis trucidatus, occubuerit.* Verum geſta haec Memnonis ad Troiam ** alii latius perſequuntur, quorum loca hic deſcribere prolixum foret et taedioſum.

In illo bello Memnon Antilochum, filium Neſtoris, certamine victum, interfecit.

§. 3. Inter ceteras vero res, in illo bello praeclare geſtas a Memnone, nihil aeque Poëtarum carminibus, Scriptorumque aliorum oratione celebratur, atque victoria, quam is de Antilocho, Neſtoris filio, certamine ſingulari ſuperato, ac interemto, reportauit. Ipſe HOMERVS, quod iam vidimus, gloriam hanc Memnonis tacere non potuit ***, verum carmine celebrauit. Idque vnicum eſt, quod de Memnonis noſtri geſtis, Poëtarum Princeps memoriae mandauit. Celebrauit rem eandem PINDARVS *Pyth.* Od. II. p. 282. 283.

Ἐγένετο καὶ πρότερον Ἀντίλοχος βιατὰς
Νόημα τοῦτο φέρων· ὃς ὑπερέφθιτο
Πατρὸς, ἐναρίμβροτον ἀμμεί —
νας ςράταρχον Αἰθιόπων Μέμνονα. Νεςό —
ρειον γὰρ ἵππος ἅρμ' ἐπέδα,
Πάριος ἐκ βελέων δαϊχθείς. —

Extitit et antea Antilochus fortis,
Mentem hanc habens, qui pro patre occubuit
homicidam cum ſuſtinuiſſet
ducem exercitus Aethiopum Memnonem. Neſto —
reum enim currum equus remorabatur,
Paridis telis ſaucius. —

Et

* Supra loc. cit.

** QVINTVS SMYRNAEVS *Paralipom.* L. II. et. DICTYS *Cretenſis de bello Troiano* Lib. IV.

*** Vide ſupra §. 1.

Et quae illic plura ſequuntur. Vult nempe Poëta, Antilochum a Memnone occiſum fuiſſe, cum Patrem ſuum Neſtorem protegeret. Qua de re videri etiam poteſt QVINTVS SMYRNAEVS, in *Paralipomenis* Lib. II. Sed fingit PINDARVS id tum factum fuiſſe, cum equi Neſtoris, vulnerati telis Paridis, currum eius remorarentur, quod neque apud HOMERVM, neque apud QVINTVM SMYRNAEVM legitur. Sed rem ipſam paſſim praedicant Graecorum Poëtae, Scriptoresque alii. De Antilocho ceteroquin olim inter Graecos venditabatur fama, quam ASCLEPIADES *Myrleanus*, magni nominis Grammaticus, in literas retulit, eaque ita habet *: Χρησμοῦ δοθέντος Νέστορι, φυλάττεσθαι ἐπὶ τῷ υἱῷ Ἀντιλόχῳ, τὸν Αἰθίοπα, ἔδοτο αὐτῷ μνήμονα ὁ Πατὴρ, καὶ ὑπασπιστὴν, Χάλκωνα κυπαρισσέα. ὃς ἐρασθεὶς Πενθεσιλείας, καὶ βοηθῶν αὐτῇ ἀνῃρέθη ὑπ' Ἀχιλλέως, καὶ τὸ σῶμα ὑπ' Ἑλλήνων ἀνεσκολοπίσθη. *Cum aliquando Neſtori oraculum eſſet editum, iubens, vt Antilochum filium ſuum cuſtodiret ab Aethiope, addidit filio ſuo monitorem eundemque armigerum Chalconem Cypariſſenſem*, qui caueret, ne cum Antilocho congrederetur. *Verum is amore Pentheſileae captus, in certamine ipſam adiuuit, quare ab Achille interfectus eſt; eius corpus vero Graeci in crucem ſuſtulerunt.*

§. 4. Verum repertus mox eſt, qui mortem Antilochi in Memnone vlciſceretur, Achilles ſcilicet, Graecorum omnium qui Troiam euerſum profecti ſunt, praeſtantiſſimus et fortiſſimus. Primus, quod ſciamus, Graecis ſuis id tradidit PINDARVS, qui *Olymp.* Od. II. p. 26. ita de Achille canit. *Memnonem viciſſim interfecit Achilles.*

Ὃς Ἕκτορ' ἔσφαλε Τροίας
ἄμαχον, ἀστραβῆ κίο-
να, Κύκνον τε θανάτῳ Πορεν
Ἀοῦς τε παῖδ' Αἰθίο-
πα —

Qui Hectorem proſtrauit, Troiae
Inexpugnabilem, firmamque co-
lumnam, Cycnum quoque morti dedit
Auroraeque filium Aethiopem.

C 2 Ad

* Apud EVSTATHIVM in Odyſſ. Α. p. 1697.

Ad quae verba haec notat vetus Poëtae huius doctusque *interpres.* Ταῦτα λέγουσιν οἱ τὰ μεθ' Ὅμηρον γράψαντες οὕτω. Τιθωνῷ γίνονται ἐξ Ἡμέρας παῖδες δύο. Μέμνων καὶ Ἠμαθίων. Καὶ Μέμνων μὲν ἀνῃρέθη ὑπ' Ἀχιλλέως, Ἠμαθίων δὲ ὑπὸ Ἡρακλέος. *Haec dicunt, qui poſt Homerum ſcripſerunt, iſtum ad modum. Tithono ex Die duo nati ſunt filii, Tithonus et Emathion. Memnonem neci dedit Achilles, Emathionem Hercules.* Eiusdem Poëtae verſus hi ſunt, *Nem.* Od. IV. p. 382.

— βαρὺ
δέ σφιν νεῖκος ἔμπεσ' Ἀχιλ-
λεὺς, χαμαί. καββὰς ἀφ' ἁρμάτων
φαεννᾶς υἱὸν εὖτ' ἐνάρι-
ξεν Ἀοῦς αἰχμᾷ
ἔγχεος ζακότοι-
ο. —

— Grauis
autem Aethiopibus concertatio incidit,
Quum Achilles in terram deſcendens, ex curribus
Filium ſplendidae Aurorae interficeret cuſpide
Haſtae periracundae.

Poſt PINDARVM vix eſt Graecorum quisquam, qui calamitatem Priami, vrbisque Troiae, attingit, aut geſta Achillis, vel res Memnonis perſequitur, qui non hunc quoque miſerandum illius interitum memoriae prodiderit. De Aurora, Memnonis matre, canentem legimus OVIDIVM, *Metam.* Lib. XIII. v. 576.

Non vacat Aurorae, quanquam isdem fauerat armis,
Cladibus et caſu Troiaeque Hecubaeque moueri.
Cura Deam propior, luctusque domeſticus angit
Memnonis amiſſi, Phrygiis quem lutea campis
Vidit Achillea pereuntem cuſpide mater.

Et mox apud eundem Aurora ipſa ita fatur, v. 595.

Memnonis orba mei venio: qui fortia fruſtra
Pro Patruo tulit arma ſuo: primisque ſub annis
Occidit a forti (ſic vos voluiſtis) Achille.

Extat

Extat hodieque in baſi Statuae Memnonis, prope rudera priſcarum Thebarum, in Aegypto ſuperiori *, Epigramma graecum, idem ſubinnuens, quod adſcribere non grauabor. Eſt enim ſane elegans

Ζώειν, εἰναλίη Θέτι, Μέμνονα, χ' ἀδέα φωνεῖν
  Μάνθαν', ἐπὶ Τροίης ἄλλοκ' ἀπολλύμενον:
Αἰγύπτȣ Λιβυκῆσιν ὑπ' ὀφρύσιν, ȣ̃ ἀποτάμνει
  Καλλίπυλον Θήβην Νεῖλος ἐλαυνόμενος
Τὸν δὲ μάχης ἀκόρητον Ἀχιλλέα μήτ' ἐπὶ Τρώων
  Φθέγγεσθαι πεδίῳ μήτ' ἐνὶ Θεσσαλίη.

Viuere, marina Theti, Memnona et ſuauiter ſonare,
  Diſce, ad Troiam quondam occiſum:
Aegypti Libycis ſub tumulis, vbi abſcindit
  Pulchras portas habentem Thebam Nilus incitatus:
Inſatiabilem vero pugnae Achillem, neque in Troum
  Loqui campo, neque in Theſſalia.

Quod ſi QVINTVM SMYRNAEVM adimus, narrat is *Paralipom.* Lib. II. Neſtorem ob mortem Antilochi filii, moerore pene confectum, vnicum in vindicta ſolatium poſuiſſe, et cum alios ad exercendam vindictam hanc, ſed ſine ſperato ſucceſſu, adhortatus eſſet, Achillem tandem ad id tentandum exſtimulaſſe, et hunc Memnoni certamine ſuperato, acerbam mortem attuliſſe. Alii rem ita exponunt. Interfecto Antilocho, ** *Aiax inter vtramque aciem progreſſus, laceſſit Memnonem.* Hic, *vbi ad ſe tendi videt, curru deſilit, confligitque pedes cum Aiace, magno vtriusque partis metu atque expectatione. Tum* Aiax *ſumma vi vmbonem ſcuti eius telo in aliquantum foratum,* — telum illud *vertit in latus. Quo viſo regis* Memnonis *comites occurrere, Aiacem exturbare nitentes. Tum Achilles, vbi a Barbaris intercedi videt, pergit contra, et nudatum ſcuto hoſtis iugulum haſta transfigit.* Quicquid ſit, in eo conſentiunt omnes, haſtam ſiue telum Achillis, Memnoni vulnus exitiale intuliſſe.

 CAPVT

* Deſcripſit illud RICHARDVS POCOCKIVS, in his *Deſcription of the Eaſt.* Vol. I. ad p. 149. Sequor autem hic emendationes viri doctiſſimi, PHILIPPI DORVILLE, in Animaduerſionibus ad Charitonem Aphrodiſienſem, p. 50.

** DICTYS *Cretenſis.*

CAPVT IV.

De Memnonis Graeci ſepultura, honoribusque, quos poſt mortem conſecutus eſt.

Plerique ſepulchrum Memnonis prope Ilium locant. §. 1. Sunt tamen, qui ſepulchrum Memnonis alibi collocent. §. 2. Honores quibus Dii mortem Memnonis proſecuti eſſe dicuntur. §. 3. De auibus Memnoniis veterum fabulae. §. 4.

§. 1.

Plerique ſepulchrum Memnonis prope Ilium locant.

Memnoni occiſo, ea fere qua occubuit in regione, non procul ab vrbe Troia, plurimi tribuunt ſepulchrum. QVINTVS SMYRNAEVS fingit Lib. II. *Paralipom.* Iuſſu Aurorae, ventos mortuo circumfuſos, per aërem canum eum ſuſtuliſſe. V. 584. ita canit:

—— νέκυν δ' ἀκάμαντες ἀῆται
Μέμνονος ἀγχεμάχοιο θέσαν, βαρέα στενάχοντες,
Παρ' ποταμοῖο ῥέεθρα βαθυῤῥόου Αἰσήποιο
Ἧχι τε νυμφάων καλλιπλοκάμων πέλει ἄλσος
Καλὸν, ὃ δὴ μετόπισθε μακρὸν περὶ σῆμ' ἐβάλοντο
Αἰσηποῖο θύγατρες, ἄδην πεπυκασμένον ὕλῃ
Παντοίῃ ——

—— *Cadauer autem indefeſſi venti*
Memnonis bellicoſi cum graui gemitu repoſuerunt,
Iuxta altiflui Aeſepi amnis vndas:
Vbi pulchre crinitarum Nympharum lucus extat
Amoenus, in quo ei poſtea arduum eduxerunt tumulum
Filiae Aeſepi, omnis generis arboribus opacum.

Locum hunc ipſum ſine dubio deſignare voluit STRABO, quando Lib. XIII. p. 404. in haec verba ſcripſit. *Supra Aeſepi oſtia ad Stadia circiter . . . tumulus eſt, in quo ſepulchrum oſtenditur Memnonis Tithoni filii. Prope etiam Memnonis eſt pagus.* Et PAVSANIAS in *Phocicis*, vel Lib. X. p. 875. cuius pariter locum adſcribo. *Volucres Memnonidas dicunt Helleſpontii ad Memnonis ſepulchrum ſtatis diebus*

diebus quotannis aduolantes, euerrere ſoli aream, quae circa tumulum pura, et arboribus vndique atque herba nuda ſit, et eam collecta pinnis ex Amne Aeſepo aqua, aſpergere. Eundem ſepulchri Memnonii locum in animo habent, quicunque de auibus Memnonidibus memoriae mandarunt, quod quouis anno Ilium ad Memnonis ſepulchrum conuolent, de quibus nonnulla mox addemus. *Iuxta Ilium* locat etiam *ſepulchrum Memnonis*, MARTIANVS CAPELLA Lib. VI. p. 221. Forte huc referre etiam licebit, quod a nonnullis literis proditum legimus, in vicina Bithynia, * Nicomediae Memnonis enſem aſſeruatum oſtenſumque fuiſſe.

§. 2. SIMONIDES verò, Poëta Lyricus antiquiſſimus, in Dithyrambo, quem inſcripſerat *Memnonem*, ** ſcriptum reliquit, *Memnonem* hunc *ſepultum fuiſſe circa* *** *Paltum Syriae, iuxta fluuium* † *Badam.* Veroſimile eſt, auctorem libri *de bello Troiano*, qui ſe DICTYN *Cretenſem* nominauit, hunc ipſum locum ſubinnuiſſe, vbi ſcripſit Lib. VI. cap. X. *A Neoptolemo etiam*, Achillis filio, *de reliquiis Memnonis cognitum mihi, vti tradita oſſa eius apud Paphum his, qui cum Phallante duce Memnonis mari ad Troiam profecti, ductore interfecto, ablataque praeda ibi morabantur: vtque Himera —— Soror Memnonis ad inueſtigandum cadauer fratris, eo profecta, poſtquam reliquias repperit, et de intercepta praeda Memnonis palam ei factum eſt, vtrumque recipere capiens, interceſſu Phoenicum, qui in eo exercitu plurimi fuerant, optionem rerum omnium ac ſeorſum fratris acceperit, praelataque ſanguinis affectione, recepta vrna Phoenicem nauigauerit: delata deinde ad regionem eius* †† *Palliochin, ſepultisque*

Sunt tamen, qui ſepulchrum Memnonis alibi collocent.

* PAVSANIAS in *Laconicis* cap. III. p. 211.

** Apud STRABONEM Lib. XV. p. 500.

*** ALDRICHIVS in notis ad Ioſephum de bello Iud. Lib. II. cap. X. ex Ioſepho putabat, pro *Palto* reponi debere *Ptolemaida*, et pro *Bada*, *Belum.* Verum non meminerat, STRABONEM haec referre ex SIMONIDE, cuius tempore *Acco* vel *Ace*, nomen *Ptolemaidis* nondum habebat.

† Apud STRABONEM loc. cit. legitur Βαδᾶν; verum IS. VOSSIVS in obſeruation. ad Pomponium Melam Lib. I. c. XIII. fin. corrigit Βάλδον, ſatis veroſimiliter.

†† Videtur innuere regionem *Paltenam*, in qua vrbs *Paltus* erat ſita. Vide notas BERKELII, et HOLSTENII ad Stephani Ἐθνικὰ, articulo Πάλτος.

tiſque fratris reliquiis, nuſquam repente comparuerit. Si aliis auſcultamus, ſepulchrum illud in eadem quidem ora maritima; ſed propius ad fines Iudaeae, non longe a Ptolemaide ſitum erat. Ex eorum ſententia IOSEPHVS, Lib. II. *de bello Iudaico* cap. X. §. 2. literis haec prodidit. *Duorum Stadiorum interuallo ab vrbe Ptolemaide, praeterlabitur fluuius exiguus omnino, qui * Bellius appellatur, ad quem Monumentum eſt Memnonis, ſibi vicinum habens locum centum cubitorum, admiratione dignum. Eſt enim rotundus et cauus, et egerit arenam vitriariam.* Si tamen quod ſentio dicere licet, Monumentum, cuius IOSEPHVS mentionem facit, credo non fuiſſe Memnonis, qui ad Troiam interiit, verum Memnonis Rhodii, inclyti ducis bellici, ** quem Darius Codomannus, vltimus Perſarum rex, claſſibus et toti orae maritimae praefecerat, qui dum inſulis graecis maris Aegaei occupandis intentus eſt, morte praeuentus, in regione hac, curae fideique ſuae concredita, ſepultura et Monumento honoratus fuiſſe videtur. Ex hiſtoria certe conſtat, non ita diu poſt, *** viduam Memnonis huius Barſinen, Damaſci in Syria ab Alexandro captam fuiſſe. Non deſunt etiam, qui Memnonem noſtrum, Troianorum adiutorem et columen, poſt interitum, in patria, ſiue ea ſit Aſſyria, ſiue Aethiopia, ſepulchrum inueniſſe perhibeant. De auibus, quas veteres *Memnonias* nuncupant, commemorat AELIANVS de *Animal.* Lib. V. c. 1. *Recta ad Memnonis ſepulchrum proficiſcuntur. Id enim vel etiam nunc a Troadis incolis in honorem Memnonis Aurorae filii conditum ibi fuiſſe dicitur. Et Memnonis quidem cadauer, ex caede a matre in Suſa illa Memnonia tam celebrata exportatum fuiſſe, vt humatione afficeretur, et exequiarum iuſta e dignitate ei perſoluerentur; illud vero cenotaphium eſſe.* Qui vero Memnonem inter Aethiopes lucem adſpexiſſe, † ibique ſepulchrum etiam inueniſſe, perhibent, aues has †† ex Aethiopia arceſſunt. PHILOSTRATVS vero *Iconum* Lib. I. p. 742.

* In graeco eſt Βήλεος, *Beleus.* Plurimi eum vocant *Belum.* Vide CELLARII antiquam Geograph. Aſiae p. 483.

** ARRIANVS *de Expedit. Alexandri* M. Lib. II. init.

*** PLVTARCHVS in *vita Alexandri* p. 676.

† Tradunt hoc DIODORVS *Siculus,* Lib. II. p. 109. TZETZA in Chiliad. VI. hiſt. 64. Alii.

†† PLINIVS Lib. X. c. 26. SOLINVS in *Polyhiſtore* cap. 43. ISIDORVS Origin. L. XII. c. 7. et alii.

p. 742. negat, *vſpiam terrarum Memnonis extare tumulum*, quandoquidem *ipſe Memnon in nigrum transformatus ſit in Aethiopia lapidem*, digitum intendens ad inclytam eius Statuam marmoream, prope Thebas in Aegypto ſuperiori viſendam.

§. 3. Crediderunt Graeci, idque ſcripto etiam tradiderunt, enituiſſe in morte Memnonis ſui, ſigna fauoris et amoris eximia, quo eum Dii complexi ſunt. Nam, vti canit Poëta: *Honores quibus Dii mortem Memnonis proſecuti eſſe dicuntur.*

* Ἠὼς δ' ἐστενάχησε, καλυψαμένη νεφέεσσιν·
Ἠχλύνθη δ' ἄρα γαῖα· θοοὶ δ' ἅμα πάντες ἀῆται
Μητρὸς ἐφημοσυνῇσι, βίῃ φορέοντο κελεύθῳ
Ἐς πέδιον Πριάμοιο καὶ ἀμφεχέοντο θανόντι
Οἵ καὶ ἀνηρείψαντο θοῶς Ἠώϊον υἷα
Καὶ ἔφερον πολιοῖο δι' ἠέρος — &c.

Tum Aurora nubibus ſeſe condens triſtiſſimos edidit gemitus:
Tellusque inhorruit tenebris, et praepetes venti ſimul omnes,
Matris iuſſu, vno raptim itinere deferebantur
In campum Priami; circumfuſique mortuo,
Extemplo arripiunt Aurorae natum,
Perque aëra canum auferunt. —

Fingit poſtea idem, omnes ſanguinis guttas, quae ex corpore mortui Memnonis in terram ceciderunt, vt ſignum etiam eſſent poſteris, in vnum collectas, voluntate Deorum, fluuium euaſiſſe, dictum Paphlagonium. Apud OVIDIVM *Metamorph.* Lib. XIII. v. 598. Aurora Iouem ſic alloquitur:

Da, precor, huic aliquem, ſolatia mortis, honorem,
Summe Deum rector: maternaque vulnera leni.
Iupiter annuerat, cum Memnonis arduus alto
Corruit igne rogus: nigrique volumina fumi
Infecere diem. Veluti cum flumina natas
Exhalant nebulas, nec Sol admittitur infra.
Atra fauilla volat: glomerataque corpus in vnum
Denſatur; faciemque capit: ſumitque calorem,

Atque

* QVINTVS SMYRNAEVS *Paralipom.* Lib. II. v. 548.

Atque animam ex igni: Levitas ſua praebuit alas.
Et primo ſimilis volucri, mox vero volucris
Inſonuit pennis. Pariter ſonuere ſorores
Innumerae; quibus eſt eadem natalis origo.

Non difficile erit lectori ſagaci perſpicere, OVIDIVM in his tradere voluiſſe originem auium Memnoniarum, quas Veteres fingebant ad tumulum Memnonis quotannis ſpectaculum edere, quod etiam Poëta in ſequentibus deſcribit. Auroram vero ipſam fabulantur funus filii ſui quotidiano luctu proſequi. Tangit et hoc OVIDIVS Libro illo eodem v. 621.

Luctibus eſt Aurora ſuis intenta; piasque
Nunc quoque dat lachrymas: et toto rorat in orbe.

Et ex noſtro Poëta id mutuo videtur ſumſiſſe SERVIVS, qui ad VIRGILII Lib. I. Aen. 493. ſcribit. *Memnon congreſſus cum Achille, ab eo eſt interemtus, cuius mortem mater Aurora hodieque rore matutino flere videtur.* Erant et qui talem fabulam ſpargerent, Memnonem aut potius effigiem eius ſaxeam in Thebaide, Sole oriente, matrem Auroram laeto ſalutaſſe cantu, poſt Solis vero occaſum, flebilem edidiſſe planctum. Id vero nihil aliud eſſe, quam fictionem poëticam, veritate omni deſtitutam, oſtendemus Syntagmate III. cap. IV. Non vero Aurorae tantum, Memnonis matri; ſed et reliquis Diis, memoriam eius tam charam fuiſſe ferunt, * vt ex decreto Iouis, diem, quo manu Achillis occubuerat, anniuerſario luctu et ieiunio celebrauerint. De luctu Himerae vel Hemerae, Sororis Memnonis, quo fratris ſui funus proſecuta eſt, quaedam habet DICTYS *Cretenſis* Lib. VI. c. 10. quae apud ipſum legi malim. Eſt quoque fabula haud dubie graecanica, etſi ad Memnonem Aegyptium translata, quam DEMETRIVS in libris rerum Aegyptiacarum ſcriptam reliquit. Refert nempe, ** circa Abydon, vrbem Thebaidis, naſci ſpinam arborem, de qua hanc Aegyptii fabulam vulgauerint: Aethiopes a Tithono miſſos Troiam, cum Memnonem audiuiſſent interiiſſe, illic loci coronas abieciſſe in ſpi-

* Vide ſupra cap. I. §. 5.

** Apud ATHENAEVM Lib. XV. p. 680. In graeco legitur περὶ Ἄβυλον. Sed recte viri docti correxere Ἄβυδον. Vide BERKELIVM ad Stephani Ἐθνικὰ, voce Ἄβυδος.

ſpinas, ideoque *** ramos earum floribus onuſtos, coronis eſſe ſimiles. STRABO Lib. XVII. p. 559. meminit etiam arboris huius circa Abydon, vbi eſſet Memnonis regia; ſed fabulam illam inſuper habet, eamque ſilentio inuoluit. Neque vllus dubito, quin a Graecis fuerit excogitata in honorem ſui Memnonis. De honoribus diuinis Memnoni, tum in Aſſyria, tum in Aethiopia, decretis, quaedam tetigimus cap. II. §. 6.

§. 4. Singularia vero quam maxime ſunt, quae de auibus Memnoniis, heroi huic quotannis ad Monumentum eius parentantibus, veteres, eosque inter Scriptores graues multaque laude merito cumulati, memoriae prodere veriti non ſunt. Originem harum auium fabuloſam ex OVIDIO dedimus §. 3. Nunc quidnam illae in honorem Memnonis agere quotannis conſueuerint, ex eodem accipe. *De auibus Memnoniis veterum fabulae.*

Terque rogum luſtrant: et conſonus exit in auras
Ter clangor. Quarto ſeducunt caſtra volatu.
Tum duo diuerſa populi de parte feroces
Bella gerunt: roſtrisque et aduncis vnguibus iras
Exercent; alasque adverſaque pectora laſſant.
Inferiaeque cadunt cineri cognata ſepulto
Corpora: ſeque viro forti meminere creatas.
Praepetibus ſubitis nomen facit auctor; ab illo
Memnonides dictae, cum Sol duodena peregit
Signa, parentali perituræ Marte rebellant.

Idem Poëta *Amorum* Lib. I. Eleg. XIII. Auroram ſic compellat

Quo properas Aurora? mane. Sic Memnonis vmbris
Annua ſolenni caede parentet auis.

Totam hanc de iſtis auibus fabulam paulo prolixius hunc ad modum narrat AELIANVS *de Animal.* Lib. V. c. I. *Terram Parianorum* (in Aſia minori, non ita longe a Troia) *et vicinam Cyzicum aues aſpectu nigras incolere ferunt, quae figura corporis et forma accipitribus ſimiles eſſe videntur: eae vſu carnium cum ſe abſtinent, tum in omni victus ratione ſe continent. Eis enim ad cibum ſemina ſunt.*

 Quum

*** Idem quoque de ſpina Aegyptiaca obſeruant THEOPHRASTVS *hiſt. Plantar.* Lib. IV. c. 3. PLINIVS Lib. XIII. c. 9.

Quum autumnus eſſe coepit, Ilium gregatim aduolant. Eas autem idcirco Memnonias vocant, quod recta ad Memnonis ſepulchrum proficiſcantur. Id enim vel etiam nunc a Troadis incolis in honorem Memnonis, Aurorae filii, conditum ibi fuiſſe dicitur. Aues igitur Memnoni cognomines quotannis eo proficiſci ferunt, ibique primum in contrarias partes diſtrahi, deinde pugnam committere: eamque ſumma contentione tam diu pugnare, dum ex his dimidia pars pereat, altera vero victrix redeat, vnde diſceſſerat. In pauciora haec PLINIVS ſic contrahit, Lib. X. c. 26. *Auctores ſunt, omnibus annis aduolare Ilium ex Aethiopia aues, et confligere ad Memnonis tumulum, quas ob id Memnonidas vocant.* Deinde vero et iſta addit. *Hoc idem quinto quoque anno facere eas in Aethiopia, circa regiam Memnonis, exploratum ſibi Cremutius tradit.* Similia ſunt his, quae ex PLINIO, pro more deſcripſit SOLINVS in *Polyhiſtore* cap. XLIII. Vidimus ſupra §. 3. ex OVIDIO, volucres has Memnonis, ſic enim fingebant Graeci, exiiſſe ex buſto Memnonis, hancque extitiſſe earum originem, Aliam earundem volucrium originem, priori non multum abſimilem, commemorat SERVIVS, ad Aeneid. I. 755. in haec verba: *Memnon in tanto honore apud ſuos Socios fuit, vt poſt eius mortem, cum eum nimium deflerent, miſeratione Deorum in aues conuerſi dicantur, et quotannis venire ad tumulum eius, et ibi lamentatione et fletibus ſe dilacerare, donec aliquantae ibi moriantur.* Eandem plane fabulam reperies etiam apud QVINTVM SMYRNAEVM, Lib. II. 642. &c. Et haec ſunt Beneuole Lector, quae de Memnone Graeco veteres paſſim tradidere.

Diſſeremus iam nunc de Aegyptio.

De Memnone SYNTAGMA II.

Quod eſt

De Memnone Aegyptio, ſiue Amenophi.

CAPVT I.

De nomine Memnonis Aegyptii, Amenophi.

Memnonis Aegyptii Statuam primus memorauit Herodotus. §. 1. Nomine eodem Memnonis vſi etiam ſunt Scriptores ſequiores. §. 2. Ipſis vero Aegyptiis Statua illa dicebatur Amenophis. §. 3. De cauſa ob quam Graeci Amenophin ſemper dixerint Memnonem. Aliorum proponuntur coniectu-rae. §. 4. Coniectura de re eadem noſtra adfertur. §. 5. Interpretatio nominis Aegyptiaci Amenophis. §. 6. De cognominibus Amenophis huius quaedam adduntur. §. 7.

§. 1.

Memnonem regem hiſtoria Aegyptiorum priſca penitus ignorat. Erat autem in Thebaide, prope Dioſpolin, ſiue Thebas Aegyptias, Statua Coloſſea longe celeberrima, de qua plura dicemus Synt. III. quam Graeci vocant Statuam Memnonis. Et illi Memnoni ſolent attribuere Graeci, quae ex eorum relationibus Syntagmate primo expoſuimus. Primus qui Statuae huius inclytae mentionem fecit, eamque Memnonis vocauit, eſt, ſi recte coniicio, eſt HERODOTVS, etſi viros eruditos, qui de Statua hac diſſeruere, quorumque obſeruationes oculis meis vſurpaui, loci Herodotei rationem habuiſſe non deprehenderim. Verba HERODOTI Lib. II. c. 106. id ſonant. *Columnae vero, quas in variis regionibus rex Aegypti Se-ſoſtris*

Memnonis Aegyptii Statuam primus memorauit Herodotus.

ſoſtris erexit, pleraeque incolumes iam non ſuperſunt. Quasdam in Syria Palaeſtina ipſe vidi inſcriptas, tum quibus dixi literis, tum muliebribus genitalibus. Circa Ioniam quoque duae huius viri (Seſoſtris) *figurae viſuntur in petris inciſae. — In earum vtraque inſculptus eſt vir magnitudine quinum palmorum, dextra ſpiculum tenens, ſiniſtra arcum, ceteramque item armaturam, et Aegyptiacam et Aethiopicam geſtans. Ex altera vero ad alterum humerum ſuper pectus euntes ſacrae literae Aegyptiacae ſunt inſculptae in haec verba:* HANC EGO REGIONEM MEIS OBTINVI HVMERIS. *Quis tamen ille aut cuias fuerit, ibi quidem non ſignificatur; ego vero alibi declaraui. Quidam vero ex illis, qui figuras has ſunt conſpicati,* MEMNONIS *imaginem eſſe coniectant* (Μέμνονος εἰκόνα εἰκάζουσί μιν) *multum a veritate deflectentes.* Nemini dubium eſſe poteſt, quin ſermo hic ſit de Memnone illo Aegyptio, cuius Statua Thebis erecta, omnium oculis patebat, omnibusque nota erat, etſi HERODOTVS Statuae huius, vbi de rebus Thebaeorum agit, mentionem omnino fecerit nullam. Sed animaduerſione noſtra indignum non eſt, Statuam Memnonis in Thebaide, a quibusdam appellari conſueviſſe Seſoſtris, quod videbimus §. 7. ſicuti figuram Seſoſtris in Ionia a nonnullis Memnoni attributam fuiſſe, ex HERODOTO intelligimus.

Nomine eodem Memnonis, Scriptores etiam ſequiores vſi ſunt.

§. 2. Poſt HERODOTVM, Scriptores Graeci Romanique, tantum non omnes, illum cuius Statua admiranda Thebis viſenda erat, nominant *Memnonem.* Sic PAVSANIAS in *Atticis* de ea loquens p. 101. *Thebis Aegyptiis trans Nilum ſpectaui Statuam ſedentis hominis. Eam vulgo Memnonis eſſe dicunt.* Et IVVENALIS Sat. XV. v. 5.

Dimidio magicae reſonant vbi Memnone chordae,
Atque vetus Thebe centum iacet obruta portis.

Conſimiliter PLINIVS Lib. XXXVI. c. 7. *Non abſimilis illi narratur Thebis, in delubro Serapis, vt putant, Memnonis Statua dicatus.* Et TACITVS *Annal.* Lib. II. c. 61. *Aliis quoque miraculis intendit animum, quorum praecipua fuere Memnonis ſaxea effigies — disiectasque inter et vix peruias arenas inſtar montium eductae Pyramides.* De eadem Statua loquens PHILOSTRATVS *de vita Apollonii Tyanei*, Lib. VI. c. 3. *Ipſius vero Memnonis Statua*, inquit, *adoleſcentis impuberis imaginem, referens, ad Solis radios conuerſa eſt.* Et ſic aliis quoque in locis. Quid opus eſt pluribus teſtimoniis, quorum

rum nonnulla etiam in ſequentibus adducemus? In ipſa Memnonis Statua hodieque leguntur quaedam Epigrammata graeca in Memnonem, ex quibus illud ex parte tantum adſcribo, quod in Syntagmate I. iam dedi.

Ζώειν, εἰναλίη Θέτι, Μέμνονα χ᾽ ἀδέα φωνεῖν
Μάνθαν᾽, ἐπὶ Τροίης ἄλλοκ᾽ ἀπολλύμενον,
Αἰγύπτȣ, Λιβυκῆσιν ὑπ᾽ ὀφρύσιν, ȣ̈ ἀποτάμνει
Καλλίπυλον Θήβην Νεῖλος ἐλαυνόμενος.

Viuere, marina Theti, Memnona et ſuauiter ſonare
Diſce, ad Troiam quondam occiſum:
Aegypti Libycis ſub tumulis, vbi abſcindit
Pulchras portas habentem Theben, Nilus incitatus.

Plena eſt Statua eadem Inſcriptionum tum graecarum tum latinarum, in quibus ſemper nominatur *Memnon*, illudque toties legitur: *Audiui Memnonem.* Vide infra Synt. III. cap. IV. Quod videtur argumento eſſe, in ipſa Aegypto, a Graecis, Statuam illam alii, quam *Memnoni*, tribui non conſueuiſſe.

§. 3. Verum enim vero, quod modo verbo tetigi, qui Inſcriptiones illas in Coloſſo Memnonio inſculpi curarunt, Graeci fuerunt et Romani, haudquaquam Aegyptii, neque antiquae ipſorum diſciplinae alumni. Inter omnes illas, quas a ſe deſcriptas, RICH. POCOKIVS Operi praeclaro inſeruit, nullam inuenire potui, quae dominatione Romanorum in Aegypto antiquior cenſeri merito debeat. Quaedam aetatem prae ſe ferunt Domitiani, pleraeque Hadriani. Solent ceteroquin meliores Scriptores, vbi de Statua Memnonis loquuntur, ſubdubitare, ſitne illa vere Memnonis, an vero alio potius nomine inſignienda. STRABO, qui coloſſum hunc vidit ipſe, et cui accurata illius deſcriptio in acceptis ferenda eſt, p. 561. Edit. Geneu. maluit ipſi nullum, quam *Memnonis* nomen imponere. Verba eius infra dabimus. PLINIVS Statuam illam ait eſſe *Memnonis, vt putant*, §. 2. PAVSANIAS adductus pariter, §. 2. de eadem ſimili modo pronuntiat. Μέμνονα ὀνομάζȣσιν οἱ πολλοί. *Memnonem eum vocat multitudo*, vel *vulgus*, ſubinnuens graecos, ſiue patria, ſiue ſtudiis, qui tum in Aegypto vbique praeualebant, quibusque opponit indigenas Aegyptios. Et mox iſthanc ſubiungit rationem. *At ipſi Thebani Memnonem hunc eſſe negant: nam Phamenophem fuiſſe indigenam hominem*

Ipſi vero in Aegypto indigenae, Statuam illam dicebant eſſe Amenophis.

minem dicunt. Statuam igitur illam, quam Graeci dicebant *Memnonis*, Aegyptii, quibus *Memnonis* nomen ignotum erat, nuncupabant *Phamenophin*, vbi memento, *ph* nihil aliud eſſe, quam notam generis maſculini. Quem PAVSANIAS vocat *Phamenophem*, ob rationem allatam, alii abiecta nota maſculini generis, *Amenophem* appellant. Ita nomen hoc ſcribitur in *Chronico*, *Alexandrino*, vel *Paſchali*, p. 338. Edit. Raderi. Καμβύσης τὸν Ἀμμένοφιν, ὅς Μέμνων νομιζόμενος εἶναι λίθος, καὶ φθεγγόμενος, Τέμνει. Vbi legendum videtur: ὅς Μέμνον νομίζιται εἶναι, καὶ φθεγγόμενος λίθος. *Cambyſes Amenophin, quem putant eſſe Memnonem, lapidem ſcilicet vocalem, in medio ſecari iubet.* Auctor iſte deſumſiſſe haec videtur ex EVSEBIO, ex quo verbis fere iisdem ea etiam repetit SYNCELLVS in *Chronographia* p. 72. et 151. Οὗτος ὁ Ἀμενῶφθις ἐστὶν, ὁ Μέμνων εἶναι νομιζόμενος, καὶ φθεγγόμενος λίθος. *Hic Amenophis exiſtimatur eſſe Memnon, lapis ille loquens, et ſonum* quotidie *edens.* In *Euſebianis* SCALIGERI graecis, eadem habentur p. 16. niſi quod ibi ex emendatione SCALIGERI legatur Ἀμένωφις, recte prorſus, ita enim nomen illud plerumque ſcriptum deprehenditur. In EVSEBII *Chronico* latino, Libro poſteriori, num. CCCC. p. 72. illa ſic redduntur. *Hic eſt Amenophis, quem quidam Memnonem putant, lapidem loquentem.* Hinc ſine dubio deſcripſit FRECVLPHVS *Lexouienſis*, quae *Chronici* Tom. I. Lib. II. cap. V. leguntur. *Hic eſt Amenophis, quem quidam Menonem* (lege Memnonem) *putant, lapidem loquentem.* Idem quoque docet *Epigramma* graecum, quod in Statua Memnonis Coloſſea etiamnum extat, et a RICH. POCOCKIO corrupte admodum editum eſt. Eius initium ex emendatione * IACOBI PHILIPPI D' ORVILLII, hic apponendum eſſe duxi.

Ἔκλυον αὐδήσαντος ἐγὼ Πόβλιος Βαλβῖνος,
Φωνὰς τὰς θείας Μέμνονος ἢ Φαμενώφ.
Ego Publius Balbinus audiui loquentis
Memnonis, ſiue Phamenoph, diuinas voces.

Idem igitur erat ſecundum Epigrammatis huius auctorem, *Memnon* et *Phamenoph* (vel *Phamenophis*, vel etiam *Amenophis.*) *Memnonem* dicebant Graeci, *Amenophin* Aegyptii. In hiſtoria Aegyptiaca, ** vti eam

* *Animaduerſion.* in Charitonem Aphrodiſienſem p. 531.

** Praeter MANETHONEM, regis huius mentionem quoque fecerat CHAEREMON in *hiſtoria Aegyptiaca*, apud IOSEPHVM Lib. I. contra Apion. §. 32.

eam deſcripſit MANETHO, * plures occurrunt reges, qui nomen *Amenophis* geſſerunt. Dubitari ergo nequit, fuiſſe nomen hoc inter Aegyptios familiare ſatis et commune. Fueritne vero inter illos reges etiam is, cui Statua Coloſſea in Thebaide, quae *Amenophis* nomen geſſit, dedicata erat, non praeter rationem addubito. Sed de hoc argumento infra diſputabitur.

Cur Amenophin Graeci ſemper dixerint Memnonem, aliorum coniecturae proponuntur.

§. 4. Quaeri hic non abs re poteſt, qui tandem factum ſit, vt *Amenophin* Aegyptium, Graeci de eo loquentes, ſemper nuncupauerint *Memnonem*. Ignotum non eſſe auguror, variis hac in re eruditos coniecturis indulſiſſe, quarum nonnullas adferre non pigebit. Illuſtris MARSHAMVS, qui de Amenophi copioſe et erudite diſſerit, quique eum ** *eſſe illum Graecorum Memnonem* contendit, *qui Suſis Phrygibusque imperauit*, in tales incidit cogitationes. *** *Phamenophis, ſiue Amenophis Thebanis is eſt, qui Graecis Memnon. Nomen ex* Menis, *primi regis nomine componi videtur.* Mennoph *Graecis euphoniae cauſa* Mennon, *ſiue* Memnon. *Ceterum obſcura eſt Aegyptiorum nominum ratio.* Poſtremum hoc vere et recte monuit vir Antiquitatis omnis peritiſſimus, et proprio exemplo ſatis hic oſtendit, quam periculoſae plenum opus aleae illi ſuſcipiant, quotque erroribus ſe ipſos inutiliter exponant, qui ex linguis ſibi ignotis, nominum deriuationes tradere et explicare nituntur. Quis facile ſibi perſuaderi ſinet, a *Mene* deriuatum eſſe *Amenophis*, et ex *Amenophis* factum eſſe *Memnonem?* Certe qui linguae Aegyptiacae aliquam notitiam ſibi comparavit, non poterit non prima fronte intelligere, quantopere nomina haec a ſe inuicem differant. Multa dici hic poſſent; ſed a quibus libens abſtineo. Illud tantum verbulo tangam, *Menem*, et *Amenophin*, eſſe quidem vocabula linguae Aegyptiacae genuina; ſed quorum ſignificatio vehementer a ſe inuicem differt; *Memnonem* vero nomen eſſe Graecis proprium, ex horum lingua formatum, et ex ea tantum explicandum. Neque etiam nomen iſtud in Graecorum hiſtoria infrequenter occurrit. *Memnonis* hiſtoria Heracleae vrbis ad Pontum Euxinum, veteribus in pretio fuit, ex qua excerpta nobis reliquit PHOTIVS. In hiſtoria rerum ab Alexandro M. geſtarum, magnum eſt nomen *Memno-*

* Vide IOSEPHVM Lib. I. p. 446. 447. 460. 461. 463. Adde SYNCELLVM p. 70. 71. 72. 73. 74.
** Canone Chronico ad Sec. XV. p. 424.
*** Ibidem p. 425.

Memnonis Rhodii, quem Darius Codomannus claſſi ſuae et orae maritimae, quae reſpicit mare mediterraneum, praefecerat. In bello Troiano, ſtabat a Troianorum partibus *Memnon*, de quo in Syntagmate I. ſatis diximus; aduerſus eosdem vero dimicabat *Agamemnon*, dux exercitus Graecorum, cuius nomen ex *Memnonis* nomine deriuatum eſt. Etenim * Μέμνων graecis dicitur ἀνδρεῖος, *fortis*, *virtute* et *robore virili praeditus*, vnde eſt ἀγαμέμνων, *valde fortis*. *Memnon* ergo cum *Amenophi*, commune plane nihil habet. Prius ignorabant Aegyptii, poſterius Graeci. Paulo alio modo rem aggreditur IAC. PERIZONIVS. Audiamus et eum, rationes ſic colligentem. ** *Videtur tempore belli Troiani* Proteus, *ſiue* Sethos, *ſiue* Keten, *ſiue etiam* Tithonus, *vt mox dicemus*, *celebris Aegypti rex extitiſſe*, *vt et eius filius* Rhamſis, *vel* Ramſinitus: Ammenemes *autem et* Thuoris, *ſeu apud Graecos* Memnon *et* Thonis, *fuiſſe primum Duces illorum regum*, *at dein reges: Haec autem nomina* Amenophis, *et* Amenemmes, *videntur Graeci confudiſſe in vnum ſuae linguae nomen* Memnon, *de quo nunc agendum.* Et aliquanto poſt. *Quia* Memnonis *nomini propius etiam eſt* Ammenemmis *nomen idque in regibus Dynaſtiae* XIX. *ad cuius tempus referendum omnino videtur bellum Troianum*, *occurrit*, *vero congruens ſic ſatis mihi videtur*, Memnonis *nomen apud Graecos inde ortum.* Tanti eſt acumine ingenii pollere! Quae non hic annotanda mihi forent, ſi omnia minutatim perſequi vellem? Sed valeant haec nunc. Ceterum quae de coniectura MARSHAMI dicenda mihi erant, de hac vltima PERIZONII, repetere etſi inuitum oportet. Haec poſterior plus praeſidii, neque in ſermone neque in hiſtoria Aegyptiorum inuenit, quam prior.

Coniectura de eadem re noſtra adfertur.

§. 5. Quantumuis autem ea, quae ex obſeruationibus virorum merito ſuo celeberrimorum attuli, mihi, et opinor aliis etiam, rem aequa lance expendentibus, parum ſatisfaciant, ideoque reiecerim, neſcio tamen, poſſimne lectori aliquid offerre, approbatione ipſius et ſuffragio dignius. Suſpicor tamen, rei huius cauſam, quod *Amenophis* Aegyptii Coloſſum, Graeci dixerint *Memnonis*, ab HOMERO eſſe repetendam. Dubitari vix poſſe crediderim, vixiſſe belli Troiani tempore, heroëm aliquem, *Memnonis* nomine inſignitum, potentem, rebusque bellicis clarum, qui imperium verſus plagas Orientis protulerit,

* EVSTATHIVS in Homeri Iliad. E. p. 591.

** *Origin. Aegypt.* cap. XV. p. 242.

ierit, arcemque vrbis Suſianae condiderit, poſtea Troianis auxilio venerit, et poſt res praeclare geſtas, manu Achillis illic occubuerit. Tradunt hoc Poëtae, Hiſtorici, Oratores, Grammatici, et qui non? Neque hactenus rationem prolatam a quoquam vidi idoneam, cur hac in re teſtimoniis veterum fidem denegare debeam. Illius ſemel iterumque HOMERVM inieciſſe mentionem, monuimus Synt. I. cap. III. §. 1. Quando autem Poëta heroem hunc vocat Ἠοῦς υἱὸν, *filium Aurorae*, Odyſſ. Δ. 188. in locutione ambigua ludere mihi videtur. Nam quia *Aurorae* nomine, * deſignari etiam ſolet *plaga Orientalis*, commode per *filium Aurorae* Poëta ſubinnuere potuit *virum orientalem*, ex partibus nempe Orientis Troiam profectum, ſicuti in Scriptura בני קדם, *filii Orientis*, non raro dicuntur incolae regionis ad Orientem ſitae. Et fuerunt inter veteres, ** auctores non ſpernendi, qui HOMERI locutionem hunc ad modum exponerent. Fuitque haec forte vera ratio, quod *** permulti olim Memnonem hunc ex Aſſyria, viciniſque Orientis tractibus, Troiam veniſſe contenderent, quodque *Suſa*, inclytam illius regionis vrbem, *Memnonia* dicere conſueuerint. Verum ſi † Homerus gente Aegyptius fuit, et in ipſa Thebaide natus, quod †† Scriptor quidam vetus, eadem Patria ſatus, affirmat, aut ſi, quod aliis placet, in Aegypto peregrinatus eſt, a veri ſpecie non abhorret, eum, quando *Memnonem* dixit *Aurorae filium*, habuiſſe in animo Coloſſum Thebaeum, qui vna cum Sole oriente, vocem emittebat, eoque Auroram vel Diem, matrem ſuam, ſalutare ab Aegyptiis perhibebatur. Et quia Aurorae ille vel Diei filius, in Thebaide, ſiue Aethiopia Aegyptiaca, Graecis ab eo tempore ignotus non fuit, HOMERVS vero *Memnonem* Troianum, *Aurorae filium* celebrauit, Graeci id quod verbis ambiguis Poëta de Orientali Memnone dixerat, de Aethiope vel Aegyptio acceperunt, ideoque Memnoni ſuo, patriam vt plurimum vindicarunt Aethiopiam. Ex eodem fonte dimanaſſe credo, quod, cum in Graecorum fabulis, Aurora et cum Cephalo,

 et

* Vide ſupra *Synt.* I. cap. I. §. 2.
** Vide ſupra loc. cit.
*** Vide ibid. §. 5.
† CLEMENS *Alexandrinus*, *Stromat.* Lib. p. 302. HELIODORVS *Aethiop.* Lib. III. p. 149. ALEXANDER *Paphius*, apud EVSTATHIVM in Odyſſ. Lib. M. p. 1713.
†† OLYMPIODORVS hiſtoricus, apud PHOTIVM in *Biblioth.* Cod. LXXX. p. 191.

et cum Tithono conſueuiſſe perhibeatur, Memnoni *Aurorae filio* pater tributus fuerit Tithonus. Tithonum enim narrant Priami fuiſſe fratrem, ſicque ratio iam conſtat, quamobrem Priamo patruo ſuo, Memnon auxilium tulerit. Hinc denique factum reor, vt multa ad Memnonem Troianum, vel Orientalem referentur, quae recte explicata, nonniſi in Aegyptio Thebaeo locum habent. Verum ſi haec ita ſunt, vti dixi, qua ratione tandem eueniſſe dicemus, vt HOMERVS loquens de *Memnone Aſſyrio*, vel *Troiano*, ad hunc, locutione ſaltem ambigua, quae Poëtis ſecutis fucum fecit, ea retulerit, quae *Aegyptio* ſunt propria? Dicere poſſumus, penes HOMERVM forte culpam fuiſſe nullam. Quando enim *Memnonem* nuncupauit *Aurorae filium*, quid nos credere vetat, eum nonniſi hoc ſubinnuiſſe, heroëm illum ex *Orientis partibus* in regionem Troianam delatum fuiſſe. Fieri facillime potuit, vt, qui ipſum ſecuti ſunt, locutionis huius verum ſenſum haud aſſequerentur, iſteque eorum error, fabulam decantatam de Memnone, Tithoni et Aurorae filio nobis pepererit. Quod ſi vero Poëtarum Princeps, *Memnonem* Troianum, *Aurorae filium* vocans, digitum intendit in Coloſſum Thebaeum, quem in Patria viderat, quemque *Aurorae* vel Diei filium vulgo appellari nouerat, in quo abſurdi nihil video, lingua Aegyptiaca, * cuius non plane ignarus fuiſſe videtur, fictionem hanc Poëticam ſuggerere ipſi potuit. Sermone Aegyptiorum ⲱⲛⲓ (*Oni*) dicitur *lapis*, et ⲛⲱⲛⲓ (*Noni* vel *Enoni*) *lapideus*. In caſu quarto, ⲙ̀ⲛⲱⲛⲓ (*Menoni*, vel *Emenoni*) dicebant *lapideum*, ſubintellige *coloſſum*, vel *lapideam Statuam*. Probabile eſt, vulgum de coloſſo hoc loquentem, eum communi ſermonis vſu dixiſſe *Emnoni*, vel ** *Menoni*, id eſt *lapideam*, ſcilicet *Statuam*, quam TACITVS conſimiliter *Annal.* Lib. II. c. 61. *ſaxeam effigiem* vocat, quod plane eodem redit. Auguror itaque, HOMERVM, vbi de *Memnone* orientali loqui volebat, recordatum fuiſſe coloſſi ſui Thebaei, qui vulgo, nomine, ad illud *Memonis* accedente, inſigniri ſoleret, eaque de cauſa Troianum locutione ambigua et fallace, dixiſſe *Aurorae filium*, eoque figmentis Poëtarum aliorum,

* Vide *Prolegomena* ad *Pantheon* noſtrum, §. LV. p. CXXVII.

** Nonnunquam Memnonis nomen ſcriptum reperitur *Menon*. Exempla habes capite hoc, §. 3. &c.

aliorum, de *Memnone Aethiope*, Tithoni et Aurorae filio, occaſionem ſubminiſtraſſe.

§. 6. Sed e diuerticulo in viam redeo, ad *Amenophin* Aegyptium. Nominis huius originationes attuli, §. 4. quas parum habere veroſimilitudinis, fatebuntur credo omnes rerum iuſti et aequi aeſtimatores. Verum quandoquidem rem hanc tetigi, eaque ad argumentum, quod hic ornandum in me ſuſcepi, vtique ſpectat, exponam quae mihi verior videatur nominis huius interpretatio. Erat cum coniicerem, *Amenophis*, literis Copticis ſcriptum, ſonare ⲀⲘⲞⲨⲚ-ⲚⲞϨ-ϤⲒ, *Amun-noh-phi*, idque interpretor *cuſtodem vrbis Thebarum*. Norunt eruditi, priſcum genuinumque vrbis Thebarum nomen Aegyptium, fuiſſe *Amun-noh*. In Textu hebraico librorum Veteris Teſtamenti legimus * אמון נא, *Amun*, vel *Amon-no*, et ** המון נא *Hamun-no*, vti et *** נא אמון, *No-Amun*, idque interpretes Alexandrini perquam commode reddunt, loco poſtremo, μερίδα Ἀμμὼν, id eſt *portionem* vel *poſſeſſionem Ammonis*. Scriptores Graeci exotici, vrbem eam vocant Διόσπολιν, *vrbem Iouis*, ſcilicet *Ammonis*, et has ſequuntur interpretes etiam Alexandrini, *Ezech*. XXX. 16. Nam † *Amun* Aegyptiis nomen eſt Diuinitatis, quam Graeci Δία, *Iouem* interpretantur. ⲚⲞϨ, *(noh)* vero certam et *demenſam poſſeſſionem* ſignificat, vnde oportet deducere vocem νομὸς, ita Aegyptii appellabant certam regionis ſuae partem, vel, vt Latini loquuntur, *Praefecturam*, quod pluribus nunc perſequi, prolixum nimis foret. ϤⲒ, *(phi)* denique, ſermone Aegyptiorum dicitur τηρεῖν, *ſeruare*, *cuſtodire*. Ex ea ratione obſeruauimus quondam †† *Vulcanum*, Princeps Aegyptiorum Numen, in Theologia gentis huius dici conſueuiſſe ⲬⲎⲘⲒ-ϤⲒ, *Chami-phi*, vel ⲔⲎⲘⲈ-ϤⲒ, *Came-phi*, *Cuſtodem Aegypti*. Conſimili ſane ratione, *Amenophin* interpretari nobis licebit *Amun-noh-phi*, ſiue *Cuſtodem Thebarum Aegyptiarum*. Eſt enim credibile, Thebaeos Aegyptios, *Amenophin*, ceu vrbis ſuae ſeruato-

Interpretatio nominis Aegyptii Amenophis, tentatur.

 rem

* *Ieremiae* XLVI. 25.
** *Ezechiel*. XXX. 15.
*** *Nahumi* III. 8.
† Videri poteſt *Pantheon* noſtrum Lib. II. cap. II.
†† In *Pantheo* Lib. I. cap. IV. §. 9.

rem et cuſtodem reueritos fuiſſe. Teſtatur id inſcriptio graeca, quae in Coloſſo Memnonio viſenda, a POCOCKIO edita eſt, quamuis iniuria temporis non leuiter corrupta. Haec tamen ex vocibus valde inquinatis eruere licuit. ΕΦΘΕΓΞΑΤΟ ΜΕΜΝΩΝ ΘΗΒΑΙΩΝ ΠΡΟΜΑΧΟΣ. *Sonum dedit Memnon Thebaeorum Propugnator.* Id certe Aegyptiace ſonat *Amun-noh-phi.* Venit et alia nominis huius interpretatio in mentem; ſed quam ſequentibus reſeruo, vbi de Statua Memnonis diſſerendum mihi erit, Synt. III. cap. VI.

De cognominibus Amenophis Aegyptii.

§. 7. Nomen, quod nunc excuſſimus, *Amenophis*, eſt veluti proprium *Memnonis* Aegyptiorum. Sed illum tamen aliis etiam nominibus, quae poſſis dicere *appellatiua*, vel *cognomina*, inſignitum fuiſſe, deprehendimus. Ad illa refero nomen *Memnon*, non graecum, de quo diximus §. 4. quodque ibidem ſumus interpretati; verum Aegyptium, quo Thebaidis incolae *coloſſum* ſuum ſaxeum ſolebant cognominare, §. 5. Aliud Amenophi noſtro ab Aegyptiis impoſitum nomen erat *Oſymandes*, vel *Oſymandyas*, quod ex HECATAEO *Abderita*, DIODORVS *Siculus* memoriae prodidit Lib. I. p. 44. Perbene profecto animaduertit MARSHAMVS ex STRABONE, qui eum *Iſmanden* appellat, hunc ab *Amenophi*, ſiue *Memnone*, re ipſa non differre. Idque ex DIODORO recte lecto et intellecto, facile poteſt confirmari. Sed audiamus MARSHAMVM, quia eadem opera, *Memnonis* quoque et *Oſymandyae* nomina Aegyptiaca illuſtrare annifus eſt. * *Porro*, inquit, *Amenophis hic ſiue Memnon, qui Straboni eſt Iſmandes, et Imandes, Hecataeo dicitur Oſimandes, hoc forſitan ab Oſiride, illud ab Iſide nomen.* Opportune vir idem illuſtris, quod iam monuimus §. 4. in ſuperioribus obſeruauerat, *obſcuram eſſe Aegyptiorum nominum rationem*, quare vehementer optauerim, vt ab explicandis obſcuris huius generis nominibus, potius abſtinuiſſet. Id enim negotium, neque hic, neque vſpiam alibi, feliciter ipſi ceſſit. Verum id recte omnino peruidit, *Oſymanden*, et *Amenophin*, ſiue *Memnonem*, nomina eſſe, quae ad vnum eundemque Coloſſum Thebaeum referri debent, illique ab Aegyptiis impoſita ſunt. Idque ipſum in Syntagmate III. ex vetuſto Aegyptiorum ſermone, luculenter confirmabimus. Denique et *Seſoſtris* nomine condecoratum fuiſſe a nonnullis *Amenophin*, teſtimonio Scriptoris magni nominis nititur. Conceptis namque verbis id teſtatur PAVSANIAS, curioſus Coloſſi

Thebaei

* In *Canone Chronico* p. 427.

Thebaei ſpectator, quique quae de eo tradit, ab accolis accepit. Is poſtquam obſeruaſſet, eum, quem *Memnonem* vocarent Graeci, ab indigenis nuncupari *Amenophin*, §. 2. 3. iſta ſubiungit. *Audiui etiam, qui Seſoſtris illam Statuam eſſe dicerent.* Nemo vero ſibi perſuadeat, intelligi hic *Seſoſtrin*, inclytum illum regem Aegypti, omnium gentium ſermonibus celebratum. Id enim ſi eſſet, nemini in tota Aegypto res huius indolis obſcura et ignota eſſe potuiſſet. Etenim inter reges omnes, qui Aegyptiis vnquam imperarunt, non eſt quisquam illuſtrior, cuiusque memoria charior exiſteret omnibus, Seſoſtri. Coloſſus porro ille Thebaeus, a primis inde temporibus, in tanta fuit vbique exiſtimatione, * vt inter admiranda Aegypti, numeratus ſemper fuerit. Et cum Aegyptii rerum inſigniorum omnium memoriam tam ſollicite cuſtodiuerint, et ſaxis adeo inſculpi curauerint, quomodo res huius generis obliuioni mandari, aut ſequiori aeuo in dubium vocari potuiſſet? Et tamen nouimus, Statuam illam communiter, ab omnibus dictam fuiſſe *Amenophis*, et paucos tantum quosdam eam *Seſoſtris* nuncupaſſe. Facit hoc, vt ſuſpicer, nomen *Seſoſtris*, hic non eſſe nomen alicuius viri proprium; ſed appellatiuum. Memini, aliquando beatum LA CROZIVM, cum de rebus geſtis magni Seſoſtris confabularemur, nomen Seſoſtris ita interpretatum eſſe, ϭⲥ-ⲟⲩϣⲧ-ⲣⲏ, *(Sois* vel *Siſ-oſtre)* quo ſignificatur κύριος προσκυνῶν τὸν ἥλιον, *Dominus adorans Solem*, idque poſtea in Miſcellaneis, manu eius exaratis, quorum, ſub nomine *La Crozianorum*, editionem in me ſuſcepi, ſcriptum inueni. Hoc nomine vero, etiam Statua Amenophis quam optime compellari potuit, quia ſolebat oriente Sole, vocem emittere, eaque Solem quaſi ſalutare, aut adorare. Poſſet etiam nomen idem exponi ϭⲥ ⲭⲟⲩϣⲧ ⲉⲣⲏ, *(Sois*, vel *Siſ-ſuſt-ere) Dominus intuens in Solem*, quod fere eodem redit. Prior tamen interpretatio pluribus forte arridebit, neque me inuito.

CAPVT

* Vide Synt. III. cap. I.

CAPVT II.

De loco, vbi regnauit Amenophis, deque eius aetate.

Operae pretium eſt, quaerere, in quanam Aegypti Prouincia regnauerit Amenophis §. 1. Amenophis Aegyptius fuit Thebaeus. §. 2. Neque obeſt nobis Philoſtrati et aliorum quorundam auctoritas. §. 3. Neque gens Memnonum in Aethiopia. Vera Memnonia non ſunt, niſi in Aegypto ſuperiori. §. 4. Aetas Amenophis, ex aetate Memnonis graeci, aeſtimari non poteſt. §. 5.

§. 1.

Operae pretium eſt quaerere, in quanam Aegypti Prouincia regnauerit Amenophis.

Amenophin MANETHO in hiſtoria rerum Aegyptiacarum, * repraeſentauit vt regem pium, fortem, felicem, et potentem. Ab eo id acceperunt alii. Quinimo Scriptor ille Aegyptius, inter reges, quorum hiſtoriam ſcripto conſignauit, ** plures recenſuit, nomine eodem Amenophis deſignatos. Exiſtimant igitur viri eruditi, Coloſſum Thebaeum, effigiem eſſe ſaxeam *** vnius ex his regibus, qui *Amenophis* nomen geſſerunt. Ex iis quae diximus, per ſe iam ſatis colligi poſſe videtur, quamnam rex ille, ſecundum traditionem Aegyptiorum hiſtoricam, habuerit patriam, et vbinam gentium imperauerit. At etiamnum tamen diſpiciendum reſtat, in quanam Aegypti regione imperaſſe perhibeatur. Nam in pluribus Aegypti partibus, plures ſimul reges, et eodem tempore ſummae rerum praefuiſſe, *Dynaſtiae* MANETHONIS ſatis teſtantur. Hanc vero quaeſtionem de patria et loco regni Amenophis, non ita eſſe inutilem aut ſuperuacaneam, atque multis quidem prima fronte videri poſſet; ſed argumentum potius, in quo mea nunc deſudat opera, non parum illuſtrare, ſequentia planum facient, et infra in Syntagmate III. data occaſione, obſeruabitur.

Amenophis Aegyptius fuit Thebaeus.

§. 2. Amenophi igitur, ſiue Memnoni Aegyptiorum, patria fuit, ſi traditiones gentis huius audimus, Aegyptus ſuperior, vel Thebais. Hic etiam MANETHO regnum ei aſſignauerat. Etenim reges

* Apud IOSEPHVM Lib. I. adu. Apion. §. 26. 27.
** Vide ſupra cap. I. §. 3.
*** MARSHAMVS *Canone Chron.* ad Secul. XV. p. 424.

ges illi, * quorum ſeriem Scriptor hicce in *Aegyptiacis* ſuis contexuerat, quaeque reges plures nobis exhibet, nomine *Amenophis* nobiles, componunt *Dynaſtiam* eius, ** vti ab AFRICANO, et EVSEBIO ordinata eſt, numero XVIII. quae eſt *Dioſpolitarum*, ſiue *Thebaeorum.* In ſerie igitur regum Thebaeorum, *Amenophi*, vel *Memnoni* Aegyptiorum, locus concedendus eſt. Spectat eodem locus PAVSANIAE, ſemel iterumque ad teſtimonium vocati. Verba eius et hic, ac pleniora quidem, adſcribere non pigebit. *** *Coloſſum, qui Thebis Aegyptiis eſt, trans Nilum — ſpectaui. Statua ibi eſt ſedentis hominis. Eam vulgus Memnonis vocat: quem ex Aethiopia veniſſe — tradunt. At ipſi Thebaei Memnonem eſſe negant; verum dicunt eſſe eum Phamenophin, vnum ex indigenis.* Ab ipſis igitur Thebaidos incolis accepit PAVSANIAS, *Phamenophin*, cuius viderat cum admiratione Statuam, ortu fuiſſe Thebaeum, τῶν ἐγχωρίων, *vnum ex indigenis.* Quod vero ad ſitum illius loci, vbi Scriptor eximius Coloſſum inclytum vidit, quem ait eſſe Thebis, prope decantatas illas Syringas, de eo ambigi hodie non poteſt. Locum illum plures oculis vſurpauere, et accurate deſcripſere peregrinatores. Plura his iam non addo, quoniam hac de re, infra Syntagmate III. diſſerendum mihi eſſe video. Ille vero locus, in quo ſtabat *Amenophis* ſaxea effigies, patria quoque ipſi fuiſſe credebatur. Hinc IOHANNES TZETZES Chiliad. VI. hiſt. 64. de Memnone ait:

Ἐν τῇ πατρίδι δ᾽ ἀπαχθεὶς ἐτάφη δ᾽ οἰκείᾳ
Καὶ στήλη τούτῳ γέγονε πυῤῥοποικίλου λίθου.

In patria vero propria, poſtquam corpus eius abductum eſſet Troia, ſepultus eſt.
Et poſuerunt ei Statuam ex variegato lapide.

Nec alia de cauſa, in Inſcriptione, quam cap. I. §. 6. attulimus, is ipſe appellatur Θηβαίων Πρόμαχος, *Thebaeorum Propugnator.*

§. 3. A conſtanti illa Aegyptiorum traditione, quam §. 2. expoſui, re ipſa non recedit PHILOSTRATVS, quando Lib. VI. *de vita Apollonii* cap. 3. in haec verba ſcribit. *Refert Damis, fuiſſe Memnonem*

Neque obeſt Philoſtrati, et aliorum quorundam auctoritas.

* Apud IOSEPHVM *contra Apion.* Lib. I. p. 446. 447.
** Apud SYNCELLVM in *Chronographia*, p. 62. 70. 72.
*** In *Atticis* p. 101.

mnonem Aurorae filium: occubuiſſe vero non apud Troiam, quo etiam illum non veniſſe conſtat; ſed in Aethiopia, cum apud Aethiopes regnaſſet per generationum quinque ſpatium. Ipſi tamen Aethiopes, quoniam ſupra ceteros homines longiſſimae ſunt vitae (ἐπειδὴ μακροβιώτατοι ἀνθρώπων εἰσὶν,) *Memnonem lugent, quaſi in adoleſcentia defunctum.* Equidem PHILOSTRATVS, et quem is ſequi ſe profitetur, DAMIS, ſignificare videntur, Memnonem Aegyptium, inter illos Aethiopes et vixiſſe et diem ſuum obiiſſe, qui propter ſingularem vitae longaeuitatem, veteribus *Macrobii* dicuntur. Hi autem in Geographia antiqua, longe ſupra Aegyptum, in ea Africae collocantur parte, quam hodie etiam *Aethiopiam* appellamus. HERODOTVS Lib. III c. 17. eos *in Africa ad mare auſtrale* locat. MELA Lib III. c. 9. eosdem Aethiopibus illis accenſet, quibus regni ſedes erat Meroë. Hanc eandem oram illis aſſignat PLINIVS Lib. VI. c. 30. ad quem haec notat HARDVINVS de *Macrobiis. Pars eſt regni, quod Nubiam hodie appellant: non Bagamedri, vt Sanutus exiſtimat.* Ex hac igitur regione Memnonem Aegyptium deducere videtur PHILOSTRATVS, neque id nego. Verum tot errores pueriles Scriptor hic aduerſus praecepta Geographiae commiſit, vt illius, in his rebus, ſit perexigua, et pene nulla auctoritas. Eum ceteroquin nomine *Aethiopiae* re ipſa Thebaidem Aegyptiacam deſignare voluiſſe, aut certe debuiſſe, vel id eſt argumento ineluctabili, quod in Aethiopum illorum, de quibus loquitur, regione, inclytum ponat Memnonis Coloſſum, quem et prolixe deſcribit. Fueritne huius Coloſſi ſitus verus PHILOSTRATO perſpectus nec ne, nunc non diſquiro; ſed eruditorum hodie nemo negat, fuiſſe eum in Thebaide, prope vrbem *Thebas* erectum. Haec igitur eſt Aethiopia, ex qua Memnonem Aegyptium fuiſſe oriundum, et in qua eum regnaſſe, ex communi fama, ſubinnuit PHILOSTRATVS. Idem de aliis iudicandum quoque eſt, qui Memnonem Aethiopem extitiſſe, eoque nigrum, perhibent. Veteres certe, eosque inter HOMERVM ipſum, *Aethiopiae* nomine deſignare Thebaidem Aegyptiacam, * alio loco monuimus. Non nego, recentiores quosdam, priſcam illam traditionem de Memnone Aethiope, ſiue Thebaeo Aegyptio, nouis figmentis ſic inquinaſſe, vt videri poſſit Memnon ſemper pro indigena Aethiopiae proprie ſic dictae habitus fuiſſe, cuius rei exempla, ** in ſuperioribus attuli;

* Synt. I. cap. II. §. 4. ** Loc. cit. §. 5.

attuli; verum illi morari nos non [illegible] traditionem priſcam nobis ſinceram referu[illegible] ſui figmenta exornant.

Neque Memnonum gens in Aethiopia. Vera Memnonia non ſunt, niſi in Aegypto ſuperiori.

§. 4. Obiici forſan nobis poſſ[illegible], a veteribus nonnullis memoriae prodi[illegible] [illegible]uam in Aethiopia gentem, cui a *Memnone* nome[illegible]*. Erant et olim, qui contenderent, eorum ip[illegible]tionem feciſſe. Verum vbi in omnibus E[illegible] 423. μετ' ἀμύμονας 'Αιθιοπῆας, *ad incul*[illegible] [illegible]bant μετὰ Μέμνονας 'Αιθιοπῆας, *ad Memnones Aethi*[illegible], eſſe Aethiopum gentem quandam, quae a Memnone T[illegible] et Diei, nomen adſciuiſſet *Memnonum*. Et fateor, ge[illegible] Geographis incognitam non fuiſſe, quippe qui ſitum regi[illegible] in Aethiopia deſignent. PLINII haec verba ſunt Lib. VI. [illegible] *aduerſo in Africae parte Macrobii: Rurſus a Megabaris Memn*[illegible] *et Dauelli*. Coniunguntur hic *Memnones* et *Macrobii*, inter quos poſteriores vixiſſe Memnonem et regnaſſe, PHILOSTRATVS auctor eſt. Vide §. 3. PTOLEMAEVS vero *Geograph*. Lib. IV. cap. VIII. p. 130. de iiſdem haec habet. *Inter Nilum autem et Aſtapodem fluuium, ad Meroën inſulam* (ſic eſt in graeco) *Memnones*. Vix igitur in dubium vocari poſſe arbitror, ex recepta Geographorum veterum ſententia, fuiſſe gentem aliquam Aethiopicam, quam ipſi nominarunt *Memnones*. At vero illos in honorem Memnonis Aegyptii, ita denominatos non fuiſſe, ex eo ſatis conſtare vnicuique poteſt, quod *Memnonis* nomen in illis oris cognitum nemini fuerit. Quem Graeci *Memnonem* appellant, is ab Aegyptiis conſtanter dicebatur *Amenophis*, nomen vero *Memnonis* ipſis ignotum erat. Eſtne igitur dubitandum, *Aethiopes*, ſi omnino *Amenophis* notus ipſis eſſet, et ſi ab eo ſe ipſos cognominare vellent, nomen hocce eius verum ab Aegyptiis adoptaturos potius fuiſſe, quam *Memnonis* nomen ſibi penitus peregrinum, a Graecis, tam longo terrarum interuallo, a patria ſua diſſitis? Genuina *Memnonia*, quibus nempe nomen iſtud, a Memnone Aegyptio adhaeſiſſe creditur, omnes vnanimiter locant in Aegypto ſuperiori, plerique circa Thebas et Abydum. De iis STRABO, Geographorum antiquorum praeſtantiſſimus, Lib. XVII. p. 559 ait: *Supra Ptolemaidem eſt Abydus*, ** *in qua eſt*

* EVSTATHIVS in Iliad. A. p. 128.

** Sic et PLINIVS Lib. V. cap. 9. et SOLINVS in *Polyhiſtore*, cap. 32.

eſt Mem[illegible] *ſolido lapide, quemadmodum dixim*[illegible] *quod ſi, vt nonnulli ſentiunt, Memnon*[illegible]*: etiam Labyrinthus Memnonius* [illegible] *ia et Thebana, nam et ibi quaedam M*[illegible]. [illegible] auctor excellens de Labyrintho coniectat, [illegible] iudicari debet, nititur enim errore manifeſto, [illegible] III. §. 5. Verum apud omnes in confeſſo [illegible] Thebis et Abydi oſtendi quaedam *Memno-*[illegible] [illegible]morabilia Thebis viſenda deſcribit, *ſupra* [illegible] *regum loculi*, in ſpeluncis quibusdam in la-[illegible] [illegible] omnino loquitur DIODORVS *Siculus* Lib. [illegible] haec leguntur: Ἀμφισβητοῦσι δὲ οἱ περὶ Αἴγυπτον Αἰ-[illegible] ἐν ἐκείνοις τοῖς τόποις γεγονέναι τὸν ἄνδρα τοῦτον, καὶ [illegible]λαιὰ δεικνύουσιν, ἃ μέχρι τοῦ νῦν ὀνομάζεσθαι φασὶ Με-[illegible] *dubium hoc vocant Aethiopes, circa Aegyptum*, Memno-[illegible] Oriente imperaſſe, regiamque habuiſſe Suſa, *nam Memnonem* [illegible] *ſuae arrogant, idque domus regiae, quas etiamnum Memnonia* [illegible] *ferunt, indicant.* Quae hic dicitur *Aethiopia circa Aegyptum*, [illegible] ipſa alia non eſt, quam Aegyptus ſuperior, quod et res ipſa loquitur, et ex iis, quae ſaepe in ſuperioribus obſeruanda nobis fuerunt, intelligi potuit. Verum DIODORVS ex eo, quod Memnonia perhiberentur in Aethiopia eſſe, ſatis ſe expedire non potuit, cum in mente eius haereret Aethiopia ab Aegypto diſtincta. AGATHARCHIDES, vt qui bene noſſet, *Memnonia* genuina reperiri nulla, niſi in Aegypto ſuperiori, et nihilo tamen minus intelligeret, ea etiam in Aethiopia locari, difficultatem hanc alio modo ſolui poſſe exiſtimauit, aut ſolutionem ab aliis oblatam, amplexus eſt. Ita autem ſcribit in *Periplo Maris rubri* *. *Deſiit hoc metallum in actu eſſe tum, quando Aethiopum olim agmen Aegyptum incurſauit, et multis annis vrbes cuſtoditas praeſidiis ſuis tenuit, a quibus etiam Memnonia eſſe perfecta memorant, tum quando Medi et Perſae rerum potiebantur.* Credat hoc Iudaeus Apella. *Memnonia* illa non alia de cauſa a vetuſtioribus dicta ſunt *Aethiopica*, quam quod extructa eſſent in Aethiopia Aegyptiaca, ſeu Aegypto ſuperiori, aut Thebaide. Verum dices forte, quidnam haec *Memnonia* ad *Amenophin*, qui in Aegypto ſemper hoc, nunquam *Memnonis*

* Apud PHOTIVM in *Biblioth.* Cod. CCL. p. 1322. et in *Hudſoni Geographis minor.* T. I. p. 26.

mnonis nomine primitus compellatus fuit? Recte quidem id aduerſus ea, quae huc vſque adſtruxi, excipi poſſet, ſi loca illa, quae a Scriptoribus *Memnonia* vocantur, nomine hoc ab ipſis priſcis Aegypti incolis deſignata fuiſſent. Quis vero id dixerit? Graeci ſunt, qui nomen hoc nobis conſeruarunt, quique id ab [illegible] Graecis in Aegypto acceperunt. Iidem n[illegible]opolin, *Dioſpolin*, *Aphroditopolin*, *Heracleopolin*, et ſimiles [illegible] Aegypto commemorant, a Graecis ſic denominatas, quarum tamen [illegible] nomina Aegyptiaca plane diuerſa fuiſſe nouimus. *Heliopolin* [illegible] dictam fuiſſe *On*, ipſa Scriptura magiſtra tenemus. Ead[illegible], *Dioſpolin* ab indigenis dictam fuiſſe *Amun-noh*, vel [illegible]. Idem plane exiſtimandum eſt de *Memnoniis*. [illegible] a Scriptoribus Graecis Romanisque nominantur, [illegible] aedificia ſtructurae antiquae et ſplendidae, [illegible] ſiue, vt eum Graeci vocare conſueuerunt, *Memnonis*, condita, eiusque memoriae conſecrata.

§. 5. Si Amenophis in Aegypto [illegible] ſaltem perſuaſum erat, difficile non videtur, de [illegible] quidquam conſtituere. Ingens enim illa nominis eius [illegible], permittere non potuiſſet, vt memoria rerum ab eo geſtarum, et temporis, in quod regnum eius et geſta ingruunt, intercideret. Et ſunt viri eruditi, inque rebus chronologicis ſumma cum laude verſati, qui labori pepercerunt nulli, vt rem hanc ad aliquem certitudinis gradum perducerent. Verum poſt expenſa ſerio omnia cauſae huius momenta, poſt excuſſas diligenter rationes, quas pro ſententiis ſuis viri doctiſſimi adferunt, fateri tamen cogor, me iisdem tenebris, eademque incertitudine, qua antea, etiamnum premi. Equidem ſi Amenophis Aegyptiorum, a Graecorum Memnone haud quaquam differret, quod veterum plerique exiſtimarunt, negotium hoc omne expeditum eſſet, ac conclamatum. Nam dubitare non licet, Memnonem Graecorum, ſi extitit, extitiſſe tempore belli Troiani, quod exitium ipſi attulit. Vide Synt. I. cap. III. Neque etiam diffiteri poſſum, venditari quasdam, tanquam veterum Aegyptiorum traditiones, quae cum traditionibus hac de re Graecorum poëticis et hiſtoricis plane conſonant. * *In dubium hoc vocant*, inquit Scriptor pereximius, *Aethiopes circa Aegyptum, qui patriae ſuae Memnonem arrogant, et Palatia hodieque Memnonia vocitata oſtendunt. Vtut ſit, conſtans fama eſt, Memnonem Troianis auxilio venturum, —* magna

[illegible margin note]

* DIODORVS *Siculus.*

magnae fortitudinis gloria multos in praelio graecos neci tradidiſſe: donec ad tumulum Theſſalorum inſidiis trucidatus, occubuit. Cadauer tamen Aethiopes ereptum combuſſerunt, oſſaque reportarunt ad Tithonum. Haec ſane de Memnone in regiis deſcripta commentariis haberi, Barbari aſſerunt. Et §. 2. TZETZAE iam adduximus verſus politicos, quorum hicce eſt ſenſus: *Memnon vero in propria patria, poſtquam corpus eius abductum eſſet Troia, ſepultus eſt. Et poſuerunt ei illic Statuam ex variegato marmore.* Poteſt his quoque addi traditio Aegyptiorum, vt iactatur, vetus, quam ex DEMETRII *rerum Aegyptiacarum* libris attuli *Synt.* I. cap. IV. §. 3. Verum haec lectori exercitato ſcrupulum iniicere nequeunt. Nam quod ad DIODORVM attinet, videbunt facile, qui in huiusmodi rebus hoſpites non ſunt, eum quae refert, ex fama incerta accepiſſe, quod multis adſtruere opus non eſt. TZETZES vero, rerum Aegyptiacarum, in hoc negotio, vt videtur, plane expers, Scriptores graecos aperte et vnice ſecutus hic eſt. De loco DEMETRII quae ſentio, ſupra iam expoſui loc. cit.

§. 6. Aliud omnino de *Amenophi* teſtantur ipſorum Aegyptiorum traditiones et Monumenta, quae attentionem aliquam merentur. Ex his DAMIS, Apollonii Tyanaei in itineribus comes, retulerat *, *Memnonem* Aegyptium, *nec ad Troiam occubuiſſe, nec omnino iter illuc feciſſe.* Ipſe vero PHILOSTRATVS commemorat ** Μέμνονα ἕτερον νεώτερον, ἐπὶ τȣ̃ τρωϊκȣ̃ πολέμȣ, *Memnonem alium iuniorem, qui claruit tempore belli Troiani.* Prior eſt Aegyptius, ſiue *Amenophis*, poſterior autem Graecorum *Memnon.* Si vera narrat PLINIVS Lib. VII. c. 56, et ſi de Memnone Aegyptio loquitur ***, quod mihi, non diffiteor, videtur, plurimis Seculis hic Troiani belli tempus antevertit. Sic namque ſcribit: *Anticlides in Aegypto literas inueniſſe quendam nomine MENONA tradit*, XV. *annis ante Phoroneum antiquiſſimum Graeciae regem.* Aetas huius *Phoronei*, quem PLINIVS vocat *antiquiſſimum Graeciae regem*, et quo nihil antiquius in Graeca hiſtoria occurrere fatetur PROCLVS Lib. I. *in Timaeum Platonis* p. 31. aetas inquam huius Phoronei, Chronologis noſtris ignota non eſt; ſed hoc tamen antiquiorem eſſe *Menonem* (id eſt Memnonem Aegy-

* Apud PHILOSTRATVM *de vita Apollonii* Lib. VI. c. 3.
** Vide Synt. I. cap. II. §. 3.
*** Vide Synt. III. cap. IV. §. 7.

Aegyptium) affirmat PLINIVS. MANETHO, Sacerdos Aegyptius, *Amenophin* multo quidem iuniorem nobis commemorat *Phoroneo;* ſed non parum tamen antiquiorem belli Troiani tempore. Nam ſi ipſius hiſtoriae rerum Aegyptiacarum, rationem aliquam habendam putamus, fuerunt tres Aegyptiorum reges, nomine *Amenophis* condecorati. Et poſt hos tres, alium etiamnum in Catalogum regum Aegypti infert *Amenophin* *, aequalem Moſi Hebraeorum Legislatori; ſed quem ** peſſima fraude, contra fidem hiſtoricam intruſum eſſe iudicat IOSEPHVS. Eadem de aetate huius *Amenophis* memoriae mandauit CHAEREMON, in *** *hiſtoria Aegyptiaca.* Iuxta hos itaque calculos, *Amenophis* in aetatem Moſis ingruit, tempora autem cladis Troianae, aliquot Seculis anteceſſit. Iam vero obſeruauimus, id quod dixi, Amenophi tribui quarto, illique, vt judicat Scriptor Iudaicus, contra fidem annalium genuinorum, peſſime intruſo. At vero longe veroſimilius eſt, Coloſſum Thebaeum, ſi fuit effigies vnius ex his regibus; ad primum potius referri, qui ſecundum rationem temporum MANETHONIS, diu ante Moſen regnauit. MANETHON ipſe, ſi ſententiam eius recte repraeſentarunt † AFRICANVS et EVSEBIVS, Coloſſum regi illi vindicat, qui ſecundus nomen *Amenophis* geſtauit. Verum enim vero, mihi longe credibilius videtur, ipſum primum *Amenophin*, nomen hoc ſuum, more Aegyptiis perquam familiari, a Coloſſo Thebaeo, tanquam a diuinitate aliqua ſymbolica, accepiſſe, et ab hoc, idem nomen adſciuiſſe alios. Equidem neſcius non ſum, magnum hiſtoriae veteris, et doctrinae de temporibus inveſtigatorem, MARSHAMVM ††, Coloſſum noſtrum attribuere *Amenophi* quarto, illi, quem fictitium et ſuppoſititium iudicat IOSEPHVS. At quis non videt, eum rationes ſuas ita digeſſiſſe, vt hypotheſibus ſuis ſeruiret, et quod *Amenophin* Aegyptium, cum *Memnone* Graecorum, in vnam eandemque perſonam compingere vellet, reclamantibus licet genuinis Aegyptiorm relationibus et traditionibus. Eam quoque ob cauſam, rationes temporum MANETHONIS, quem tamen ſequitur, mirum in modum turbat. Scribit enim †††, *Memnonem Thebanum,*

* Apud IOSEPHVM *contra Apion.* Lib. I. §. 26. p. 461.
** IOSEPHVS lib. cit. §. 26. p. 461. ſemel iterumque.
*** Apud IOSEPHVM, vbi ſupra, §. 32.
† Apud SYNCELLVM in *Chronograph.* p. 72.
†† In *Canone Chronico*, p. 424.
††† Ibidem p. 432.

num, bello Troiano eſſe longe recentiorem, cum tamen certum et ab omni dubio repulſum ſit, quartum *Amenophin*, ſecundum MANETHONEM et CHAEREMONEM, ex quorum Commentariis hiſtoricis nobis tantum innotuit, tempora Moſis attingere, eoque bello Troiano multo antiquiorem eſſe. Quid diutius morer in re tam obſcura, et quam, me quidem iudice, non quisquam facile extricauerit? Malo hic igitur acquieſcere in iudicio IAC. PERIZONII, qui, vbi varias virorum eruditorum, de hoc argumento, ſententias expendit, ita tandem pronunciat *: *Atqui nihil incertius Amenophis iſtius aetate, quippe quem Vſſerius ad Moſis tempora refert, alii plerique ad ſeriora longe demittunt.*

CAPVT III.

De vita Amenophis Aegyptii rebusque ab eo geſtis.

Traditio Damidis de vita Amenophis longaeua examinatur et reiicitur. §. 1. De rebus ab Amenophi geſtis Aegyptiorum traditiones. §. 2. Oſymandyae, qui ab Amenophi diuerſus non eſt, res geſtae. §. 3. 4. Amenophis vel Oſymandyas Labyrinthum non conſtruxit. §. 5.

§. 1.

Traditio Damidis de vita Amenophis longaeua examinatur, et reiicitur.

Non deſunt, qui de vita Amenophis, ſiue Memnonis Aegyptii, rebusque ab eo geſtis, literis nonnulla mandarunt. Eo retulerim traditionem Aethiopum, id eſt incolarum ſuperioris Aegypti, vel Thebaidos, quam ex *Damide* refert PHILOSTRATVS *de vita Apollonii* Lib. VI. c. 3: *Memnonem Aurorae filium Aethiopem, neque Troiae occubuiſſe, neque illuc profectum vnquam fuiſſe; ſed diem obiiſſe in Aethiopia, cum ibi regnaſſet per generationum quinque ſpatium.* Addit poſtea, cum nihilo minus *in adoleſcentia* fato functum fuiſſe, quandoquidem Aethiopes, ex quibus ortum traxiſſet, et quibus imperaſſet, ſint *μακροβιώτατοι ἀνθρώπων*, *ſupra ceteros homines longiſſimae vitae.* Tradiderintne hoc, quod de longaeuitate Memnonis ſui, ex DAMIDIS teſtimonio, PHILOSTRATVS narrat, re ipſa Aegyptii, certo ſciri non poteſt. Oppido tamen probabile eſt, plurimis et craſſis

* *Origin. Aegypt.* cap. XII. p. 188.

craſſis valde mendaciis, quibus vita illa Apollonii tota ſcatet, et hoc eſſe annumerandum. Quis enim non intelligit, auctorem huius famae, de incredibili longaeuitate Memnonis, eum ex Aegypto transferre ad illos Aethiopes, qui longius aliis hominibus vitam producere credebantur, et quos ideo veteres appellarat μακροβίους, *Macrobios*, de quibus nonnihil dixi cap. II. §. 3. Res ipſa id non loquitur, ſed clamat. Verum iſta profecto genuina Aegyptiorum traditio non eſt. Nam Thebaei in Aegypto ſuperiori, Pauſaniae affirmarunt *, Memnonem aut Amenophin eſſe τῶν ἐγχωρίων, *vnum ex indigenis*, in regione ſua natum. Et multa ſunt, quae inuicte docent, fuiſſe hanc communem inter omnes Aegyptios famam. Vide cap. II. §. 2. 3. 4. Verum enim vero, vt etiam concedam, Memnonem DAMIDIS, inter Aethiopes Macrobios vixiſſe, iisque imperaſſe, ne ſic quidem, cum teſtimoniis de his hominibus veterum, conciliari poteſt, quod nugator ille blaterat, Memnonem regnaſſe *per generationum quinque ſpatium.* Sic enim tempus, quod regnando emenſus eſt hicce Memnon, complecteretur ** annos plusquam centum et ſexaginta. Addendi autem annis hiſce complures alii, quos vixiſſe credi poteſt, antequam regni habenas capeſſeret. Multo magis ab omni veri ſpecie remotum eſt, quod illic additur, eum qui tot annos inter Macrobios vixerit, habitum fuiſſe pro adoleſcente. Quot igitur non anni, in gente illa, tribuendi erunt viris? quot ſenibus? quot tenique decrepitis? Haec non modo fidem omnem ſuperant; ſed et teſtimoniis veterum de longaeuitae Macrobiorum. De iis enim haec tradit MELA *de ſitu orbis* Lib. III. cap. IX. *Aethiopes ſedem Meroën habent, terram, quam Nilus primo ambitu amplexus, inſulam facit. Pars, quia vitae ſpatium dimidio fere, quam nos, longius agunt, Macrobii dicti.* Si igitur Scriptorem hunc, et quos ille ſecutus eſt, audimus, Macrobii, vbi ad ſenilem aetatem peruenirent, annos viuebant circiter centum et viginti. Alexander M. in Epiſtola ***, cui Sophiſta quidam nomen eius praefixit, Macrobiis; ſed quos in India Orientali locat, attribuit annos centum et quinquaginta. Sed quid hoc ad *Macrobios* DAMIDIS, et ad *Memnonem* eius Aethiopicum? qui ſi, ſenectutem attigiſſet, annos trecentos

* PAVSANIAS p. 101.

** Apud veteres enim communiter, tres generationes conficiunt centum annos. Vide BENTLEII *Diſſertation upon Phalaris's Epiſtels* p. 35.

*** Apud SVIDAM in Βραχμᾶνες.

trecentos vtique, quin et quadringentos viuendo ſuperaſſet. Quod ſi igitur, quod DAMIS de Memnone Macrobio Aethiope nugatur, ne de Macrobiis quidem, quales a veteribus nobis repraeſentantur, cum aliqua veri ſpecie dici potuit, quanto minus de Thebaeis Aegyptiis, qui Memnonem ciuem ſuum extitiſſe, perhibebant? Quantum non ab inepto hoc figmento, diſtat Aegyptiorum traditio de illis regibus, qui *Amenophis* nomen geſſerunt? Primus enim ex illis * annos regnauit viginti et ſeptem: ſecundus annos triginta, ac menſes quinque: tertius nouem et decem annos, menſesque ſex. De quarto autem *Amenophi*, nihil neque ** MANETHO, neque *** CHAEREMON commemorant, quod credere nos iubeat, † eum communem vitae humanae ſortem atque terminum aliqua ſuperaſſe. Haec tam prolixe perſecutus minime eſſem, niſi viderem †† viros in doctrina temporum Principes, figmentum illud DAMIDIS putidum, non modo referre; verum illud etiam admittere, illique rationes temporum accommodare. Mihi poſt haec, quae nunc diſputaui, tuto affirmare licebit, narrationem illam DAMIDIS, aut nil eſſe, niſi figmentum ineptum et nugaciſſimum, aut ſubeſſe illi ſenſum aliquem arcanum, ex doctrina Sacerdotum myſtica explicandum. Non ego, poſtremum hoc, moribus Aegyptiorum tam bene congruens, mihi maiorem in modum placiturum fuiſſe, ſi teſtimonio alius cuiusdam Scriptoris fide digni confirmatum vidiſſem.

De rebus ab Amenophi geſtis, Aegyptiorum traditiones.

§. 2. Quod attinet ad res geſtas *Amenophis*, ſiue *Memnonis* Aegyptii, de iis MANETHO aut literis mandauit nihil, aut quod mandauerat, diu iam deperditum eſt. In fragmento certe huius Scriptoris, quod IOSEPHVS conſeruauit, tres quidem reges, nomine *Amenophis* nobiles, commemorantur; ſed ††† praeter annos, quos regnando expleuerunt, aliud quicquam de illis ibi non refertur. In *Dynaſtiis* eiusdem, ſicuti AFRICANVS et EVSEBIVS eas digeſſerunt, monetur quidem * de ſecundo ex his regibus, quod is ſit, cuius

* IOSEPHVS *aduerſus Apion.* Lib. I. §. 15. p. 446. 447.
** Apud IOSEPHVM, *aduerſ. Apion.* Lib. I. §. 26. p. 460. 461.
*** Apud eundem, vbi ſupra, §. 32. p. 465.
† Vide mox §. 2. not. ***.
†† MARSHAMVS in *Canone Chron.* p. 432.
††† Vide IOSEPHVM *aduerſ. Apion.* Lib. I. §. 15. p. 446. 447.
* In SYNCELLI *Chronographia* p. 72.

ius habeatur coloſſus ſaxeus, loquela praeditus. At praeter hoc, nihil de eo amplius traditur. Et dubitari inſuper non immerito poteſt, fueritne hoc ab ipſa MANETHONIS manu profectum. Eſt et in eiusdem *hiſtoria Aegyptiaca*, * quartus *Amenophis*, de quo extat ** prolixa eius narratio; ſed illum IOSEPHVS fictitium et inſititium iudicat, malaque fide in catalogum regum Aegypti a MANETHONE intruſum. MARSHAMVS viciſſim, quod ſupra vidimus, cap. II. §. 6. ex temporum ratione concludi poſſe putat, hunc vere eſſe illum, cuius marmorea effigies a tot Scriptoribus celebratur. Ego, ſi quatuor extiterunt reges Aegypti, *Amenophis* nomine celebres, induci quidem non poſſum, vt credam, quartum inter hos illum eſſe, in cuius honorem Coloſſus Thebaeus erectus eſt. Sed de hoc quarto *Amenophi*, talia tamen a Sacerdote Aegyptio commemorari video, quae me quidem iudice, ad *Amenophin* noſtrum, ſiue *Memnonem* Aegyptium, referri debent. Adſcribamus quaedam huc ſpectantia, ex IOSEPHO Lib. I. *adu. Apion.* §. 26. 27. *Amenophin regem, fictum et contra hiſtoriae fidem catalogo regum inſerit, ideoque *** annos regni eius definire auſus non eſt, quamuis ceteris regibus annos, quibus regnarunt, accurate apponat. Et huic fabulas quasdam annectit, oblitus ferme eorum, quae tradiderat. — Hunc igitur Amenophin, quem ſupponit, ait deſiderio incenſum fuiſſe, videndi Deos, quod etiam Horo, alicui eorum, qui ante ipſum regnauerant, regi, contigiſſet, et hoc ſuum deſiderium patefeciſſe Amenophi cuidam, ſibi cognomini, filio Paapis, qui propter ſapientiam et praeſcientiam futurorum, diuinae naturae videbatur particeps: hunc vero dixiſſe regi, quod poſſet videre Deos, ſi regionem vniuerſam a leproſis immundisque hominibus perpurgaſſet.* Narratur deinde, quo pacto rex Amenophis, homines aliqua parte corporis mutilatos, vsque ad octoginta millia, in lapicidinas miſerit, quae in parte Aegypti orientali verſus mare rubrum ſitae ſunt, poſtea vero ipſis permiſerit, vt in vrbem Auarin a Sacerdotibus dictam Typhoniam, ſe reciperent, vbi ducem nacti ſunt Moſen, Sacerdotem quondam

 Helio-

* Vide cap. II. §. 6.

** Apud IOSEPHVM Lib. I. *adu. Apion.* §. 26.

*** In ipſo MANETHONIS Opere annos regni huius Amenophis non repererat IOSEPHVS. At vero, qui Dynaſtias eius digeſſerunt, AFRICANVS et EVSEBIVS, largiti ſunt ipſi, prior annos XX. poſterior vero XI. MARSHAMVS p. 433.

Heliopolitanum, * cui nomen Aegyptium fuit *Oſarſiph*, vel *Oſirſaph.* Dum vero in vrbe Typhonia a priſtinis malis requieſcerent, contigiſſe fertur, vt Paſtores, qui olim Aegypto potiti erant, deinde vero in Syriam Palaeſtinam receſſerant, iam redirent, ſeque ad illos adiungerent; ſed et peſſimis modis eos affligerent. Vltimo denique loco commemoratur, Amenophin valido Aethiopum exercitu adiutum, Paſtores et immundos homines aggreſſum eſſe, eosque ex Aegypto in Syriam repuliſſe. Haec eſt ſumma eorum, quae de Amenophi ſuppoſititio, literis conſignauerat MANETHO, et quae prolixius apud IOSEPHVM legi poſſunt. Quaedam in his occurrere, quae vix alium quam myſticum ſenſum admittunt, etiam me non monente, lector attentus et exercitatus facile obſeruabit. Et nos plura iſthac de re diſputabimus *Synt.* III. cap. VI.

Oſymandyae, qui ab Amenophi non differt, res geſtae.

§. 3. In Superioribus poſt MARSHAMVM, ** obſeruauimus e STRABONE, *Oſymandyam* HECATAEI, re ipſa non differre a *Memnone* Aegyptio, vel *Amenophi*, etſi Scriptores plerique duos hos a ſe inuicem diſtinguant. Ipſe quoque DIODORVS *Siculus* *** qui narrationem HECATAEI de *Oſymandya* nobis conſeruauit, † ſi verba eius curate expendantur, obſeruationem noſtram mirifice confirmat. In Statua huius *Oſymandiae*, vel *Memnonis*, aliorum tamen fide, hanc Inſcriptionem legi perhibet, quam ſecuti †† MARSHAMVM, talem hic exhibemus.

Βασιλεὺς Βασιλέων Οσυμανδύας εἰμί.
Ἐι δέ τις εἰδέναι βȣ́λεται πηλίκος εἰμὶ, καὶ πȣ̃ κεῖμαι
Νικάτω τὶ τῶν ἐμῶν ἔργον.

Sum Rex Regum Oſymandyas; Si quis noſſe velit, quantus ſim, et vbi iaceam, vincat aliquid meorum Operum. Statua haec, quam DIODORVS ſubinnuit, etſi eam oculis ipſe vſurpaſſe minime videatur, hodieque, vti auguror, ſupereſt, eamque, ſi recte coniicio, RICHARDVS POCOCKIVS accurate delineatam aeri incidi curauit. Verum enim vero, Inſcriptio haec DIODORI nunc in illa non modo

* Vide *Prolegomena* ad *Pantheon* noſtrum §. XI. n. **.
** Vide ſupra cap. I. §. 7.
*** Lib. I. p. 43. 44.
† Vide *Synt.* III. cap. V. §. 2. 3.
†† *In Canone Chron.* p. 428.

do non legitur; ſed nulla etiam illius indicia et veſtigia apparent. Neque etiam memini, ex veteribus quenquam, vno DIODORO excepto, Inſcriptionis illius mentionem iniicere qualemcunque, tametſi Statuam memorent permulti, et quidam ex iis, eandem ſatis prolixe deſcribant. Et id tamen, quod DIODORVS memoriae prodidit, Sacerdotes Aegypti, * e *commentariis* ſuis *ſacris*, vt iactabant, retulerant Hecataeo Mileſio, aliisque Graecis, qui poſtea id ipſum literis conſignarunt. Ab hiſce auctoribus, diu iam deperditis, rem hanc accepit DIODORVS. Poteſt exemplo hoc colligi, quam ſtrenue et ſuauiter, Sacerdotes Aegyptii, inprimis a tempore Ptolemaeorum, ** quo omnis eorum ſcientia arcana, quam ſibi tamen arrogabant, vehementer diminui, et paulatim plane interire coeperat, peregrinis imponere ſolerent. Licet etiam ex eo aeſtimare, quae fides hominibus his haberi poſſit, quando interpretationes Obeliſcorum priſci aeui, aliorumque antiquorum Monumentorum, literis hieroglyphicis conſcriptorum, iactarunt, aliisque fidenter venditarunt. Nam etſi minime negare velim, eos memoriam quarundam rerum, Monumentis his inſcriptarum, a Maioribus acceptam, conſeruare potuiſſe, et id tamen certum eſt, *** plurimos ſibi talium rerum ſcientiam attribuiſſe, qua re ipſa plane deſtituti erant. Verum ea haud quaquam ignorare videri volebant, quae maiores ipſorum, diligentia et opera mirifica memoriae mandare, lapidibusque non facile perituris inſcribi voluiſſent.

In eodem argumento pergitur.

§. 4. Sed operae pretium fuerit, noſſe, quaenam ſint magna illa et admiranda opera, Oſymandyae, quae in Inſcriptione DIODORI, illi tribuuntur, et in quibus ipſum ab alio quoquam vinci poſſe negabatur. Et iſtud auctor idem ille egregius nos docebit. Ex aliorum enim narratione refert, poſt atrium iſtud, in quo erecta ſtabat Oſymandyae Statua, ſequi Periſtylion atrio praeſtantius et magnificentius, vbi in marmore literis hieroglyphicis inſculpta cernebantur magna regis huiuſce facta, et opera illuſtriora. Commemorabatur illic † *bellum geſtum cum Bactris, qui deſciuerant ab eo, aduerſus quos exercitum eduxerat quadringentorum millium peditum, et viginti millium equitum. Exercitus in quatuor agmina diuiſus, a totidem ducebatur*

G 3 *filiis*

* DIODORVS, vbi ſupra, p. 44.
** Videri poſſunt *Prolegomena* ad noſtrum *Pantheon*, §. LXIV.
*** Eadem *Prolegomena*, vbi ſupra.
† DIODORVS p. 44. 45.

filiis regis. In primo pariete rex conſpiciebatur murum oppugnans amni circumfluum, in primaque acie cum hoſtibus oppoſitis dimicans, ſocio leone, cuius vna cum rege pugnantis terribilis erat ſpecies. — In ſecundo pariete cernebantur captiui huius regis tracti, abſque virilibus et manibus, quo effoeminati eorum animi videntur ſignificari. Tertius inde paries omnis generis ſculpturas et picturas inſignes exhibet, quibus victimae regis et triumphus ob illud bellum profligatum actus, exprimitur. &c. &c. Et poſt paucula interiecta. *Exinde ambulachrum eſt variis aedificiis refertum. Tum affabre ſculptus et floride pictus rex ſpectatur, aurum et argentum Deo offerens; quod annuatim rex ex omni Aegypto, de argenti et auri fodinis percepit. Summa quoque ad argenti rationem adſcripta erat trecenties vicies centena minarum millia.* Vides, quantae tribuantur regi huic laudes. Plura apud DIODORVM videri poſſunt. * *Summa eſt, hunc regem, non bello tantum, ſed etiam pace magnum; erga Deos pium; erga homines iuſtum fuiſſe.* Quis vero quaeſo, Opera haec *Oſymandyae* apud DIODORVM legens, animoque ſuo voluens, in eam ſe induci facile patietur ſententiam, hunc ipſum, eundem eſſe cum *Amenophi* quarto, de cuius rebus ex MANETHONE quaedam attulimus §. 2. quod aſſerit ** MARSHAMVS; cum tamen duorum horum regum facta et res geſtae, toto coelo differant? Et cui viciſſim, lectis iis, quae de *Oſymandya* praedicantur, non in mentem confeſtim veniat, ea ipſi tribui, quae alii de magno *Seſoſtri* narrant. Conferantur modo, quae ex Diodoro de rebus *Oſymandyae* hic deſcripſimus, cum hiſce TACITI Annal. Lib. II. c. 60. *Mox viſit veterum Thebarum magna veſtigia. Et manebant ſtructis molibus literae Aegyptiae, priorem opulentiam complexae: Iuſſusque e Senioribus Sacerdotum patrium ſermonem interpretari, referebat, habitaſſe quondam ſeptingenta millia aetate militari: atque eo cum exercitu regem* *** *Ramſen Libya, Aethiopia, Medisque et Perſis, et BACTRIANO, ac Scytha potitum; quasque terras Suri, Armenique et contigui Cappadoces colunt, inde Bithynum, hinc Libycum ad mare imperio tenuiſſe. Legebantur et indicta gentibus tributa, pondus argenti et auri, numerus armorum equorumque, et dona templis ebur atque odores.* &c. Narranturne et ab hoc et ab illo

* MARSHAMVS in *Canone Chronico*, p. 425.
** Ibid. p. 424.
*** Hunc viri doctiſſimi eundem exiſtimant cum Seſoſtri.

illo res penitus eaedem? Et hinc peti forte ratio poterit, quod * nonnulli olim *Amenophin* Thebaeum nominarent *Seſoſtrin*, etſi id ab omni veri ſpecie repulſum eſſe, aliamque etiam famae huius rationem reddi poſſe, monuerim cap. I. §. 7. Prior tamen coniectura, quod non diffiteor, aliquid ex eo pondus accipit, quod nonnulli Statuas memoriae et honori Seſoſtris conſecratas, *Memnoni* Aegyptiorum, ſiue *Amenophi* attribuerent.

Amenophis vel Oſymandyas Labyrinthum non conſtruxit.

§. 5. Quod ſi vera narrat STRABO, *Oſymandyae* huic debetur etiam conſtructio Labyrinthi in Aegypto, quod videtur fuiſſe aedificiorum omnium, quae in mundo vnquam condita fuere, ampliſſimum, ſumtuoſiſſimum, et admiratione digniſſimum. Verba eius ſunt Lib. XVII. p. 559. *Quod ſi, vt nonnulli aiunt, Memnon ab Aegyptiis Iſmandes dicitur, etiam Labyrinthus nomine Memnonii condecorandus erit, opus videlicet illius, cuius et extant Abydi et Thebis Monumenta. Nam et illic Memnonia oſtenduntur.* Non animus hic eſt, de conditoribus Labyrinthi accurate diſputare, ad cuius mirabilem Structuram, quod ex indiciis nonnullis colligo, Iſraëlitas ſeruitute Aegyptiaca preſſos, adhibitos fuiſſe auguror; verum obſervo tantum, id quod ex STRABONE hac de re attulimus, non niti fide veterum Monumentorum; ſed eſſe meram tantum coniecturam nobiliſſimi Scriptoris. Sciebat nempe, eum quem Graeci *Memnonem* appellare ſolerent, ab ipſis Aegyptiis *Amenophin;* ſed et *Iſmanden*, vel *Uſmenden* nuncupari. Audiuerat etiam ex fama, ſane obſcura et valde incerta, illi qui in Labyrintho ſepultus eſſet, nomen fuiſſe *Imandis.* Ex hac ſoni in duobus nominibus qualicunque ſimilitudine et affinitate, colligit Scriptor eximius, verum ſermonis Aegyptiaci expers, duo haec nomina eſſe vnius tantum viri. Quot non conſimilis argumentationis exempla, in MARSHAMI *Canone Chronico*, et PERIZONII *Aegyptiacis*, et haud minus apud alios quoque hiſtoriae et Chronologiae veteris inueſtigatores, reperire licet? Quare operae vix pretium eſt, hariolationem illam praeſtantiſſimi Geographi, ſerio confutare. Adſcribam tamen iudicium ea de re MARSHAMI, quod non poſſum non magnopere probare. Ita autem ille p. 426. poſtquam STRABONIS verba, etiam a me prolata, adduxiſſet. „Paulo ante idem de Labyrinto dixerat, *ſepulti nomen eſſe Imanden,*

* PAVSANIAS p. 101.

[a] Lib. I. p. 30. C.

„*den*, qui * in *Epitome* ſcribitur Μαΐνδης. Apud Diodorum [a] „*Mendes ſepulchrum ſibi conſtruxit Labyrinthum*, quem cum *nihil* „*bellici ſuſcepiſſe* dicat, ille Memnona non intellexiſſe videtur. „ et quae illic plura ſequuntur. Quibus vnicum hocce addo, pleroſque conditorem Labyrinthi vocare non *Menden* vel *Imanden* ** verum *Moerin.* Et ſi vel Operis huius admirandi auctor, aut qui primus in eo ſepulchrum inuenit, *Mendis* aut *Imendis* nomen geſſiſſet, quod valde incertum eſt, alius tamen omnino ab *Oſymandya* Thebaeo, cenſeri omnino deberet.

* Ea ab HVDSONO edita eſt inter Geographos minores. Vide eam To. II. p. 220.

** Vide MARSHAMVM Lib. cit. p. 237. 238.

SYN-

SYNTAGMA III.

De
Statua celeberrima Memnonis Aegyptii, ſiue Amenophis et Oſymandyae.

CAPVT I.

De magna, in qua Statua haec apud veteres fuit exiſtimatione.

Magna quondam fuit celebritas Statuae Amenophis in Thebaide. §. 1. Etiam poſtquam mutilata eſſet, a veteribus magnopere celebrata fuit. §. 2. Qui iter in Aegyptum ſuſcipiebant, Statuam quoque Memnonis inſpicere ſolebant. §. 3.

§. 1.

Magna quondam fuit celebritas Statuae Amenophis in Thebaide.

Tranſeo nunc ab Amenophi ſiue Oſymandya, ad celebratam tot veterum Scriptis, Statuam eius ſaxeam, prope Thebas, in Aegypto ſuperiori, erectam, ad quam viſendam tot vndique ſpectatores, indigenae et peregrini, confluebant, et quae ab omnibus olim inter admiranda Aegypti numerata fuit. Vix igitur ex Scriptoribus vetuſtis quisquam de Aegypto, et ſpectatu in illa dignis, loquitur, quin etiam Statuae huius celebris mentionem iniiciat. Exemplo ſit DIONYSIVS *Periegetes*, qui in breui Orbis deſcriptione, vbi ad Aegyptum peruenit, Memnonem ſiue Statuam Oſymandyae tacere non potuit. Sunt enim hi eius verſus, etiam ſupra allati:

Ἡ μὲν ὅτοι Θήβην ἐρικυδέα ναιετάϐσι
Θήβην ὠγυγίην ἑκατόμπυλον, ἔνθα γεγωνὼς
Μέμνων ἀντέλλϐσαν ἑὴν ἀσπάζεται Ἠῶ.

Et qui Thebas percelebres inhabitant:
Thebas priſcas, centum portas habentes: vbi reſonans
Memnon exorientem ſuam ſalutat Auroram.

Quare ſatis mirari non poſſum, HERODOTVM, diligentem illum antiquitatum Aegypti inueſtigatorem et narratorem, Statuae illius admirandae mentionem inieciſſe nullam. Ipſe equidem * in ſuperioribus, lectorem obſeruare iuſſi, Scriptorem hunc laude digniſſimum, in loco, vbi id minime expectaſſes, obiter ac aliud agendo, Statuae iſtius fortuitam et breuem facere mentionem. At vbi res ipſa id poſtulare videbatur, vbi admiranda Aegypti praedicat, vbi de Thebis Aegyptiis, vbi de Diis et Sacris magnae illius vrbis referre ſatagit, prodigium Statuae Thebaeae commemorare negligit. Non ſane diffiteor, Statuam Amenophis, illo iam tempore, quo Herodotus Aegyptum itineribus peragrauit, ſiue iuſſu ferocis Cambyſae, ſiue, vt alii narrant, terrae motu, violatam et media corporis parte diſruptam fuiſſe. Verum caſus ille tamen non effecit, vt Statuae huius miraculum, ſonitus oriente Sole, a lapide emiſſus, deſierit penitus. Teſtimonia, quae iamiam in medium proferam, ſatis oſtendunt, vocem illam lapidis, loquelam imitantis, auditam poſthaec ſemper fuiſſe, vſque ad ſeculum IV. aerae Chriſtianae. Suſpicari tamen quis poſſet, Statuam Memnoniam, tempore Herodoti, mutilatam quippe et ex parte collapſam, neglectam iacuiſſe, et diu demum poſt, forte regnantibus Ptolemaeis, vocem miraculoſam, Coloſſo huic, etſi truncato, reſtitutam fuiſſe. Inter omnes certe, quos memoria repetere poſſum, MANETHO Sacerdotum Aegyptiorum tempore Ptolemaei Philadelphi Princeps, primus eſt **, qui et ſtatuae Memnoniae diſertis verbis meminerit, et vocis admirandae a Statua hac emiſſae. Is vero annis circiter ducentis Herodoto iunior extitit. Sed dubitari etiam merito poteſt, an ab ipſo MANETHONE annotatio haec profecta fuerit, habueritne vero auctorem AFRICANVM, vel EVSEBIVM, quod mihi certe longe ſit veroſimilius. Quod ſi vero res iſta ita ſe habet, vti dixi, pronum eſt conicere, ante Auguſti Imperatoris aetatem, neminem de voce Memnonis mirabili aliquid literis mandaſſe, remque hanc totam illo ipſo tantum tempore inter Graecos innotuiſſe. Nam non poteſt produci ante illud aeuum quisquam, qui vocis Memnoniae mirandae prodigium

* *Synt.* II. cap. I. §. 1.
** Apud SYNCELLVM in *Chronographia* p. 72.

digium celebrauerit. Quot vero non ſunt, qui ab illo tempore rem adeo miram et ore et ſcripto celebrarunt? Videtur res haec illo tempore tantum, haut vero antea itidem orbi graeco cognita fuiſſe. Teſtantur vero plures Scriptores antiqui, ante Cambyſis tempora, vocem Memnoniam valde celebrem, inque Aegyptiorum omnium ore fuiſſe. Neque video, cur id negari a quoquam debeat. Verum quo tempore HERODOTVS Aegyptum adiit, vox illa defeciſſe mihi videtur.

§. 2. Non tamen a Cambyſis tempore vox illa Memnonia in vniuerſum audiri deſiit. Sunt qui diu poſt caſum illum, celebris Statuae Memnonicae virtutem mirificam praedicauerint, laudibusque extulerint. PAVSANIAS poſtquam * de lapide quodam, in arce Megarenſium ſeruato, qui percuſſus alio lapide ſonum ederet, qualem edere ſolent fides digito pulſae, verba feciſſet; teſtatusque eſſet, ſibi rem hanc viſam fuiſſe mirabilem, confeſtim addit. *Verum enim vero, coloſſum qui Thebis Aegyptiis eſt, trans Nilum, —— maiori vtique cum admiratione ſpectaui. Statua ibi eſt ſedentis hominis*, et quae plura illic legi poſſunt, a nobis etiam in ſequentibus adducenda. Apud LVCIANVM ** in *Philopſeude*, Eucrates quidam introducitur, haec de ſe narrans. *Cum in Aegypto degerem adhuc adoleſcens, doctrinae gratia a patre miſſus, cupiui nauigio Coptum profectus, indeque ad Memnonem progreſſus, miraculum illud audire, cum videlicet ſonum edentem ad orientem ſolem.* TACITVS quoque emunctae naris Scriptor, *miraculis* in Aegypto, *Memnonis ſaxeam effigiem* accenſet. Locum dabimus §. 3. HIMERIVS tamen, Sophiſta non incelebris, magnam Statuae illius exiſtimationem, ex eo tantum deriuari debere contendit, quod conſpectui multorum ſubducta, in vltimo Aegypti angulo ſpectari tantum potuerit. Verba eius ſunt: *** Τὶς δ᾽ ἂν εἴη πυραμίδων λόγος, εἰ μὴ πόῤῥω τȣ̃το τὸ θέαμα. ἢ τȣ̃ κατ᾽ αἰθιόπας Μέμνονος, εἰ μὴ κἀκεῖνον ἄνω τῆς πολλῆς θέας ἡ μητὴρ ἔστησε. *Quis tanti faceret Pyramides, niſi via adeo longinqua ad ſpectandas eas eſſet emetienda: aut lapidem Memnonium in Aethiopum regione poſitum, niſi eam mater tam longe a conſpectu noſtro remouiſſet?* Vides in his, vti ſaepe alias, (§. 3.) Pyramides cum Statua Memnonis coniungi, tanquam quae prae reliquis omnibus, attenta peregrinatorum contempla-

 tione

Eam, etiam poſtquam mutilata fuiſſet, vehementer tamen celebrarunt veteres.

* In *Atticis* p. 101.
** Operum T. II. p. 496. Edit. Salmur.
*** Apud PHOTIVM in *Bibliotheca*, Cod. CCXLIII. col. 2032.

tione digna eſſent, plurimosque ad viſendam Aegyptum allicerent. Notum vero eſt, Stupendis illis molibus, quas Pyramides vocant, inter VII. praecipua orbis miracula locum ſemper aſſignatum fuiſſe, illumque ſi * Poëtae ſententiam audiendam putamus, primum:

Barbara Pyramidum ſileat miracula Memphis;
Aſſiduus iactet nec Babylona labor.
Nec Triuiae Templo molles laudentur Iones;
Diſſimuletque Deum cornibus Ara frequens.
Aëre nec vacuo pendentia Mauſolea
Laudibus immodicis Cares in aſtra ferant.
Omnis Caeſareo cedat labor Amphitheatro:
Vnum prae cunctis fama loquatur opus.

Et cum his tamen Pyramidibus, praecipuis totius Mundi miraculis, comparatur Statua Memnonia, illarumque ad latus veluti a Scriptoribus ponitur. Ex quo de magna, in qua olim apud omnes fuit, exiſtimatione, iudicium ferre licet.

Qui in Aegyptum iter ſuſcipiebant, Statuam quoque Memnonis inſpicere ſolebant.

§. 3. Vt ea, quae diximus, nouo argumento corroborentur, abs re non erit, exemplis luculentis oſtendere, eos, qui animi oblectandi cauſa in Aegyptum proficiſcerentur, interque hos, viros etiam Principes, ad Memnonis quoque Statuam iter ſuſcepiſſe, vt quae de ea fama vulgauerat, ipſi propria experientia cognoſcerent. De Alexandro M. cum Aegyptum occupaſſet, relatum legimus: ** *Cupido haut iniuſta quidem, ceterum intempeſtiua inceſſerat, non interiora modo Aegypti; ſed etiam Aethiopiam,* (id eſt Aegyptum ſuperiorem) *inuiſere Memnonis Tithonique celebrata regia* (Memnonium Thebaeum) *cognoſcendae vetuſtatis auidum trahebat pene extra terminos Solis. Sed imminens bellum — otioſae peregrinationi tempora exemerat.* Satis ex his intelligi poteſt, CVRTIVM illius rei, cuius iniecerat mentionem, non optime fuiſſe peritum. Et ſane plures in hiſtoria eius errores geographicos animaduerterunt viri eruditi. Id tamen ex antiquioribus Commentariis de vita Alexandri didicerat, heroëm hunc, vt Aegyptum totam in poteſtate ſua vidit, ingenti deſiderio videndi Memnonii in Thebaide

* MARTIALIS Lib. I. Epig. I. Alium ordinem ſeruat ANTIPATER *Sidonius*, in Anthol. Lib. I. cap. LIV. Ep. 1.
** CVRTIVS Lib. IV. c. VIII. §. 3.

Thebaide exſtimulatum, inſtinctui huic obtemperaturum fuiſſe, niſi immenſa belli moles, ceruici eius imminens, ſubito eum avocaſſet. De Germanico ſimilia narrat TACITVS, *Annal.* Lib. II. c. 61. *Ceterum Germanicus aliis quoque miraculis* (in Aegypto) *intendit animum, quorum praecipua fuere Memnonis ſaxea effigies, vbi radiis ſolis icta eſt vocalem ſonum reddens: disiectasque inter et vix peruias arenas inſtar montium eductae Pyramides.* Eandem fuiſſe Septimio Seuero Imperatori mentem, Scriptor vitae eius paucis ita refert: * *Nam et Memphim et Memnonem, et Pyramides, et labyrinthum diligenter inſpexit.* De Imperatore Hadriano, in hiſtoricis, qui aetatem tulere, tale quid relatum me legiſſe, recordari non poſſum. At teſtantur Epigrammata, Statuae Memnoniae inſculpta, a RICHARDO POCOCKIO vero deſcripta et edita, tum ipſum, tum Sabinam vxorem eius Statuam Memnonis vidiſſe, ſonumque ab eo prolatum audiuiſſe. Tetigerat id haud dubie AMMIANVS MARCELLINVS *in actibus Adriani et Seueri Principum*, quorum ipſe meminit Lib. XXII. p. 245. De Demetrio quodam narrat LVCIANVS in *Toxari.* ** *Aliquando etiam in Aegyptum eſt profectus, vt Pyramides et Memnonem viſeret: ſiquidem audiuerat, Pyramides quanquam excelſae eſſent, vmbram non praebere, Memnonem autem oriente Sole clamare.* Nihil vero aeque teſtatur, quanta vndecunque hominum multitudo, ad viſendum et audiendum Memnonem, ex Aegypto, aliisque regionibus confluere ſoleret, quam Epigrammata et Inſcriptiones, quae in Statua Memnonis hodieque leguntur, quasque cum notis edere operae pretium foret. Sunt equidem, vti eas RICHARDO POCOCKIO, viro de antiquitatibus Aegyptiacis praeclare merito, deſcribere, et poſtea in lucem edere licuit, multis et inſignibus vitiis paſſim vehementer inquinatae, eoque et lectu et intellectu difficillimae; at enim non eſt, quod dubitem, pleraque, quae in his Inſcriptionibus ſuperſunt menda, a viro docto, rerum Seculi II. aerae Chriſtianae bene perito, ſi opera adhibeatur diligens et indefeſſa, feliciter ſublatum iri. Tentarunt rem hanc non infeliciter viri doctiſſimi, nunc beatorum choro adſcripti, LEICHIVS et D'ORVILLIVS. Etiam atque etiam opto, vt alii veſtigiis ipſorum, pari cum ſucceſſu inſiſtant.

* SPARTIANVS in *Seuero* cap. 17.
** Operum To. II. p. 74.

CAPVT II.

De loco, vbi Statua Memnonis vel Oſymandyae ſpectanda fuit.

Statua Memnonis Aegyptii poſita erat prope vrbem Thebas. §. 1. Statuae illius ſitus paulo accuratius deſignatur, ex indicio veterum. §. 2. De Syringibus, apud quas Statua illa locatur a Pauſania. §. 3. Statua illa poſita erat in Porticu magnifica, quae ad Templum ducebat. §. 4.

§. 1.

Statua Memnonis Aegyptii poſita erat in Thebaide prope vrbem Thebas.

Ex iis quae in ſuperioribus de Memnone, tum Graeco, tum Aegyptio, ex veterum narrationibus attuli, intelligi ſatis ſuperque potuit, mirabilem illius Statuam, prope Thebas, ſiue Dioſpolin, in Aegypto ſuperiori, erectam, viſendamque fuiſſe. PHILOSTRATVS quidem, qui inclytam hanc effigiem ſaxeam toties commemorat, et curate deſcribit, aſſeuerat *, eam in Athiopia ab indigenis, in honorem regis ſui conſtructam fuiſſe, et colore, qui lapidi ineſt, nigro, genuinam eius formam referre. Et omnia recte perpendenti dubium eſſe nequit, quin Scriptor hicce, qui miram in rebus Geographicis imperitiam, vbique ad nauſeam vſque prodit, Aethiopiam intelligere voluerit, quae eſt ſupra Aegyptum, et in ea Memnonis ſui Statuam locauerit. Nempe nouerat bonus PHILOSTRATVS **, Poetas graecos, Memnonis ſui genus, vt plurimum ex Aethiopia, tanquam vera eius patria, deducere conſueuiſſe; verum ignorabat ***, antiquiores inter hos, ipſumque adeo HOMERVM, per *Aethiopiam* ſaepius intelligere *Aegyptum ſuperiorem*. Poterat tamen, quod ipſe ignorabat, ex tot aliis Scriptoribus egregiis diſcere, qui locum et ſitum Statuae Memnoniae tam accurate deſignarunt, vt nullus errori ſupereſſe amplius poſſet locus. Verum enimuero praeſtantiſſimorum horum auctorum ſcripta, manu tam diligenti non verſauerat, atque Rhetorum libros, et Poëtarum carmina, quibus ſe in errorem induci paſſus eſt.

§. 2.

* *De vita Apollonii* Lib. VI. c. III. itemque in *Heroicis* p. 672. et *Iconum* Lib. I. p. 742. Adde CALLISTRATVM in *Expoſitione Statuarum* p. 865. 876. 877. Edit. Paris. Morelli.

** Vide Synt. I. c. II. §. 2. 3.

*** Vide ibidem §. 4.

Situs illius Statuae ex veteribus paulo accuratius deſignatur.

§. 2. Eos inter, qui ex veteribus Statuam Memnoniam oculis vſurpauere, eiusque locum et ſitum curate deſcripſerunt, eſt PAVSANIAS, qui iſta de re hunc in modum ſcribit: * *Thebis trans Nilum ad Syringes, quae ſic vocantur, Statua eſt hominis ſedentis ** reſonans, quam vulgo Memnona vocant, —— Verum Thebaei non dicunt Memnonem, ſed Phamenophin, aliquem ex indigenis eſſe, cuius erat illa Statua.* Obſeruat itaque auctor hic, diligens inprimis et accuratus, Coloſſum Memnonium viſum ſibi eſſe 1) apud *Thebas Aegyptias*. Nimirum locum innuit, de quo *** Poëtam nouimus canere:

Dimidio magicae reſonant vbi Memnone chordae
Atque vetus Thebe centum iacet obruta portis.

Idque Poëtae huius aeuo, vti hodie doctis, etiam vulgo notum erat. 2) *Trans Nilum*, quod intelligendum eſt cum reſpectu ad ipſam Thebarum vrbem. Vrbis huius ampliſſimae, et vaſtae magnitudinis, pars maxima et praecipua † ſita erat ad littus Nili orientale, in *Arabia*, quam veteres ſic vocant, *Aegyptiaca*. Trans Nilum vero, ad littus eius occidentale, in *Libya*, vt ſaepe veteres loquntur, *Aegyptiaca*, cernebatur *Memnonium*, cuius praecipuum et mirabile decus erat Statua Memnonia. Videbimus id mox auctoritate STRABONIS confirmatum, et teſtimonio peregrinatorum illuſtrium, qui rem etiamnum ſic ſe habere docent. Spectat huc Epigramma graecum ASCLEPIODOTI, hodieque in baſi Statuae Memnoniae legendum, quod †† ſupra deſcripſimus, nam in eo affirmatur, Coloſſum Memnonium partim ſtare, partim iacere:

Αἰγύπτȣ Λιβυκῆσιν ὑπ' ὀφρύσιν, ȣ̃ ἀποτάμνει
Καλλίπυλον Θήβην Νεῖλος ἐλαυνόμενος.

Aegypti Libycis ſub tumulis, vbi abſcindit
Pulchras portas habentem Theben Nilus incitatus.

Addit PAVSANIAS 3) Memnonis Coloſſum conſpici, vbi ſunt *Syringes ita dictae*, πρὸς τὰς σύριγγας καλȣμένας. Ille vero ††† *Aegyptiorum Syringes multorum Scriptorum Oratione celebratae ſunt et decantatae:*

* *In Atticis* p. 101.
** In graeco eſt ἄγαλμα ἠλεῖον, pro quo SCALIGER *Animaduerſion.* in Euſebium p. 25. legit ἠχεῖον, quod miror in vltima Editione *Pauſaniae* obſeruatum non fuiſſe.
*** IVVENALIS Sat. XV. init.
† STRABO Lib. XVII. p. 561.
†† *Synt.* I. cap. III. §. 4.
††† AELIANVS de *Animal.* Lib. VI. c. 43.

cantatae. Quid autem ſint hae Syringes, et vbinam in Aegypto quaerendae, hactenus, quantum ſcire mihi datum eſt, nemo accurate et luculenter oſtendit. De voce Συρίγξ, ſitne originis graecae, an vero *, quod mihi aliquando veritati ſimilius videbatur, Aegyptiacae, hic multis non diſputabo. Illud mihi tamen extra dubitationis periculum poſitum videtur, Graecos, quando de Syringibus Aegyptiorum loquuntur, voce hac vti tanquam domeſtica, illique adeo ſenſum indere, cui inter ſuos aſſueti erant. ** *Vocant* autem Graeci *Syringas cauernas minutas terrarum.* SYNESIVS, niſi fallor, easdem *** vocat Χηράμους, *cauernas ſubterraneas, latibula.* HESYCHII haec eſt interpretatio. Σύριγγες — *κατατρήσεις εἰς ἄλληλας ἐμπίπτουσαι.* *Dicuntur* Σύριγγες *foramina*, aut loca perforata et excauata, *quae in ſe mutuo incidunt.* Quale quid de anfractibus Labyrinthorum dici poteſt. Neque ſpernenda eſt iſta vocis eiusdem interpretatio, quam SYNESIVS alio loco, hunc in modum ſuppeditat. † Ὄρος ἐστιν ἡ Βομβαία κοῖλον, ὃ συνελθοῦσαι τέχνη καὶ φύσις εἰργάσαντο φρούριον ἐρυμνότατον —— καί τινες αὐτὸ παρὰ τὰς αἰγυπτίων ἐξήταζον σύριγγας. *Bombaia eſt petra caua, quam concurrentes ars et natura, caſtellum reddiderunt firmiſſimum. —— Quidam comparant eam cum Syringibus Aegyptiorum.* Erant igitur Aegyptiorum Syringes, cauernae plerumque oblongae, in montibus vel rupibus, magno labore, nec arte minori exciſae. Vnde STRABO viam illam, quae in Pyramide magna, ab introitu illius, ad ſepulchrum regis, cuius corpus medicatum, ante tria annorum millia, et amplius forte, conditum illic iacebat, etiamnum ducit, quamque peregrinatores non pauci, curate nobis delinearunt, *σύριγγα σκολίαν, Syringem obliquam* nuncupat, Lib. XVII. p. 555. Omnium optime Syringas Aegyptiorum deſcripſit AMMIANVS MARCELLINVS Lib. XXII. p. 250. *Sunt et Syringes ſubterranei quidam et flexuoſi ſeceſſus, quos, vt fertur, periti rituum vetuſtorum — penitus operoſis digeſtos fodinis, per loca diuerſa Struxerunt: et exciſis parietibus, volucrum ferarumque genera multa ſculpſerunt, quas hieroglyphicas literas appellarunt, Latinis ignorabiles.* Tales Syringes, in rupibus magnis ſumtibus et labore immenſo excavatae, literisque hieroglyphicis, aut aliis ignorabilibus mirandum in modum

* In *Pantheo* Lib. V. cap. V. §. 17.

** AMMIANVS MARCELLINVS Lib. XVII. p. 106. Edit. Lindebr.

*** In *Encomio Caluitii* p. 73.

† Epiſt. CIV. p. 246.

modum exornatae, in Thebaide cumprimis inferiori, paſſim numero ſtupendo inueniuntur, et a * peregrinatoribus peritis, qui atque artibus iuſtum ſuum pretium ponere didicerunt, non ſine admiratione conſpiciuntur.

§. 3. PAVSANIAS vero, quod intelleximus §. 2. ſyringes locat ad Thebas Aegyptias, et profecto ratione non improbabili, iam ſic colligere licet, oportuiſſe vtique, vt in illa Aegypti parte, ſyringes extiterint plurimae, et, vt credere par eſt, omnium etiam antiquiſſimae. Syringes enim dicebantur, teſte AMMIANO, (vid. §. 2.) loci ſubterranei, in rupibus exciſi, in quorum parietibus lapideis, literis hieroglyphicis, optimarum ſcientiarum inuenta, et quaeuis memoria poſteritatis digniora, inſcribebantur, aut in quibus Stelae, ſiue columnae marmoreae, ſcripturam hieroglyphicam complexae, aſſeruabantur. Et ** *terram ſyringicam* dictam eam nouimus, in qua primitus tales ſyringes conſtrui coepiſſent. Haec autem *terra Syringica* fuit ſine dubio Thebais, ac illa ſigillatim regio Thebaidis, quae Dioſpoli magnae, ſiue Thebis vrbi imminebat. *Thoth* enim, Aegyptiorum *Mercurius*, *** ſcripturae hieroglyphicae, vt ferunt, inuentor, † qui his ipſis literis, in gratiam Seculorum venturorum, Stelas et lapides in Syringibus conſcribi primus iuſſit, †† cuius nomini, quicquid lapidibus hiſce atque Stelis inſcribebatur, dedicatum erat et conſecratum, vt taceam, ††† nomen eius Aegyptiacum *Thoth*, reipſa nihil aliud, quam Stelam huiusmodi literis hieroglyphicis conſcriptam, ſignificare, *Thoth*, inquam, ille, patriam habuiſſe Thebas perhibetur, ideoque * Thebaeus ſubinde nuncupatur. Diſcimus etiam ex ERATOSTHENIS Catalogo regum Thebaeorum Aegypti, ſecundum ex illis regibus, dici *Athothen*, quod ERATOSTHENES ipſe inter-

De Syringibus, in quarum vicinia locatur Statua Memnonia.

* Poſſunt hic, ſi ita videatur, conſuli, *La relation d'un voyage fait en Egypte*, par VANSLEB p. 356 - 359. 378. 379. et ſaepius alibi, le troiſieme *voyage de* PAVL LVCAS To. II. p. 55. 56. 76. 77. *Les nouveaux Memoires des Miſſions* To. II. p. 128. &c. 217. &c.

** Vide *Pantheon* noſtrum Lib. V. cap. V. §. 15.

*** Videri poteſt *Pantheon* noſtrum Lib. V. cap. V. §. 15.

† MANETHO Lib. V. Apotelesm. V. 2. 3.

†† *Pantheon* loc. cit. §. 15.

††† Ibid. §. 16.

* CLEMENS *Alexandrinus* Lib. I. *Stromat.* p. 334.

interpretatur *Mercurio ſatum*; ego vero *Mercurialem*, eaque voce deſignari opinor, quod * alias pluribus expoſui, *regem cui eruditio, lapidibus inſcripta, et in Syringibus religioſe cuſtodita, curae cordique inprimis eſſet.* Syringes ergo Aegyptiorum primae et praecipuae, in Thebaide, et quidem circa Thebas vrbem quaerendae omnino erunt. Et ſane ibi etiam CALLISTRATVS in ipſo initio *Statuarum* p. 864. Syringem aliquam locat, eamque iſtum ad modum deſcribit. Ἄντρον ἦν τι περὶ Θήβας τὰς Αἰγυπτίας προσεικασμένον σύριγγι εἰς ἕλικας αὐτοφυῶς ἐν κύκλῳ περὶ τοὺς τῆς γῆς ἑλιττόμενον πυθμένας. Οὐ γὰρ ἐπ' εὐθείας ἀνοιγόμενον, εἰς εὐθυπόρους αὐλῶνας ἐσχίζετο, ἀλλὰ τὴν ὑπώρειον περιτρέχον καμπὴν ὑπογείους ἕλικας ἐξέτεινεν, εἰς δυσεύρετον πλάνην ἐκπίπτον. *Antrum aliquod fuit apud Thebas Aegyptias in formam fiſtulae expreſſum, in quo ſubter terram gyri a natura in orbem contorti erant: non enim recto tramite apertum in directos tubos findebatur; ſed ſubmontanam flexuram circumcurrens, ſubterraneos anfractus protendebat, in errorem vix indagabilem et inextricabilem exiens.* Situm vero huius aliarumque Syringum diſtinctius nobis oſtendit PAVSANIAS, vbi teſtatur, quod ipſe viderat, *Statuam Memnonis videri apud Thebas prope Syringes.* Ibi igitur illae quaerendae erunt. Quod ſi iam quis, ea quae de *Syringum* indole et forma modo nunc diſputaui, expendere dignabitur, non inuitus mihi largietur, eas non poſſe non eſſe ſepulchra regum Thebaeorum, opera immenſa, et artificio ſtupendo, in rupibus prope vrbem Thebas excavata, aliasque cauernas ſubterraneas, in eadem regione reperiundas. Huiusmodi ſepulchra, operis prorſus admirabilis, olim fuiſſe numero quadraginta et ſeptem, Sacerdotes olim ** ex commentariis ſuis referebant, ex quibus decem et ſeptem Ptolemaei Lagidae tempore ſuperfuiſſe addebant. Et horum etiam pleraque, quo tempore DIODORVS Aegyptum luſtrauit, terra obruta et corrupta fuiſſe, *** is ipſe teſtatur. RICHARDVS tamen POCOCKIVS, qui noſtra aetate, Thebarum Aegyptiarum immenſa rudera oculis ſuis ſubiecit, † ſepulchra huiusmodi vidit numero decem et octo, et inter haec ad nouem ipſi patuit aditus. Praeter haec vero ſepulchra, plures etiam adiit ca-

vernas

* In *Pantheo*, vbi ſupra, §. 20.

** DIODORVS *Siculus* Lib. I. p. 43.

*** Vbi ſupra p. 44.

† *Obſervations on Egypt.* p. 98.

vernas ſubterraneas, admiratione haud minori dignas, quam illa vere regia ſepulchra. De his iam regum ſepulchris Thebaeis, aliisque his vicinis cauernis ſubterraneis, obſeruaſſe iuuabit: 1) eas non eſſe a Memnonio vel loco Statuae Memnoniae longe remotas, quod de Syringibus PAVSANIAS teſtis oculatus affirmat. Audiamus rei eiusdem teſtem oculatum alium, STRABONEM, qui Lib. XVII. p. 561. *ſupra Memnonium*, inquit, *ſunt regum loculi, in ſpeluncis quibusdam, in lapidem inciſi, circiter XL. admirandum in modum ſtructi, ſpectatuque ſane digni.* Quibus addi debet teſtis oculatus tertius, peregrinator ille illuſtris, cuius modo feci mentionem, quo ſane nemo melius et curate magis haec omnia deſcripſit, et * qui verba haec STRABONIS mirifice confirmat. 2) Si quis eiusdem praeſtantiſſimi viri relationem de mirabilibus hiſce regum Thebaeorum ſepulchris attenta mente legat et penſitet, videbit ea eſſe *ſeceſſus ſubterraneos, operoſis digeſtos fodinis*, vti loquebatur AMMIANVS, adductus §. 2. et *fiſtulas oblongas*, vti ſonant STRABONIS verba ibidem allata, in rupibus inciſas, quod te Syringibus veteres perhibent. Idem teſtantur etiam STRABONIS verba, quibus vſi nunc ſumus. 3) Nihil vero ea quae adſtruxi, validius firmat ac roborat, quam quod praecipuus, et initio, vt videtur, vnicus hic fuerit Syringum vſus, vt Monumenta priſci aeui Aegyptiaca, literis hieroglyphicis deſcripta complecterentur, et cuſtodirent. Nam huic rei ſepulchra etiam Thebaea, et vicinas cauernas ſubterraneas praecipue inſeruiiſſe, certum vtique et teſtatum eſt. Audiamus STRABONEM, de ſepulchris regum Thebaeis loc. cit. iſta obſeruantem. Ἐν δὲ ταῖς θήκαις ἐπί τινων ὀβελίσκων ἀναγραφαὶ ** δηλȣ̃σαι τὸν πλȣ̃τον τῶν τότε Βασιλέων, καὶ τὴν ἐπικράτειαν, ὡς μέχρι Σκυθῶν καὶ Βακτρίων, καὶ Ἰνδῶν — διατείνασαν, καὶ Φόρων πλῆθος, καὶ ςρατιᾶς περὶ ἑκατὸν μυριάδας. *In hiſce regum ſepulchris, in obeliſcis quibusdam inſcriptiones ſunt, quae regum illorum diuitias, ac potentiam declarant, atque imperium vſque in Scythiam, et Bactrianam, et Indiam, — propagatum. Item tributorum magnitudinem, et exercitus hominum circiter millies millium.* Et omnia in hodiernum vsque diem, in ſepulchris illis et cauernis, plena eſſe literarum hieroglyphicarum, indefeſſa *** POCO-

* Vbi ſupra, p. 97.
** Legendum videtur δηλȣ̃σι, aut βλέποιται δηλȣ̃σαι, aut ſimile quidpiam.
*** Lib. cit. p. 98. 99. 100.

CKII induſtria nos docuit. Crediderim, ſepulchra illa magnifica, initio quidem, aliis vſibus, Sacerdotum, vt credo, et Philoſophorum, conſecrata fuiſſe, inſecuto vero tempore, poſtquam Templa ſumtuoſa, et cum his domicilia Sacerdotum commoda, eſſent conſtructa, reges ſubterraneos illos receſſus condendis ſuis et ſuorum corporibus reſervaſſe. De cauernis certe, quae ſepulchra illa iungunt, id acutiſſimum * POCOCKIVM iam obſeruaſſe, non ſine voluptate deprehendi. Poſſem alia addere, ad confirmandum ſitum Statuae Memnoniae, ſi opus eſſet. Sed quis quaeſo plura deſiderauerit?

Statua Memnonis poſita erat in Porticu magnifica, quae veſtibuli inſtar ad Templum ducebat.

§. 4. De regione igitur, in qua ſtetit ſaxea Memnonis effigies, dubium omne ſublatum eſt. Viſitur hodieque in illo ipſo loco, in quo ante tria circiter annorum millia, et forte amplius, reges Thebaei eam erigi curarunt. Verum quaeri poteſt, fueritne locus, Statuae huic aſſignatus, ager, omnium, profanorum etiam ſemper acceſſui expoſitus, an vero Templi aut Fani inſtar, Numini cuidam dedicatus, ſacerque habitus. PHILOSTRATVS ex relatione DAMIDIS ſui, locum iſtum ** appellat Τέμενος, *Templum*, vel *Fanum*. Neque aliter de eo loquitur PLINIVS, cuius iſta appono verba. *** *Non abſimilis illi* lapidi, *narratur in Thebis, delubro Serapis, vt putant, Memnonis Statua dicatus.* Et ſunt viri de antiquitatibus Aegypti egregie meriti, qui teſtimonium Sophiſtae nugacis, poſtquam rudera Thebarum priſcarum oculo attento inſpexerunt, ſuffragio ſuo corroborarunt, remque hodie etiam ſic ſe habere, aſſeruerunt. CLAVDIVS SICARDVS e Societate Ieſu, et Miſſionarius quondam in Aegypto, per plurimos annos, cui ſi vita longior ſuppetiiſſet, Aegyptus antiqua non parum debitura fuiſſet, in deſcriptione Monumentorum Thebaeorum, quae ſuperſunt, commemorat etiam † *Templum Memnonis* ſibi viſum. Et POCOCKIVS, vbi omnia, quae memoratu digna Thebis ordine recenſet, mentionem quoque iniicit Templi, non ita procul a ſepulchris regum Thebaeorum diſſiti, in quo duos vidit Coloſſos, e nigro marmore ſculptos, de quibus †† hoc addit. *Fuerunt, qui ſibi perſuaderent, alterum iſtorum Coloſſorum eſſe Memnonis.* Sed vera

* Vbi ſupra p. 97. 100.
** *De vita Apollonii* Lib. VI. c. 3.
*** Lib. XXXVI. c. 7.
† *Nouveaux Memoires des Miſſions* To. VII. p. 161.
†† *Obſervations on Egypt.* p. 101.

vera et genuina Statua Memnonis antiqui, quae tot indiciis ſe ipſam prodit, ſibique ipſa teſtimonium perhibet inuictum, hos erroris manifeſti conuincit. Ad PHILOSTRATVM vero vt reuertar, veritati vtique conſentaneum eſt, quod deinceps loco eodem, ex ſcriptore bonae notae, fideque digno ſubiicit. *Locum vero, vbi * Memnonis Statua poſita eſt, antiquo foro ſimilem eſſe dicunt. Extant eiusmodi fora quaedam, in vetuſtiſſimis ciuitatibus, vbi et columnarum viſuntur fragmenta, et parietum quaedam veſtigia. Praeter ſedes et limina, et Mercurii ſimulachra, partim manu, partim vetuſtate conſumta, illic etiam conſpici dicunt.* Refert autem POCOCKIVS, quod ipſe oculis ſuis ſpectauit, ** ante Statuam Memnonis per ſpatium idonei interualli, alias conſpici Statuas, et longe plurium fragmenta, temporis hominumque iniuria, magnopere vitiata, et lithoſtroton hoc ducere ad aream, vnde ſatis apparere, idque non immerito, contendit, in illa regione Templum ſtetiſſe magni ambitus, ad quod aditum praebuerit Porticus bene longa, cuius generis in omnibus Aegypti Templis maioribus, adhuc vt plurimum conſpiciuntur, et in hac Porticu viſendam fuiſſe Memnonis Aegyptii, ſiue Amenophis, Statuam.

CAPVT III.

De Statua Amenophis, ſiue Memnonis Aegyptii, eiusque materia, forma, et magnitudine.

Veterum quorundam circa Statuam Memnonis errores notantur. §. 1. Statua haec tempore Cambyſis diſrupta, parteque ſui dimidia fracta, humi iacet. §. 2. Statuam hanc, a Cambyſe mutilatam, et veteres et recentiores ex viſu, accurate deſcripſerunt. §. 3. Dubia quaedam aduerſus noſtram ſententiam mota diluuntur. §. 4.

§. 1.

Permulti ſemper fuere, qui in Aegyptum iter ſuſciperent, vt viderent Memnonis Statuam, quod loca, ſupra cap. I. §. 3. adducta, et inſcriptiones ipſi huic Statuae inſculptae, et hodienum illic legendae, affatim

Veterum quorundam circa Statuam Memnoniam errores notantur.

* Senſum Textus graeci MORELLVS hic non eſt aſſecutus, ideoque verſionem eius correxi.

** Vbi ſupra p. 102.

affatim teſtantur. Neque tamen Statua illa ita omnibus cognita erat, quin diuerſae eius extarent olim deſcriptiones, eaeque admodum nonnunquam a ſe inuicem diuerſae. Videmus enim, quosdam Statuam hanc nobis depinxiſſe, vt truncum rudem, omnisque artis plane expertem. PHILOSTRATVS in *Iconibus* Lib. I. p. 742. talem fuiſſe credere nos iubet celebratam illam Statuam. Somnia enim graecorum Mythographorum, * qui nobis hiſtorias multorum referunt, priſco aeuo in lapides mutatorum, is imitatus, talem quoque de Memnone ad Troiam interfecto, fabellam nobis offert. *Ipſe autem Memnon, in nigrum transformatus eſt in Aethiopia lapidem, qui figuram habet ſedentis.* Fidem huic nimis facile adhibens, ** gallicus eius, nec ineruditus, Commentator, citra ambages affirmat, Statuam Memnonis informem prorſus fuiſſe, nihilque niſi rudem truncum. Longe aliter de ea iudicat, qui tamen nec ipſe oculis eam vſurpaſſe videtur, DIODORVS *Siculus.* De hac enim, vt opinor, Statua loquens, ait: *** Τὸ δ' ἔργον τοῦτο μὴ μόνον εἶναι κατὰ τὸ μέγεθος ἀποδοχῆς ἄξιον, ἀλλὰ καὶ τῇ τέχνῃ θαυμαστὸν, καὶ τῇ τοῦ λίθου φύσει διαφέρον, ὡς ἂν ἐν τηλικούτῳ μεγέθει μήτε διαφυάδος, μήτε κηλῖδος μηδεμιᾶς θεωρουμένης. *Opus id non tantum ob magnitudinem commendatione dignum, ſed etiam ob artem admirandum, et ſaxi natura excellens, cum in tam vaſta mole, neque fiſſura, neque labes vlla conſpiciatur.* Et hoc poſterius iudicium, ipſa Statuae adhuc ſuperſtitis attenta conſideratio, docet eſſe verum ac rectum. De colore etiam lapidis, ex quo Statua illa exſculpta quondam fuit, video inter ſe non parum diſſentire auctores. PHILOSTRATVS, quod iam vidimus, Memnonem ait, *in nigrum transformatum lapidem.* Sic idem *de vita Apollonii* Lib. VI. c. 3. *Memnonis Statua ex nigro fabricata eſt lapide.* Et ſic plerique. Fuit certe haec communior veterum perſuaſio, quae forte multos in ea non parum confirmauit opinione, Memnonem gente extitiſſe Aethiopem. TZETZES vero, cuius ea de re verſus † alio loco protulimus affirmat, columnam Memnoni poſitam, eſſe πυῤῥοποικίλου λίθου, *ex lapide rubicundo ſed variegato*, cuius generis eſt lapis Porphyrites, et quem


* Plurima huius rei exempla, in OVIDII *Metamorphoſibus* occurrere, omnibus notum eſt.

** BLASIVS VIGENERIVS ad Philoſtrati Icones To. II. p. 149.

*** Lib. I. p. 44.

† Synt. II. cap. II. §. 2.

TAB. I ad pag. 71.



STATVA MEMNONIS
FACIEM OSTENDENS.

Bernigeroth sc. 1752.



STATVA MEMNONIS
TERGVM OBVERTENS.

Bernigeroth ſc. 1752

quem vulgo *granitum*, rubicundum nempe appellant. Sed qui noſtra aetate, Statuam hanc ſollicite inſpexit, RICHARDVS POCOCKIVS, teſtatur *, conſtructam eſſe ex genere lapidis graniti, poroſi, impenſae duritiei, cui ſimilis nuſpiam viſus ſibi ſit; ſed proxime tamen accedere ad ſpeciem aëtitae. Si porro PHILOSTRATO, auctori vitae Apollonii, credimus, artifex Statuae Memnonis, formam indidit plane peculiarem. Scribit enim Lib. VI. c. 3. Τὸ Μέμνονος ἄγαλμα τετράφθαι πρὸς ἀκτῖνα, μήπω γενειάσκον· λίθου δὲ εἶναι μέλανος. ξυμβεβηκέναι δὲ τὼ πόδε ἄμφω, κατὰ τὴν ἀγαλματοποιΐαν τὴν ἐπὶ Δαιδάλου, καὶ τὰς χεῖρας ἀπερείδειν ὀρθὰς εἰς τὸν θᾶκον· καθῆσθαι γὰρ ἐν ὁρμῇ τοῦ ὑπανίσασθαι. Τὸ δὲ σχῆμα τοῦτο, καὶ τὸν τῶν ὀφθαλμῶν νοῦν, καὶ ὁπόσα τοῦ στόματος ὡς φθεγξαμένου ᾄδουσι. *Ferunt autem Statuam Memnonis, iuuenis imberbis imaginem referentis, ad Solis radios conuerſam eſſe. Eſſe porro ex nigro lapide fabricatam, pedem vero vtrumque in vnum combinatum, ſecundum leges artis Statuariae, tempore Daedali receptas, manusque rectas ſedi inniti, hominis ſurgere volentis ſimilitudinem referentes. Oculorum autem et totius oris imaginem, quaſi locuturi hominis eſſe perhibent.* Quid autem in hac PHILOSTRATI deſcriptione cum rei veritate congruat, quidue ab eadem recedat, ex genuina Statuae huius hodieque exiſtentis effigie, quam ex Pocockiano opere deſumtam, Commentario huic noſtro addi curauimus, et ex relatione de eadem POCOCKII diligenti et accurata, cuius partem mox hic deſcribemus, omnium optime et tutiſſime intelligi poteſt.

Statua haec tempore Cambyſis disrupta, dimidia ſui parte fracta, humi iacet.

§. 2. Monendum vero eſt, Statuam artificio mirabili ſculptam, talem amplius non conſpici, qualis ex manibus peritiſſimi Statuarii exiit. Nam a tempore Cambyſae, Perſarum regis, adeoque ab annis bis mille et trecentis fere, exquiſitum hoc praeſtantis artificis opus, mutilatum iacuit. Pars illius dimidia, ab eo, quo dixi, tempore, integra fere etiamnum ſubſiſtit, pars altera a reliquo corpore diuiſa, humi cubat. Qui Statuae huius adhuc dum integrae, ſibique viſae mentionem fecerit, hodie puto extare neminem, et veroſimiliter nunquam extitit. At mutilatam viderunt multi, quod ex nonnullorum proprio teſtimonio ſcimus. Si plerorumque veterum apud nos valere ſinimus auctoritatem, barbarae ferocitati Cambyſae, eiusque in Aegyptios odio immenſo in acceptis ferendum eſt, quod opus, in quo tanta enituerat artificis induſtria, mutilatum miſeris modis atque inquinatum, ad poſterita-

* *Obſervations on Egypt.* p. 101.

ſteritatem tranſmiſſum fuerit. PAVSANIAS rem ab indigenis, in ipſo loco, vbi ſtat illa ſaxea effigies, auditam, hunc in modum refert. * Τȣ̃το τὸ ἄγαλμα ὁ Καμβύσης διέκοψε. *Statuam hanc Cambyſes diffidit.* Eundem ad modum auctor *Chronici Alexandrini*, p. 388. Edit. Raderi ſcribit: Καμβύσης Αἰγύπτȣ κατέσχεν· Ὁ δὲ αὐτὸς καὶ τὸν Ἀμένοφιν, ὃς Μέμνων νομίζεται εἶναι — τέμνει. *Cambyſes potitur Aegypto. Is ipſe etiam Statuam Amenophis, quem putat eſſe Memnonem, diffindi curauit.* SYNCELLVS in *Chronographia* p. 151. de eodem Coloſſo lapideo, ex POLYAENO Athenienſi haec refert: Ὃν λίθον χρόνοις ὕστερον Καμβύσης ὁ Περσῶν τέμνει, νομίζων εἶναι γοήτειαν ἐν αὐτῷ. *Lapidem hunc temporibus inſecutis diſſecari iuſſit, Cambyſes, exiſtimans latere in eo neſcio quas praeſtigiatoris fraudes.* Et in ipſo Coloſſo inſculpta legitur Inſcriptio, quae hoc idem teſtatur. Initium eius ſic conceptum eſt:

ΕΘΡΑΥCΕ ΚΑΜΒΥCΗC ΜΕ ΤΟΝΔΕ ΤΟΝ ΛΙΘΟΝ
ΒΑCΙΛΕΟC ** . . . . . ΕΙΚΟΝΑ ΕΚΜΕΜΑΓΜΕΝΟΝ.

id eſt:

Cambyſes vulnerauit me lapidem huncce,
Qui regis Solis imaginem expreſſam refero.

Eſt ne quisquam, qui non illico perſpiciat, ingenio et moribus inhumani Cambyſae, et forte Perſarum quoque illius aeui id apprime conuenire? Illud certe liquet, famam hanc, de violata iuſſu Cambyſae Statua Memnonis, in Aegypto praeualuiſſe, quantumuis STRABO, cuius et doctrinae, et diligentiae, et iudicio plurimum tribuo, quique his, quos nunc ad teſtimonium vocaui, antiquior eſt, teſtetur p. 561, ſe in Thebaide audiuiſſe, *partem Statuae corruiſſe terrae motu.* Si vera STRABONI narrarunt Thebaei, videtur terrae motus Statuam illam concuſſiſſe, quo tempore Cambyſes Aegyptum afflixit. Et cum furorem eius omnium maxime perſentiſcere debuerit Thebarum vrbs, cum ne ipſis quidem in ampliſſima hac vrbe Templis rebusque ſacris vllo modo pepercerit, fieri potuit, vt Aegyptii et hanc Statuae Memnoniae calamitatem, efferatae barbari huius immanitati tribuerent, quod re ipſa terrae motus effecerat. Verum haec ſuo loco iam relinquo.

§. 3.

* In *Atticis* p. 101.
** Ex ductu vnius et alterius literae, ſed ferme exeſae, ſuſpicor, lacunam ſic expleri debere, ΗΛΙΟΝ, et ſic latine verti.

§. 3. Videamus nunc iam, quomodo Statuam hanc mirabilem; ſed neſcio quo caſu miſere mutilatam, deſcripſerint et veteres et recentiores, quibus videndae illius copia facta eſt. Inter antiquiores eſt PAVSANIAS, cuius in hac re teſtimonio vſi ſumus ſaepe. Locum integrum graece et latine hic adſcribendum eſſe duxi. Poſtquam de lapide quodam Megaris aſſeruato narraſſet, quod calculo percuſſus, eundem quem fides pulſae, ſonum redderet, illico haec addit *: Ἐμοὶ δὲ παρέχε μὲν καὶ τȣ̃το θαυμάσαι· παρέχε δὲ πολλῷ μάλιστα Αἰγυπτίων ὁ κολοσσὸς ἐν Θήβαις ταῖς Αἰγυπτίαις διαβᾶσι τὸν Νεῖλον, πρὸς τὰς Σύριγγας καλȣμένας. Ἔστι γὰρ ἔτι καθήμενον ἄγαλμα ** ἠχεῖον, Μέμνονα ὀνομάζȣσιν οἱ πολλοί. Τȣ̃τον γάρ φασιν ἐξ Αἰθιοπίας ὁρμηθῆναι ἐς Αἴγυπτον, καὶ *** τὴν ἄχρι Σȣ́σων. Ἀλλὰ γὰρ ȣ̓ Μέμνονα οἱ Θηβαῖοι λέγȣσι, Φαμένωφα δὲ εἶναι τῶν ἐγχωρίων, ȣ̃ τȣ̃το ἄγαλμα ἦν· ἤκȣσα δὲ ἤδη καὶ Σέσωστριν Φαμένων εἶναι τȣ̃το τὸ ἄγαλμα, ὁ Καμβύσης διέκοψε, καὶ νῦν ὁπόσον ἐκ κεφαλῆς ἐς μέσον σῶμα, ἦν ἀπερριμμένον· τὸ δὲ λοιπὸν κάθηταί τε καὶ ἀνὰ πᾶσαν ἡμέραν ἀνίσχοντος ἡλίȣ βοᾷ, καὶ τὸν ἦχον μάλιστα εἰκάσει τὶς κιθάρας ἢ λύρας ῥαγείσης χορδῆς. *Sed maiori vtique cum admiratione ſpectaui coloſſum qui Thebis Aegyptiis eſt trans Nilum, non longe a Syringibus, quas ita vocant. Eſt ibi Statua ſedentis reſonans, quam vulgus Memnonis nominat: Nam hunc ex Aethiopia in Aegyptum veniſſe, indeque ad Suſa vſque penetraſſe, tradunt. At ipſi Thebani Memnonem eſſe negant. Nam Phamenophin, vnum ex indigenis fuiſſe dicunt. Audiui etiam, qui Seſoſtris Statuam illam dicerent. Eam Cambyſes diffidit, et nunc etiam ſuperior pars a vertice ad medium truncum humi neglecta iacet: reliquum adhuc ſedere videtur, ac quotidie, ſub ipſum Solis ortum, ſonum edit, qualem vel cytharae vel lyrae nerui, ſi forte* (dum nempe tenduntur) *rumpantur.* Paria habet STRABO p. 561, vbi de Memnonio loquitur. *Hic*, inquit, *cum duo coloſſi eſſent, ex vno lapide ſculpti, alter adhuc extat, alterius vero ſuperiores a ſede partes corruerunt, terrae motu, vt fama eſt.* Operae pretium eſſe opinor, cum hiſce deſcriptionibus comparare relationem RICHARDI POCOCKII, viri etiam de hac Statua ſingulariter meriti, qui ante annos non multos, eam in Aegypto ipſe ſpectauit, et effigiem illius curate delinea-

Statuam hanc a Cambyſe mutilatam, cum veteres, tum recentiores, ex viſu curate deſcripſerunt.

* PAVSANIAS vbi ſupra.
** Vide ſupra cap. II. §. 2. not. †.
*** An non forte rectius legeretur ἐκεῖθεν?

delineatam, ac aeri poſtea inciſam, Operi huic nunquam ſatis laudato, inſeruit. Ex deſcriptione enim, quam addidit, ſatis intelligitur, rem in eodem fere ſtatu, a temporibus Strabonis et Pauſaniae, per ſecula XVI, perſeueraſſe. Sunt vero haec viri eximii verba: * *E Templo egrediens, proceſſi ad ſpectandum coloſſos, quos vocabo Memnonios, poſitos verſus vicum Medinet - Habou. —— Sculpti ſunt ex lapide ſpeciei prorſus ſingularis. Eſt poroſus, generis graniti, et inſignis duritiei, qualem nuſpiam antehac vidi, proxime tamen accedit ad ſpeciem aëtitae. — Coloſſi hi faciem cum maxime obuertunt Auſtro, verum tamen ex parte plagae etiam orientali, baſique impoſiti ſunt penitus laeuigatae. Illius, qui verſus Septentrionem ſitus eſt, baſis, pedes longa eſt triginta et tres, ſeptem vero et decem lata; alterius vero coloſſi baſis, longa eſt pariter pedes triginta et tres, ac nouendecim lata. A baſi vero Coloſſus vterque, vſque ad capitis verticem, in pedes circiter triginta quoque aſſurgit. Qui ad Auſtrum ſpectat Coloſſus, ex vno lapide exſculptus eſt; Qui vero ad Septentrionem vergit, media ſui parte eſt disruptus ſupra brachia, quae poplitibus innituntur, eſtque ex quinque lapidibus compaginatus. Pedes ipſius, quarta circiter parte, ſi a digitis menſuram incas, fracti ſunt. Verum quandoquidem partes Coloſſi fractas, non ſeorſim delineauerim, ſatius putaui, Coloſſum hic repraeſentare tanquam integrum, ex dimenſionibus nimirum et obſeruationibus a me factis. Deprehendi autem altitudinem pedis, a planta ad ſummum vsque genu, pedum eſſe circiter nouem et decem: a planta pedis vsque ad talum, pedum duorum et ſex pollicum, ad calcis vero extremum, pedum quatuor. Pes ipſe latus eſt pedes quinque, cruris profunditas pedum eſt quatuor. Ornamentum quod a tergo capitis cernitur, videtur eſſe folium illius palmae, quam in Aegypto Doum appellant. Ad latus cruris vtriusque duae cernuntur Statuae, anaglyptice caelatae, et tertia inter crus vtrumque media, longitudinem hominis naturalem imitantes.* Et quae ibi porro ſequuntur. Quis quaeſo relationem hanc peregrinatoris hodierni, cum deſcriptionibus antiquorum Scriptorum, STRABONIS et PAVSANIAE, conferens, non illico perſpiciat, omnes hos nonniſi de vna eademque Statua loqui, de Statua nempe decantata et tantopere celebrata Memnonis Aegyptii, ſiue Amenophis?

§. 4.

* Obſervations on Egypt. p. 101.

Dubia quaedam, aduerſus hanc noſtram ſententiam mota, diluuntur.

§. 4. Quae cum ita ſint, mirari ſatis haud poſſum, fuiſſe viros eruditos, qui pertinaciter negarent, Coloſſum Thebaeum, cuius delineationem debemus diligentiae POCOCKII, Statuam eſſe Memnonis, quam veteres tantopere mirati ſunt. CLAVDIVS SICARDVS, poſtquam commemoraſſet duas Statuas, a STRABONE olim, et nuper a POCOCKIO deſcriptas, * diuerſam ab his recenſet Memnonis Statuam, ac praeterea ſubinnuit, ** cerni eam in aliquo Templo erectam, vbi ſane conſpicitur Statua aliqua ex nigro marmore; ſed magnitudine multo inferior. Et hanc tamen *** eruditi quidam volunt eſſe Statuam Memnonis, veteribus laudatam. Tuentur ſe potiſſimum auctoritate PHILOSTRATI, qui ex DAMIDE refert, Statuam Memnonis ſtetiſſe in Templo, idque Templum foris antiquis non eſſe valde diſſimile. Vide cap. II. §. 4. Verum quam exigua poſſit eſſe in hoc negotio auctoritas PHILOSTRATI, ſaepe iam monendum nobis fuit. Et praeterea loco iam citato, ex POCOCKIO etiam obſeruauimus, ſitum hodiernum Statuae Memnoniae, cum loco, quem ipſi aſſignat PHILOSTRATI relatio, haud ita difficulter conciliari poſſe. Vrgent iidem, lapidem, qui Statuae Memnoniae materiam ſubminiſtrauit, fuiſſe nigrum, aut vt loquitur PLINIVS Lib. XXXVI. cap. 7, *Coloris ferrei*, cum tamen Statua, cuius delineationem nobis dedit POCOCKIVS, coloris ſit vergentis in rubicundum, ſed ſubfuſcum. Sed meminiſſe debebant illi, quod ad colorem lapidis, ex quo ſculpta eſt Statua Memnonis, attinet, qui eſt ſpeciei plane ſingularis, apparere ipſorum veterum aliquem, cum inter ſe, (vide §. 1.) tum cum ipſa Statua diſſenſum; ſed qui recte excuſſus, eſt tantum apparens, non verus. Etenim, quoniam lapis ille coloris eſt ſubfuſci, trahens aliquid ex rufo, et aliqua ratione ad nigredinem quoque accedens: quia alia illius forma eſt externa, alius vero eidem, poſtquam fractus eſt, ſubeſſe color cernitur, nemo non videt, eos qui diuerſa dicere videntur, re ipſa tamen ſibi non contradicere; ſed ea potius, quae hac de re obſeruant, amice inter ſe conciliari poſſe. Verum quid aduerſus teſtimonia STRABONIS et PAVSANIAE, excellentium Scriptorum, et in hoc quidem negotio, teſtium oculatorum, quibus cum Statua a POCOCKIO deſcripta ad amuſſim concordat,

 excipi

* *Nouveaux Memoires des Miſſions* To. VII. p. 162.

** Ibidem p. 161. 167.

*** POCOCKS *Obſervations on Egypt.* p. 101. 102. 104. in notis col. b.

excipi queat, plane non intelligo. Accedunt tot inſcriptiones graecae et Romanae, quae in Statua Pocockiana hodienum leguntur, pleraeque in honorem Memnonis confectae, aut teſtantes, illos, quorum nomina adſcripta ſunt, addita etiam temporis nota, vocem a Memnone, Sole oriente emiſſam, audiuiſſe. Quando autem quidam regerunt, peregrinatores tale quid in ſancta Memnonis Statua, auſuros nunquam fuiſſe, in eo vtique fruſtra ſunt. Nihil hic video, quo Sanctitas Statuae Memnoniae laeſa fuiſſe, vlla ratione credi poſſit. Omnes illae Inſcriptiones, ad laudes et honorem Memnonis tendunt, qui in illis non raro *diuinus* nuncupatur, quin et *Deus*. Scriptae ſunt in baſi et pedibus Statuae *, quod a moribus Graecorum et Romanorum alienum non eſt. Inſcriptiones ipſae poſitae ſunt ab hominibus Graecis et Romanis, eo tempore, quo priſca Aegyptiorum religio, in ipſa Aegypto, multorum contemtui expoſita erat, et quo regionis incolae graui Romanorum iugo premebantur. His omnia licuiſſe, ambigi non poteſt. Difficile adhaec cogitatu eſt, quomodo tot Inſcriptiones, omnes Memnonis et vocis eius diuinae laudes vnice celebrantes, Statuae huic eſſent inſculptae, niſi ipſius vere Memnonis Statua illa eſſet.

CAPVT IV.

De voce mirabili, a Statua Amenophis quotidie edita.

Eo nomine Statua Memnonis inprimis erat celebris, quod oriente Sole vocem ederet. §. 1. 2. Graecorum de voce hac a Statua Memnonis emiſſa, fabulae. §. 3. Ipſius rei veritas, ex Strabone et Pauſania, omnium vero optime ex Inſcriptionibus, in Statua Memnonis etiamnum legendis, cognoſci poteſt. §. 4. Adferuntur plures Inſcriptiones ex Statuae illius crure dextro. §. 5. Aliae itidem, ex eiusdem crure ſiniſtro, latinae. §. 6. Et graecae ex crure eodem. §. 7. Luciani locus de voce Statuae Memnoniae expenditur. §. 8. Cauſa huius prodigii alia non fuit, quam fraus Sacerdotum. §. 9.

§. I.

* In baſi ſimulachrorum, artifices nomina ſua inſcribere ſolebant. Teſtatur id PLVTARCHVS in *Pericle* p. 161. et rei huius exempla, apud PAVSANIAM occurrunt plurima. Quin etiam in Statuarum femoribus vota moris erat inſculpere, quod nos docet APVLEIVS in *Apologia* p. 310. Edit. Elmenhorſtii. Adde omnino *l'utilite des voyages* de BAUDELOT p. 277. 278.

§. I.

Eo nomine celebris inprimis erat Statua Memnonia, quod vocem aliquam emittere ſolere t.

Hactenus de Statua Memnonis Aegyptii, ſiue Amenophis, quae calamitati ſuae, annos fere bis mille et trecentos ſuperuixit, et hodienum a peregrinatoribus, antiquitatum Aegypti ſtudioſis, cum voluptate ſpectatur, quae ſe offerebant, obſeruauimus. Ipſa tamen haec Statua, tametſi ex marmore ſpeciei ſingularis, et in ipſa Aegypto perraro, exſculpta, licet magnitudine alia huius generis ſigna et opera in Aegypto longe poſt ſe relinquens, quantumuis artificium Statuarii excellentis exquiſitum referens, per ſe, in tanta apud veteres exiſtimatione et admiratione futura non fuiſſet, niſi ad haec omnia ſuperacceſſiſſet quaedam miraculo ſpecies, vt cum veteribus loquar, ſiue res, quae ſpectatores omnes in admirationem, ac veluti ſtuporem, rapuit, et cuius veram cauſam, nec ipſi expiſcari, nec aliis explicare valuerunt. Rem ſatis bene PHILOSTRATVS hunc in modum exponit, *de vita Apollonii* Lib. VI. c. 3, loquens de hac noſtra Statua: *Erectae manus ſedi innituntur, hominis ſurgere volentis ſimilitudinem exprimentes.* Id poſtremum quidem in Statua Pocockiana non cernitur. Verum nunc iam ita pergit auctor ille. *Oculorum autem et totius oris ſpecies ac habitus, quaſi locuturi hominis eſſe perhibetur. Et alias quidem Statuam illam minorem admirationem excitare aiunt, quam diu actionis omnis expers apparet. Cum vero ſolis radius Statuam attingit, — tum vero ſupra modum admirabilis viſa eſt. Tunc enim Statuam loqui perhibent.* Iſthanc miraculi illius indolem, CALLISTRATVS etiam in *Statuis* p. 867. hunc ad modum refert. *Memnonis Tithoni filii ſimulachrum erat in Aethiopia e marmore ſculptum: verum id intra limites lapidi a natura praeſcriptos non manſerat, neque taciturnam naturam retinebat: ſed quamuis ſaxum eſſet, vocis facultatem habebat, nam orientem diem alloquebatur, gaudium deſignans, et ob matris praeſentiam exhilaratus.* Pag. vero 865. dixerat: *Solus e lapidibus Memnon ſaxeus, voluptatis ac doloris praeſentia ductus, a propria ſibi inertia deſtitit, et victo ſenſus defectu, ad loquelae facultatem peruenit.* Et certe veteres omnes, vbi admirandam Memnonis Statuam deſcribunt, miraculi huius mentionem facere minime negligunt. Verba PAVSANIAE, hominis non valde ſuperſtitioſi; ſed de voce tamen Memnonia, haut ſine impenſae admirationis teſtificatione loquentis, dedi cap. III. 3. quae hic non repeto. Verbis illius, loc. cit. adductis, ſubiungamus hic Scriptorem alium, de proprio viſu et au-

ditu pariter loquentem. Is eſt STRABO, qui non tantum, quod viderat et audiuerat ipſe, refert; verum et de tota re iudicium ſuum qualecunque interponit, p. 561. *Pars Thebarum*, ita is inquit, *eſt in regione trans Nilum ad Occidentem. Ibi Memnonium. Hic cum duo Coloſſi eſſent*, * *ex vno lapide conſtructi, inter ſe propinqui, alter adhuc integer extat, alterius vero ſuperiores a ſede partes corruerunt, terrae, vt fama eſt, motu. Creditum etiam eſt, ſemel quotidie ſonitum quendam, veluti ictus haud magni*, (ὡς ἂν πληγῆς ȣ̓ μεγάλης) *edi a parte, quae in Sede ac baſi remanſit. Ipſe cum comes Aelio Gallo adeſſem, et cum reliqua multitudine amicorum ac militum, qui cum eo erant, circiter horam primam ſonitum audiui: vtrum a baſi, ſiue a Coloſſo, an vero ab aliquo coloſſum circumſtantium editus fuerit, non habeo affirmare: cum propter incertitudinem cauſae, quiduis potius credere ſubeat, quam ex lapidibus ſic compoſitis ſonitum edi.* Auctor hic egregius, cuius in iudicando perſpicacia eruditis et nota et laudata eſt, miraculum hoc lapidis loquentis, olim tantopere celebratum, ſatis aperte fraudibus Sacerdotum in acceptis refert, idque profecto haud immerito. Fideliter tamen rem, vti ſe habebat, retulit, eoque nomine grates ipſi libens perſoluo.

Vox autem illa ſtato ſemper tempore audiebatur.

§. 2. Miraculum lapidis huius, loquela praediti, ex eo non parum augetur, quod loquela eius ſiue vox, ſtato ſemper tempore audita fuerit. Perhibent enim veteres, Statuam hanc Amenophis, vocem quotidie emiſſiſſe ſole exoriente. Nam ** *cum Solis radius Statuam attingeret, id quod circa Solis ortum contingere aiunt, tum ſupra modum admirabilis viſa eſt* Statua Memnonia. *Tunc enim Statuam loqui ferunt, vbi primum Solis radius ad eius os peruenit.* Tradebatur etiam a quibusdam, *** *ſacrificare* Memnoni, *circa Meroën et Memphin Aegyptios ac Aethiopes, quum primos Sol emiſerit radios, quibus Statua vocem emittit, qua eos, a quibus colitur, ſalutat.* Sacerdotes Aegyptii id ita interpretati ſunt, aut potius, plebem mirifice deluſam, credere tantum voluerunt, Amenophin voce iſta, Sole oriente

* Alter tamen eorum Coloſſorum, Memnonius videlicet, ex quinque lapidibus compaginatus eſt. Vide cap. III. §. 3. In eo igitur eximius auctor errorem admiſit.

** PHILOSTRATVS de vita Apollonii Lib. VI. c. 3.

*** Idem in *Heroicis* p. 672.

ente emiſſa, *Auroram* aut *Diem* matrem ſuam, ſalutare. Id verſus DIONYSII *Periegetae* * ſupra iam adducti ſubindicant:

> Θήβην ὠγυγίην ἑκατόμπυλον ἔνθα γεγωνὼς
> Μέμνων ἀντέλλȣσαν ἑὴν ἀσπάζεται Ἠῶ.
> *Thebas priſcas, centum portas habentes, vbi reſonans.*
> *Memnon exorientem ſuam ſalutat Auroram.*

Ad quae EVSTATHIVS haec notat. Τὴν ἑαυτȣ̃ Ἠῶ, τȣ́τεςι τὴν μητέρα ἡμέραν ἀσπάζεται. Ἀνδριὰς μὲν ὢν, διά τινος δὲ μηχανῆς ἅμα ἡμέρᾳ λαμβάνȣσῃ φωνῶν, καὶ ȣ̃τω πῶς ἐξ αὐτομάτȣ προσλαλῶν, οἷον καὶ ἀσπαζόμενος τὴν ἡμέραν, ἧς ἐλέγετο υἱὸς εἶναι. *Quando Poëta ait, Memnonem Auroram ſuam ſalutare, id vult, ſalutare cum matrem ſuam, Diem. Erat nempe* Memnonis *Statua, arte ſingulari ita conſtructa, vt illuceſcente die, vocem ederet, hocque pacto proprio quodam motu Diem alloqueretur, ac veluti ſalutaret, cuius perhibebatur filius.* Dixerat idem paulo ante, Matris huius Memnonis, Diei ſcilicet, ſimulachrum, ad Thebas auſtrales poſitum fuiſſe. Vidimus autem §. I. STRABONEM obſeruaſſe, in eo loco, vbi conſpiceretur Statua Memnonis, aliam ſtetiſſe huic conſimilem. Et rem hodieque ſic ſe habere, nouimus ex teſtimonio ** peregrinatorum recentiorum. Altera illa Statua, erat forte effigies ſaxea *Diei*, quam EVSTATHIVS deſignat. Alii fabulam hanc Sacerdotalem, de Aurora quotidie a Memnone ſalutata, nouis auxere figmentis, de quibus poſtea videbimus. Dixi *** alio loco, veroſimile mihi fieri, rem hanc HOMERVM non latuiſſe, qui ea ipſa de cauſa *Memnonem* Graecorum, illuſtrem in bello Troiano heroëm, Aurorae filium cecinit, eoque multis inſecutis figmentis materiam ſubminiſtrauit foecundam.

§. 3. Fabula igitur Graecorum eſt, qui HOMERI allegorias, et Poëtarum ſequiorum inuenta, cum traditionibus ſymbolicis Sacerdotum Aegyptiorum ſociantes, finxerunt, Memnonem, dum illuceſcente die, vocem emitteret, *Auroram* vel *Diem*, matrem ſuam ſalutare, eoque dolorem eius acerbum, de morte ſua apud Troiam immatura, aliquo ſolamine leuare. PHILOSTRATVS in Iconibus p. 742.

Graecorum de voce a Statua Memnonis emiſſa, fabulae.

* Cap. I. §. I.

** CLAVDIVS SICARDVS dans *les nouveaux Memoires* des Miſſions To. VII. p. 162. POCOCK vbi ſupra p. 101.

*** Supra *Synt.* II. cap. I. §. 5.

742. graecanicam iſtam fabulam, non ineleganter his verbis exponit. Προσβάλλει τῷ ἀγάλματι ἡ ἀκτὶς ἡλίου. Δοκεῖ γὰρ ὁ ἥλιος, οἱονεὶ πλῆκτρον, κατὰ τὸ ϛόμα ἐμπίπτων τῷ Μέμνωνι, ἐκκαλεῖσθαι φωνὴν ἐκεῖθεν, καὶ λαλοῦντι σοφίσματι παραμυθεῖσθαι τὴν Ἡμέραν. *Solis radii Statuam Memnonis contingunt. Sol enim Memnonis os, veluti plectro percutiens, vocem inde elicere, loquacisque ſophismatis inuento Diem*, matrem eius, *ſolari videtur.* Idem hoc ſignificare voluit CALLISTRATVS in *Statuis* p. 877. *Denique illud machinamentum* Statuae Memnonis loquentis, *moerores ſopiebat Diei, neque permittebat ei filium quarere, quaſi Aethiopum ars, ſolatio hoc compenſaret Memnonem fato interemtum.* Poterat fictioni huic, ex ea ſaltem ratione, color aliquis induci, quod Statua re ipſa, die illuceſcente, vocem a praeſentibus auditam, diſtincte ederet, eaque Diem aut Auroram, tanquam matrem ſuam, ſalutare credi poſſet. At enim alii figmento hocce, quod ab ingenio deſtitutum haud erat, nondum contenti, nouis illud fabulis ornari iucundiusque reddi poſſe, exiſtimabant, quae tamen nullum in re ipſa aut fundamentum habebant, aut praeſidium. Duplicem illi Memnonis Statuae affingebant vocem, matutinam alteram, laetam ac iucundam, alteram veſpertinam, triſtem et gemebundam. Tale quid PHILOSTRATVS garrit in *Statuis*, p. 865. *Hoc intuiti ſimulachrum, facile credimus, etiam lapidem illum Aethiopicum, qui Memnonis effigiem ſiſtit, vocalem extitiſſe, qui quidem accedente Die, praeſentia eius exhilaratus, gaudium voce teſtabatur: abeunte vero eadem, moerore tactus lugubre quid ingemiſcebat.* Et iterum p. 876. *Memnonis ſimulachrum, ſaxum cum eſſet, vocis facultatem habebat: nunc enim orientem Diem alloquebatur, voce gaudium deſignans, et ob matris praeſentiam exhilaratus: modo ad noctem, inclinata Die, miſerandum et anxium quid gemebat marmor, ob abſentiam moerore affectum.* Additur confeſtim ibidem, quod a ſolo hoc auctore videtur excogitatum. *Neque vero lachrymis lapis carebat; quin has quoque voluntati miniſtrantes habuit.* Eiusdem farinae ſunt, quae mox, poſt interiecta nonnulla, ſequuntur. *Illi certe Memnoni reſpondere Echo fama eſt, quoties loqueretur; et lugubre lamentanti, flebile carmen remittere: laetanti autem ſonum aemulum reddere.* Concinunt his verſus politici IOHANNIS TZETZAE, quos ex eius *Chiliadibus*, Chiliad. VI. hiſt. 64. adſcribo:

Ἐν

Εν τῇ πατρίδι δ' ἀπαχθεὶς, ἐτάφη δ' οἰκείᾳ
Καὶ ϛήλη τȣ́τῳ γέγονε πυῤῥοποικίλȣ λίθȣ
Μηχανιτὴ, χαρμόσυνον δ' ἡμέρα πέμπει μέλος:
῞Ωσπερ ἐπιγαννύμενος μητρὸς τῇ παρȣσίᾳ
Τῇ δὲ νυκτὶ τὶ γοερὸν ἔμπαλιν ᾄδει μέλος.

In patria vero propria, poſtquam Troia abductus eſſet, ſepultus eſt:
Et poſuerunt ei Statuam ex variegato lapide.
Artificioſe fabricatam, quae laetum oriente die emittit cantum,
Veluti gaudens matris praeſentia;
Noctu autem flebile quoddam contra canit carmen.

Plane vero ſingularia ſunt, nec magis tamen vera, quae de miraculo hoc literis prodidit, vetus quidam *Scholiaſtes Iuuenalis*, hucusque ineditus, cuius proinde verba et hic legiſſe, iniucundum non erit. * *Statua Memnonis, filii Aurorae, ita arte quadam mechanica compoſita erat, vt humana voce et regem et Solem ſalutaret. Poſtea rex Cambyſes, volens hanc rem cognoſcere, partem Statuae abſcidit, et ſic poſtea Solem tantum, non etiam regem ſalutabat. Vnde Poëta* dimidio Memnone *dixit.* Nempe quanto maior erat fama, quae de Statuae huius miraculo, apud omnes percrebuerat, tanto plures reperti ſunt homines otioſi, qui rei admirandae, iucundis, vt credebant, figmentis, nouum decus conciliari poſſe, exiſtimarent.

§. 4. Nolui ea, quae §. 2. et 3. expoſui, tacitus praeterire, quoniam paſſim apud veteres memoriae prodita reperiuntur. Sed pleraque tamen imaginationi foecundae, ac fictionibus Poëtarum et Rhetorum graecorum, vnice debentur, ipſis vt plurimum Aegyptiis penitus incognita. Quae in ipſa Aegypto, ac ſigillatim Thebis, hac de re, a viris grauibus reique bene peritis, perhiberentur, et peregrinis referrentur, ex STRABONE et PAVSANIA literis mandata exhibuimus §. 1. eaque Inſcriptionibus plurimis, in Statua Memnonis etiamnum legendis, quas RICHARDVS POCOCKIVS, vti potuit, diligenter et ſollicite deſcripſit, et in elegantiſſimo Opere publicauit, mirum

Ipſius rei veritas ex Strabone et Pauſania, omniumque optime, ex Inſcriptionibus in Statua Memnonis etiamnum legendis, cognoſci poteſt.

* Adferuntur haec verba a viro clariſſimo et eruditiſſimo, IO. PHIL. CASSELIO, in Diſſertat. de Λίθοις κεκραζομένοις, Part. I. p. 8, 9.

rum in modum confirmantur. Cum autem Opus hoc pretioſum, paucorum in his oris manibus teratur, operae pretium me facturum eſſe exiſtimaui, ſi quasdam ex praecipuis hic transſcripſero. Pleraeque difficulter legi potuerunt, eoque admodum deprauate editae ſunt, ita vt vix vſum praeſtare poſſe videantur. Verum difficultas iſta me non abſterruit: operam potius dedi pro virili, vt quae prae aliis ad rem meam facere videbantur, qualitercunque reſtitutae et emendatae, cum lectore communicarentur. In ipſa Statuae Memnoniae baſi, inſculptum cernitur Epigramma ASCLEPIODOTI Poëtae, elegans ſane lectuque dignum, quod etſi * alio huius Commentarii loco iam deſcriptum, hic tamen repetere opportunum duco. Rem eam, quam hic perſequimur, verſibus non iniucundis celebrat:

Ζώειν, εἰναλίη Θέτι, Μέμνονα χ᾽ ἁδέα φωνεῖν
  Μάνθαν᾽, ἐπὶ Τροίης ἄλλοκ᾽ ἀπολλύμενον,
Αἰγύπτου Λιβυκῆσιν ὑπ᾽ ὀφρύσιν, οὗ ἀποτάμνει
  Καλλίπυλον Θήβην Νεῖλος ἐλαυνόμενος
Τὸν δὲ μαχῆς ἀκόρητον Ἀχιλλέα μήτ᾽ ἐπὶ Τρώων
  Φθέγγεσθαι πεδίῳ μήτ᾽ ἐνὶ Θεσσαλίῃ.

Viuere, marina Theti, Memnona et ſuauiter ſonare,
  Diſce, ad Troiam quondam occiſum:
Aegypti Libycis ſub tumulis, vbi abſcindit
  Pulchras portas habentem Theben Nilus incitatus
Inſatiabilem vero pugnae Achillem, neque in Troum
  Loqui campo, neque in Theſſalia.

Ex aliis vero Inſcriptionibus, quas Statua Memnonia exhibet, aperte intelligitur, vocem illam mirabilem non quotidie fuiſſe auditam, vti veterum plerique aut clare affirmant. Qui audiendi Memnonis cauſa, aut ſummo mane, ad Statuam eius ſe contulerant, aut etiam in vicino agro pernoctauerant, ſaepe vnum alterumue diem expectando conſumere, vel infectis rebus abire, alioque tempore redire tenebantur, donec tandem voti compotes fierent. In crure Statuae Memnoniae dextro Inſcriptio haec legitur:

C. LE-

* Synt. I. cap. III. §. 4.

C. LELIA AFRICANI PRAEF.
VXOR AVDI. MEMNONEM
PRID. . . . . FEBR. HORA I. S.
ANNO I. IMP. DOMITIANI AVG.
CVM IAM TERTIO VENISSEM.

Inſcriptio haec Statuae inſculpta fuit anno Domitiani Imp. I. Teſtatur in ea C. *Lelia*, vxor *Africani*, ſe audiendi Memnonis ergo ſaepius acceſſiſſe, ac tandem, *cum iam tertio veniſſet*, *Pridie Kal. Febr.* (ſic enim lacuna ſuppleri poſſet, aut etiam alio modo) re ipſa *audiviſſe Memnonem.* Bis itaque fruſtra Memnoni dederat operam. Teſtatur porro Foemina illuſtris vocem Memnonis auditam ſibi eſſe *Hora* I—S. id eſt *hora prima ſemis.* Cum vero *hora prima* apud Aegyptios, reſpondeat noſtrae *horae ſextae* matutinae, idem eſt, ac ſi dixiſſet, *hora dimidia*, *poſt ſextam matutinam.* Alia Inſcriptio graeca, in eodem crure reperiunda, poſita anno VII. Hadriani; ſed mirifice corrupta, id tamen, ſi recte coniicio, ſatis ſignificat, *Praetorem* quendam, *proprio inſtinctu acceſſiſſe ad Statuam Memnonis*, *eamque vt audire poſſet vocem deſideratam*, *adoraſſe*, *Memnonem vero tum vocem emiſiſſe nullam; cum vero inſtinctu diuino rediiſſet in vrbem*, *ibique duos dies expectando inſumſiſſet*, *tandem ad Statuam reuerſum*, *vocem diuinam percepiſſe.* Et id ipſum ſane, Inſcriptiones illae plurimae, in cruribus Statuae Memnoniae inciſae, nec obſcure, innuunt. Complectuntur enim teſtimonia luculenta eorum, qui vere ſibi auditam fuiſſe vocem Memnonis, liquido aſſeuerare potuerunt, idque ſolenniter teſtari voluerunt. Eaque de cauſa, vt appareret omnibus, ipſos adhibita omni cura et ſollicitudine, in rei huius veritatem inquiſiuiſſe, annum quoque, Menſem, diem, ipſamque adeo horam, qua vocis ſonum perceperant, notandam et apponendam eſſe duxerunt. Quis hoc vnquam requiſiuiſſet, aut a quoquam expectaſſet, ſi vox Memnonia, omnibus pariter diebus, eademque hora, audiri ab vnoquoque potuiſſet, et audita re ipſa quoque fuiſſet. Ego, parum abeſt, vt mihi perſuadeam, cultores Chriſti, per totam Aegyptum, a temporibus ſeculi primi Aerae Chriſtianae, numero non exiguo diſperſos, cum Statuam Memnonis ludibrio haberent, vocemque eius, diuinam ſcilicet, quemadmodum in Inſcriptionibus ſaepe nuncupatur, magnopere deriderent, eo ipſo effeciſſe, vt ipſorum adverſarii, teſtimonia pro veritate miraculi Statuae Memnoniae, vndiquaque conquiſita, ipſi Statuae ſic infigerent, vt eorum memoria non

 niſi

niſi cum ipſa Statua deleri poſſet. Inter omnes certe Inſcriptiones, quae in cruribus Statuae huius cernuntur, nullam reperire potui, quae aetatem Domitiani ſuperare videatur. Is vero, quod vulgo notum eſt, ſecundam aduerſus Chriſtianos perſecutionem grauiorem, in imperio Romano excitauit. Pleraeque autem Inſcriptiones aetatem Hadriani Imperatoris aperte loquuntur. Et ab hoc quidem tempore, Apologiae Chriſtianorum pro veritate et diuinitate religionis Chriſti, per orbem coeperunt multiplicari, ſicuti viciſſim aduerſarii ipſorum, fidem eorum ſanctam, editis etiam libris, omni animi niſu oppugnare ſategerunt. In hac, quam nunc propoſui, ſententia, eo non parum confirmor, quod videam, neminem in exponendo hoc Statuae Memnoniae miraculo, tam prolixum eſſe, et ad argumentum hoc ornandum toties redire, atque PHILOSTRATVM, cuius eam ob rem teſtimonio ſaepiuſcule vtendum nobis hic fuit. Neque vero eruditum quenquam latet, garrulum hunc Sophiſtam, *Apollonium* ſuum, cuius vitam ſe deſcribere iactat, *Chriſto* Domino noſtro, illius vero miracula, miraculis huius, eiusque Apoſtolorum, auſu non Stulto minus, quam impio opponere voluiſſe.

Adferuntur plures aliae Inſcriptiones, ex crure Statuae Memnoniae dextro.

§. 5. Sed redeundum eſt ad argumentum, a quo nonnihil eramus digreſſi. Diximus nempe, et ex Inſcriptionibus eorum, qui Statuam Memnonis viderunt, quique audiendae vocis illius ſupra modum ſe cupidos fuiſſe, ipſi teſtantur, ſatis probauimus, vocem illam non omnibus promiſcue diebus, ab adſtantibus, percipi auribus potuiſſe. Quando vero percipiebatur, ſummo mane, Sole oriente, hora prima, (vel, vt cum noſtris hominibus loquar, hora ſexta matutina) aut etiam hora ſecunda fieri id ſolebat. STRABONEM ſupra §. I. intelleximus teſtantem, ſe *circiter horam primam* ſonitum audiuiſſe. Et idem iſtud Inſcriptiones plurimae, in cruribus Statuae Memnoniae viſendae, etiam profitentur. Aliquam deſcripſit F. L. NORDENIVS, in * *Delineatione ruderum quorundam antiquorum in Aegypto*, quam in Pocockianis non inueni. Sic autem edita eſt:

TETRONIVS PRAEF. . . .
HORAM CVM PRIMAM CVMQVE
HORAM SOLTS SECVNDAM

PRO-

* Edita eſt Londini 1741. et ex ea Excerpta dedit Auctor *des principaux Ecrits, qui ſe publient*, Mars 1742. Artic. IV. p. 367. &c.

PROLATO OCEANO LVMINAT
ALMA DIES.

VOX AVDITA MIHI EST
BENE MEMNONIA.

Lineam primam ita credo ſcriptam fuiſſe

PETRONIVS PRAEF. AEG.

Petronius ille * quisquis fuit, nuncupatur *Praefectus Aegypti*, cuius dignitatis in hiſce Inſcriptionibus mentionem saepius fieri videmus. Et apud GRVTERVM in *Theſauro* P. CXIII. Inſcr. I. occurrit COR. POSTVMVS PRAEF. AEGYPTI. Sequitur deinde Diſtichon hoc:

Horam cum primam, cumque horam Solis ſecundam
Prolato Oceano luminat alma dies.

Teſtatur ergo *Petronius* hicce, ſe vocem Memnonis bis audiuiſſe, hora prima diei, et ſecunda. Teſtatur praeterea idem, *vocem Memnoniam ſibi bene auditam eſſe.* Quo non ita obſcure innuitur, vocem hanc *bene* et diſtincte, ab omnibus et ſemper haudquaquam audiri conſueuiſſe. Quid enim opus ceteroquin fuiſſet, iſtud ceu ſingulare quidpiam hic obſeruaſſe? In crure Statuae Memnoniae dextro, porro et iſta legitur Inſcriptio, quam appono, prouti eam primitus ſcriptam fuiſſe opinor:

** ANNO V. HADRIANI
IMP. T. HATER.
NEPOS PRAEF. AEG.
AVDIT MEMNONEM
XII. K. MART. HORA I—S.

L 3 Inſcri-

* Non crediderim, intelligi hic *Petronium*, qui in Praefectura Aegypti, ſucceſſit Cornelio Gallo, bellumque cum Aethiopibus geſſit. Hiſtoria Romana multos nobis exhibet viros illuſtres, nomine *Petronii* conſpicuos. Plurimi etiam nomen hoc gerentes, occurrunt in Inſcriptionibus. Vide *Indicem Gruterianum.*

** Cum editione *Pocockiana*, conferenda hic eſt *Nordeniana.* Ex vtraque, Inſcriptionem hanc, emendate, vt ſpero, transſcribere licuit.

Inſcriptionem hanc poni curauit *Titus Haterius Nepos*. Eſt autem *Haterii* nomen neque Faſtis Conſularibus, neque Inſcriptionibus Romanis inauditum. In noſtra Inſcriptione ſignificatur, *Titum Haterium Nepotem*, *Aegypti Praefectum*, *Anno* V. *Hadriani Imp*. XII. *Kal. Mart. audiuiſſe Memnonem*, *hora I—S.* id eſt, vti aliae Inſcriptiones habent, *hora prima ſemis:* quaſi dicas, hora dimidia poſt primam. In Schedis Nordenianis, et hanc inuenio Inſcriptionem, ſic, vt auguror, legendam:

CLAVDIVS MAXIMVS
LEG. XXII. AVDIVI MEMNONEM
HORA I. SEMIS. C. AEMILIVS
HORA PRIMA SEMIS AVDI
VI VOCEM MEMNONIS.

Inſcriptionem hancce Coloſſo incidi curarunt duo, qui ſimul ad audiendum Memnonem profecti erant, eiusdemque vocem coniunctim audiuerant, *Claudius Maximus*, et *C. Aemilius*. Quod ad priorem attinet, nomen *Claudii Maximi*, in hiſtoria Seculi II. inclytum fuit. Militauerat primum in Legione XXII. quod in noſtra Inſcriptione memoratur, forte Centurio, aut Tribunus, vel Praefectus Legionis, ſiue Cohortis. Erat autem Legio XXII. * ab Auguſto Caeſare in Aegypto collocata. Poſtea Claudius Maximus ad Proconſulatum Africae euectus eſt, quod ex APVLEII Apologia, coram eo recitata, ſatis intelligitur. Alius vtique eſt *Claudius Maximus*, ** quem inter Magiſtros habuit, audiuitque M. Aurelius Antoninus Philoſophus. In Pocockianis Inſcriptionibus vero, quae in crure dextro leguntur, et iſta habetur, ſic, vti cenſeo, legenda.

V. NONAS MARTIAS
FELIX AVGG LIBERTVS
ET PROCVRATOR VSIACVS
HORA PRIMA SEMIS
MEMNONEM
AVDIVIT.

In

* *Notitia Dignitatum Imperii* fol. 24. a. Edit. Lugdun. 1608.

** CAPITOLINVS in *M. Aurelio Antonino Philoſopho*, cap. 3. vbi conſulendae eruditorum notae, et PAGIVS in *Critica Annal. Baron.* ad ann. 144. num. I.

In eodem crure dextro legitur etiam ſequens Inſcriptio:

* C. MANIVS HANIOCHVS
DOMO CORINTHIVS . . . . . ITEM
. . . . AVDIVI MEMNONEM ANTE SECV. HORAM
XIII. . . . . . TITIANO COS. EODEM DIE
HORA PRIMA EIVSDEM DIEI.

Inſcriptionem hanc poni iuſſit *Manius, Haniochus*, id eſt *Agitator.* Gloſſae veteres. *Agitator*, *ἡνίοχος*. Inſcriptio apud GRVTERVM P. LXXVI. num. 4. *C. Appuleio, Diocli, Agitatori primo Fact. ruſſatae.* Poſita autem eſt Conſule *Titiano*, id eſt, Anno Aerae Chriſtianae 245. Teſtatur vero *Manius*, ſe illo, quem dixi, anno, et die, cuius notam tempus nobis inuidit, audiuiſſe Memnonem ante horam ſecundam. Addiderat alius, verum cuius nomen tempus edax rerum obliterauit, ſe die eodem audiuiſſe Memnonis vocem. Ex quo colligere datur, vocem Memnonis, vbi nempe Sacerdotibus viſum ſic erat, nonnunquam die eodem plus ſemel auditam fuiſſe. Extat ibidem alia Inſcriptio in hunc ſenſum:

. . . .
PRAEF. AEG
AVDIT
MEMNONEM
XIII. K. APRILIS
VERO III. ET AMBIBVLO COSS.
HORA. I.

Inſcriptio haec confecta eſt, nomine cuiusdam Praefecti Aegypti, cuius nomen legi non potuit, Vero III. et Ambibulo Coſſ. Etiam vltimi huius Conſulis *Ambibuli* nomen miſerrime deprauatum eſt. Deſignatur ergo annus Hadriani Imperatoris X. aerae Chriſtianae, 126. Poſt alias quasdam et haec ſequitur Inſcriptio, quae ita reſtitui poſſe mihi videtur.

L. IVNIVS CALVINVS
. . . . . MONTIS BERINI
AVDIVI MEMNONEM CVM . . .
MINICIA . . . .
KAL. IVNIIS HORA II. ANNO . . .

Cui

* *Pocockianam* Editionem correxi ex Schedis NORDENII.

Cui iungo et hanc

SEX. LICINIVS PVDENS
XI. K. IANVARIAS ANNO . . . . D. N.
DOMITIANI CAESARIS AVGVSTI
GERMANICI. AVDIVI MEMNONEM.

Annus imperii *Domitiani*, D. N. id eſt *Domini noſtri*, quem titulum Imperatorem hunc omnium primum affectaſſe, ſatis notum eſt: Annus, inquam, Domitiani, quo inſculpta fuit haec Inſcriptio, excidit. Alias rem eandem ſignificantes, Studio praetermitto. Sed temperare mihi non poſſum, quin prioribus, hanc quoque graecam ſubiungam, ex eodem crure dextro Statuae Memnoniae decerptam.

ΗΛΙΟΔΩΡΟC ΖΗΝΩ
ΝΟC ΚΑΙCΑΡΕΙΑΣ ΠΑ
ΝΙΑΔΟC ΗΚΟΥCΑ Δ. ΚΑΙ
ΕΜΝΗΣΘΗΝ ΖΗΝΩΝΟC
ΚΑΙ ΑΙΑΝΟΥ ΑΔΕΛΦΩΝ.

id eſt

Helidorus Zenonis filius
Ex Caeſarea Paneade
Audiui quater, et
Recordatus ſum Zenonis
Et Aeliani Fratrum.

Inſcriptionem hanc talem dedi, qualem conſtitutam inueni, in IACOBI PHIL. DORVILLII τȣ͂ μακαρίτȣ Animaduerſionibus ad Charitonem Aphrodiſienſem p. 532. vbi et hanc viri doctiſſimi obſeruationem legas. LEICHIVS *quoque tetigit hanc Inſcriptionem, legitque linea vltima* Αἰλιανȣ͂. *Forte non male* Κ᾽ Αἰλιανȣ͂. *Sunt exempla, vbi* καὶ *etiam in proſa ita mutilatum ſit. Poſſis etiam* Γαιανȣ͂. *In Inſcriptionibus notum nomen. Verum illud* Ἐμνήσθην *animaduerti velim. Solebant peregrinantes, pietatis et memoriae cauſa, abſentium et relictorum amicorum et cognatorum, in his locis, vbi ſuam relinquere volebant memoriam, etiam eorum nomine ſcripto, ſe teſtari non immemores fuiſſe. —— Bene in hac Pocockiana Inſcriptione,* Ἐμνήσθην LEICHIVS *vertit:* Recordatus ſum. *Meminit nempe Heliodorus fratrum ſuorum,*

qui

qui ſi non aliud, ſaltem aeternitatem nominis ſui, cuius auidi erant veteres fuerunt conſecuti.

§. 6. Deſcribamus etiam nonnulla, quae in crure Memnonis ſiniſtro inſculpta cernuntur. Ex latinis Inſcriptionibus ſequens occurrebat mirifice inquinata; ſed quam ſic recte ſatis legi poſſe exiſtimem *Aliae Inſcriptiones, ex crure ſiniſtro Memnonis, latinae.*

S. MITHRIDATICVS TRIBVNVS
LEG. XXII. DEIOT. XIII. K. IVL.
MEMNONEM AVDIVI H I.

Auctor Inſcriptionis huius fuit *Mithridaticus*, *Tribunus Leg.* XXII, quam Legionem in Aegypto ab Auguſto collocatam fuiſſe, §. 5. monuimus. Quod ibi iam ſequitur, DEIOT. pertinet ad eandem Legionem, quippe cui aliquando *Deiotarianae* cognomen inditum fuerit. *Legionis* XXII. *Deiotarianae* mentionem habes apud GRVTERVM in Theſauro Pag. CCCLXXIII. num. 4. Teſtatur autem Tribunus hicce, ſibi vocis Memnoniae audiendae copiam factam fuiſſe D. XIII. *Kal. Iul.* qui forte fuit dies Solſtitialis, qui in Statua hac obſeruari poterat, *hora prima.* Anni vero nota excidit. Eſt in eodem crure Inſcriptio alia latina, docens vocem Memnoniam auditam nonnunquam fuiſſe ante horam primam. Eam ita lego:

PETRONIVS S. BALBVS
PRAEF PR. LEG. AVDIVI MEMNON.
VI. IDVS MARTIAS
SERVIANO III. ET VARO COSS.
HORA DIEI ANTE PRIMAM.

In linea ſecunda aliter vix legere potui, quam *Praefectus Primae Legionis.* Quandoquidem vero Legio prima in Aegypto collocata non erat, praeſtaret forte legere PRAEF. AEG. vt intelligatur *Praefectus Aegypti.* Fuit autem Inſcriptio iſta Statuae inciſa Anno Chriſti 134. imperante Hadriano, Seruiano III. et Varo Coſſ. Ita enim haud dubie nomina illa legenda ſunt. Denique et hancce Inſcriptionem latinam ſubiicere operae pretium duxi.

. . . .

PROCOS. ITERVM HORA
DIEI SECVNDA . . . . EGI GRATIAS.

Proconſulis, cuius haec eſt Inſcriptio, nomen tempus deleuit. Significat autem ſe Memnonis vocem *iterum* audiuiſſe, quemadmodum de Caecilia quadam, legimus in alia Inſcriptione. Δεύτερον ἀκὄσασα Μέμνονος, *Cum iterum audiuiſſet Memnonem.* Illud vero, quod in fine huius Inſcriptionis legitur, EGI GRATIAS, obſeruationem vtique meretur. Hinc enim merito colligere licet, pietatis et religionis ergo adiiſſe Memnonem, qui vocem eius audire diſcupiebant, eaque audita, ſiue Memnoni ipſi, quod probabilitate non caret, ſiue Diis aliis egiſſe gratias.

Inſcriptiones quaedam, ex eodem crure, graecae.

§. 7. Sunt et in crure eodem Inſcriptiones nonnullae graecae, ex quibus eas adferemus, quae id prae ceteris mereri videntur, et quas, tametſi ſupra modum, temporis inclementia inquinatas, aliqua tamen ratione legere et intelligere potuimus. Inter eas quas dixi, occurrit haec, quam ita legi poſſe exiſtimamus:

ΓΑΙΟϹ ΙΟΥΛΙΟϹ ΔΙΟΝΥϹΙΟϹ
ΑΡΧΙΔΙΚΑϹΤΗϹ ΘΕΩΝΟϹ
ΑΡΧΙΔΙΚΑϹΤΟΥ ΥΙΟϹ ΚΑΙ
ΠΑΤΗΡ. ΗΚΟΥϹΑ ΜΕΜΝΟ
ΝΟϹ ΩΡΑϹ ΠΡΩΤΗϹ.

id eſt:

Caius Iulius Dionyſius,
Primarius Iudex, Theonis
Iudicis primarii et filius, et
Pater. Audiui Memnonem
hora prima.

Sequitur ibidem alia Inſcriptio, mendis etiam magis vitiato; ſed quae ſic vtcunque conſtitui poteſt.

ΑΡΤΕΜΙΔΩΡΟϹ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΒΑϹΙΛΙΚΟϹ

. . . .

. . . ΗΚΟΥϹΑ ΜΕΜΝΟΝΟϹ ΤΟΥ ΟϹΙΟΤΑΤΟΥ
ΜΕΤΑ ΤΗϹ ϹΥΜΒΙΟΥ ΑΡϹΙΝΟΗϹ ΚΑΙ
ΤΩΝ ΤΕΚΝΩΝ ΑΙΛΟΥΡΙΩΝΟϹ ΤΟΥ ΚΑΙ ΚΟ
ΔΡΑΤΟΥ ΚΑΙ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΕΤΕΙ ΙΕ ΑΔΡΙΑΝΟΥ
ΚΑΙϹΑΡΟϹ ΤΟΥ ΚΥΡΙΟΥ . . . . . ΧΟΙΑΚ.

id

id eſt:

Artemidorus, Ptolemaei filius, Caeſaris Procurator

. . . .

. . . Audiui Memnonem ſanctiſſimum
Vna cum coniuge Arſinoë, et
Filiis, Aelurione, qui et Quadratus nominatur,
Et Ptolemaeo, anno XV. Hadriani
Caeſaris Domini, Die . . . . Menſis Choeac.

Inſcriptio haec videtur profecta eſſe ab Aegyptio indigena, quod nomina propia quae hic occurrunt, ſatis teſtantur. Inſculpta autem fuit anno Hadriani XV, Chriſti Domini CXXXI. menſe *Choeac*, qui *Novembri* fere reſpondet. Verum notam diei, tempus exedit. In alia Inſcriptione graeca iſta tantum legere ac intelligere potui verba: ΛΟΥΚΑϹ ΩΡΑϹ Γ. ΗΚΟΥϹΑ. Quibus ſignificat *Lucas* quidam, ſe vocem Memnonis *audiuiſſe hora tertia.* In ſequenti illud obſeruari meretur, quod neſcio quis, *Marcus* nomine, teſtatur: ΕΚΛΥΟΝ ΜΕΓΑ ΦΩΝΗϹΑΝΤΟϹ ΜΟΙ. *Audiui* Memnonem, *qui mihi magnum quid*, et valde Sonorum, *inſonuit.* Nam plerumque ſonus ille tenuis erat atque obſcurus. Verum videtur vox illius Coloſſi nonnunquam ſonuiſſe fortius quid, et ſuauius, ac forte diutius etiam perſeveraſſe. Colligi id poſſe videtur etiam ex ſequenti Epigrammate, quod ibidem extat, quodque hunc in modum conſliuendum eſſe arbitratur mecum, vir longe doctiſſimus, rerumque harum peritiſſimus, quocum et Epigramma, et meas ad illud cogitationes communicaui; ſed qui nomen ſuum me tacere voluit:

ΑΥΔΗϹ ΤΟ ΠΡΟϹΘΕΝ ΜΟΥΝΟΝ ΕΙϹΑΚΟΥϹΑΝΤΑϹ
ΝΥΝ ΩϹ ϹΥΝΗΘΕΙϹ ΚΑΙ ΦΙΛΟΥϹ ΗΣΠΑϹΑΤΟ
ΜΕΜΝΩΝ Ο ΠΑΙϹ ΗΟΥϹ ΤΕ ΚΑΙ ΤΕΙΘΩΝΟΙΟ.
ΑΙΣΙΟΝ. ΙΝΑ ΚΑΤΑΝΟΩ ΚΑΙ ΦΘΕΓΜΑΤΑ.
Η ΦΥϹΙϹ ΕΔΩΚΕ ΔΗΜΙΟΥΡΓΟϹ ΤΩΝ ΟΛΩΝ.

Qui quondam ſolum audiueramus vocis ſonum
Eos nunc vt familiariter ſuos et amicos ſalutauit
Memnon Aurorae et Tithoni Filius,
Omine auſpicato, vt nempe ego et ſenſum perciperem harum vocum.
Ipſa natura eas promit, opifex totius vniuerſi.

M 2 Apparet

Apparet auctorem horum Iamborum, quisquis eſt, enthuſiaſmo quopiam correptum, credidiſſe, vocem Memnoniam rudem et informem, ſibi aliquando clarius et diſtincte magis auditam fuiſſe, eo fine, vt myſteria ipſius naturae, vocem hanc proferentis, ſtudioſe inueſtigaret. Vero etiam diſſimile non eſt, fraudem Sacerdotum, hac forte occaſione, ſicuti et in aliis, inſigniter enituiſſe. Verſum tertium, ita vt edidimus, legendum eſſe, docuit ipſe POCOCKIVS. Reliqua meis coniecturis, et amici digniſſimi induſtriae debentur. Coronidem iis quae hactenus attuli, imponat Epigramma graecum, in crure Memnonis eodem inciſum, lectuque hic non indignum, ſicut illud reſtituit elegantium Muſarum * dilectus alumnus:

Ἔκλυον αὐδήσαντος ἐγὼ Πόβλιος Βαλβῖνος.
Φωνὰς τὰς θείας Μέμνονος ἢ Φαμενώφ.
Ἦλθον ὁμοῦ δ' ἐρατᾷ βασιληΐδι τῆδε Σαβίνᾳ
Ὥρας δὲ πρώτας ἅλιος ἔχε δρόμον.
Κοιράνῳ Ἀδριανῷ πέμπτῳ δεκάτῳ ἐνιαυτῷ.
Ἄματα δ' ἔχεν Ἄθυρ εἴκοσι καὶ πίσυρα
Εἰκόσῳ πέμτῳ ἄματι μηνὸς Νοέμβριος

id eſt:

Ego Publius Balbinus, audiui diuinas voces
Loquentis Memnonis vel Phamenophis.
Veni vero huc vna cum amabili regina Sabina;
Primae horae Sol habebat curſum.
Imperatoris Hadriani quinto et decimo anno.
Dies autem habebat Athyr menſis *viginti et quatuor.*
Vigeſimo quinto die Menſis Nouembris.

Adderem hic libenter obſeruationes celeberrimi D'ORVILLII, niſi id prolixum nimis eſſet. Eas itaque loco, quem in notis indicaui, a lectore harum rerum cupido euolui malim. Illud tantum obſeruabo, auctorem huius Epigrammatis mentionem facere Sabinae, vxoris Hadriani Imperatoris, qua comite et praeſente, vocem Memnoniam audiuerit. In aliis Inſcriptionibus mentio etiam fit Hadriani ipſius, et

* IAC. PHILIPPVS D'ORVILLIVS Animaduerſion. in Charitonem Aphrodiſ. p. 531.

et cum primis in hac, quam ex Stàtuae Memnoniae crure etiam ſiniſtro, hic adſcribo, ſicut in Pocockianis legitur:

ΙΟΥΛΙΑϹ ΒΑΛΛΙΛΛΗϹ
ΟΤΕ ΗΚΟΥϹΕ ΙΟΥΛΙΕΩΝΟϹ
Ο ϹΕΒΑϹΤΟϹ ΑΔΡΙΑΝΟϹ

Quae ſic videntur eſſe refingenda

ΙΟΥΛΙΑϹ ΚΑΜΙΛΛΗϹ
ΟΤΕ ΗΚΟΥϹΕ ΤΟΥ ΜΕΜΝΩΝΟϹ
Ο ϹΕΒΑϹΤΟϹ ΑΔΡΙΑΝΟϹ.

id eſt:

Iulia Camilla hoc poni iuſſit
Quo tempore Memnonem audiuit
Adrianus Auguſtus.

Ex iis quae hactenus in medium attulimus, licet iam colligere, Coloſſum ſaxeum Memnonis, certis quibusdam temporibus, vocem emiſiſſe, aut ſonum, quem adſtantes miraculi inſtar exceperunt, vnde factum eſt, vt ad eum audiendum, ex omnibus terrae regionibus confluerent homines, viri etiam ſummis dignitatibus conſpicui, et ipſi adeo Imperatores cum ſuis vxoribus, ſpectaculi huius teſtes eſſe non dedignarentur. Nam Hadrianum Imperatorem, non minus, quam vxorem eius Sabinam, audiuiſſe vocem Memnonis Thebaei, Inſcriptiones quarum toties mentionem feci, luculenter euincunt. Docent eaedem Inſcriptiones, vocem illam celebratam Memnoniam, non auditam fuiſſe quotidie, quod veteres quidam, eosque inter STABO quoque et PAVSANIAS, perperam aſſeruerunt; ſed iis tantum diebus, quos eligebant Sacerdotes. Audiebatur autem illa vox nonnunquam ante horam diei primam, plerumque hora prima; ſed et aliquanto ſerius, quin et hora ſecunda, aut etiam tertia. Vti vero Memnon haudquaquam cunctis diebus reſonabat, ita viciſſim diebus nonnullis, ſonum vocis tam deſideratum, poſt aliquod, forte vnius horae interuallum, repetebat, vt proinde vox eius eodem die bis, et forte etiam ter audiri potuerit. Quibus autem ea contingebat felicitas, vt vocis Memnoniae fierent participes, maiorem in modum ſibi gratulabantur, Diisque grates perſoluebant, praeſertim ſi vox audita, ſolito paulo eſſet diſtinctior et ſonora magis. Quomodo vero res haec, ante

 Pto-

Ptolemaeorum, aut etiam Cambyſis tempora, florentibus etiamnum rebus piſcorum Aegyptiorum, ſe habuerit, penitus ignoramus, niſi quod nonnullos tradidiſſe videamus, (§. 8.) ante calamitatem Statuae huic a Cambyſe inflictam, vocem eius fuiſſe pleniorem, diſtinctam magis meliusque percipi potuiſſe.

Luciani locus de voce Memnonis expenditur.

§. 8. Argumentum, in quo ornando nunc verſatus ſum, prius in vniuerſum dimittere haud poſſum, quam locum tetigerim LVCIANI, qui aliquid continet, nobisque offert prorſus ſingulare. Nam in *Philopſeude*, introducit *Eucratem* narrantem, * *ſe in Aegypto Memnonem audiuiſſe, non vulgari illo modo, quo et alii audiunt ſonum quendam informem; ſed oraculum ab eo ore aperto, ſeptem verſibus* (ἐν ἔπεσιν ἑπτὰ,) *editum.* Ego non dubito, nec dubitabit quisquam alius, nil hoc eſſe, niſi merum auctoris faceti figmentum. At ſicuti in figmento hoc ſupponitur, Memnonem Thebaeum loqui, vel edere vocem, quod vtique verum erat, ita etiam id, quod ſequitur, Memnonem locutum eſſe ἐν ἔπεσιν ἑπτὰ, *ſeptem vocibus*, aliquid ex vero trahere, ſuſpicor. Scimus, *numerum ſeptenarium* ** apud Aegyptios in magna olim veneratione, ſanctumque habitum, fuiſſe. Attentione vero inprimis dignum hic cenſeo, quod auctor libri vere elegantis περὶ ἑρμηνείας, qui nomen DEMETRII PHALEREI gerit, §. LXXI. ſcriptum reliquit: Ἔν Αἰγύπτῳ δὲ καὶ τοὺς θεοὺς ὑμνοῦσι διὰ τῶν ἑπτὰ φωνηέντων οἱ ἱερεῖς, ἐφεξῆς ἠχοῦντες αὐτά. Καὶ ἀντὶ αὐλοῦ καὶ κιθάρας τῶν γραμμάτων τούτων ὁ ἦχος ἀκούεται ὑπ᾽ εὐφωνίας. *In Aegypto vero, Sacerdotes etiam per* VII. *vocales, quaſi hymnis Deos celebrant, dum eos ordine continuo ſonant, et apud ipſos loco tibiae et cytharae, literarum harum ſonus auditur ob ſuauitatem vocis.* Obſeruari hic velim, id quod auctor eximius affirmat, non de omnibus in Aegypto Sacerdotibus, Sacerdotumque collegiis, verum eſſe; ſed de quibusdam tantum. In Sacris Iſidis et Oſiridis, citharam tibiamque, aut tubam, adhibitam fuiſſe, eruditos non fugit, et ſi res poſtularet, facile probari poſſet. Sed in quibusdam Aegypti vrbibus, Sacra a Sacerdotibus inſtituta, vſum tibiae et inſtrumentorum Muſicorum, non admittebant. Sigillatim veteres id, de Abydenorum, in Thebaide, Sacerdotibus memoriae mandarunt. Certe credebantur illi, *** *ſonum tubae*

* In Operibus T. II. p. 496. Edit. Salmur.

** Poſſunt hic videri *Prolegomena* noſtra ad *Pantheon*. §. XXV.

*** AELIANVS *de Animal.* Lib. X. c. 28.

tubae deteſtari, tanquam ſimilem rugitui aſini. Illic * *Oſiris colebatur* quidem; ſed *in eius Templo non licebat nec cantori, nec tibicini, nec citharoedo, ſacrificium auſpicari, quemadmodum mos eſt aliis Diis.* Hic igitur locum habuiſſe videtur, vt Sacerdotes, reiecto alio quocunque concentu Muſico, Sacra auſpicarentur, ſeptem vocales ſonando, et cantum hunc religioſum ſaepius repetendo. Notum vero eſt eruditis, ** Abydi Memnonis fuiſſe oſtendique conſueuiſſe regiam, quam Graeci *Memnonium* appellant, vnde ſuſpicari ſubit, etiam hic Amenophin ſpecie aliqua cultus religioſi honoratum fuiſſe. An non probabile videbitur lectori cordato, cantum VII. vocalium, ad Memnonem quoque relatum, et in eius honorem adhibitum fuiſſe? Graecis vſus VII. vocalium diu ignotus manſit. Illi vocalibus V. quos et ab ipſis acceperunt Itali, contenti, *** ſero valde vſum vocalium Η, et Ω, receperunt, idque, vt credo, ex Aegyptiorum Lingua. Non abs ratione auguror, Sacerdotes Thebaeos, diſcrimen VII. vocalium excogitaſſe, forte ad imitationem VII. Planetarum coeleſtium, † quibus etiam eas ſic volebant eſſe conſecratas, vt vnaquaeque illarum ſignum eſſet et character, alicuius ex totidem Planetis. Videntur illi inuento huic ſuo maximum ſtatuiſſe pretium, in illiusque perpetuam memoriam inſtituiſſe, vt Sacra in Thebaide, Thebis praecipue et Abydi, cantu VII. vocalium perſonarent. Et quandoquidem Coloſſus Thebaeus, ſolerti Sacerdotum artificio, ita conſtructus erat, vt vocem quouis ferme die, toties certe, quoties id e re ſua putabant Sacerdotes, emitteret, vero diſſimile profecto non eſt, Sacerdotes eosdem Coloſſum ſuum eum in modum diſpoſuiſſe, vt vox illius inuenti ſui memoriam celebraret, aut vt VII. vocales ordine reſonaret. Disquirere operae pretium eſt, num non forte hoc ipſum, quod dixi, lateat ſub antiqua quadam Aegyptiorum traditione, cuius ex ANTICLIDE, mentionem

* STRABO Lib. XVII. p. 560.

** Vide ſupra Synt. II. cap. II. §. 4.

*** Vide SCALIGERI Animaduerſiones in Euſebii Chronicon, fol. 110. 111. &c. SALMASIVM ad Inſcriptionem Herodis Attici, p. 42. 43. &c. Edit. Crenii. BENTLEIVM de Epiſtolis Phalar. p. 241. 242. et IOHAN. BVHERII Praeſidis quondam in Senatu Diuionenſi, Diſſertationem, *de priſcis Graecorum et Latinorum literis*, quae ad calcem *Palaeographiae Montfauconii* édita, et deinde inter Viri illius illuſtris Diſſertationes Herodoteas auctior prodiit, num. X.

† Videri poſſunt *Prolegomena* noſtra, vbi ſupra.

tionem PLINIVS iniicit. Lib. VII. c. 56. Fert autem illa, *in Aegypto quendam nomine Menona, XV. annis ante Phoroneum, antiquiſſimum Graeciae regem, literas inueniſſe.* Addit PLINIVS ibidem, ANTICLIDEM *id Monumentis approbare conatum eſſe.* De literis in vniuerſum, earumque inuentione id verum eſſe non poſſe, eruditi ſciunt, quos non latet, * Aegyptios vnanimiter omnes, ab antiquo, inuentionem literarum, ſuo *Thoth*, vel *Mercurio*, vnice in acceptis retuliſſe, idque PLINIVS ipſe, loco adducto, obſeruare non neglexit. Quod igitur idem de Menone refert, non videtur, niſi de literis quibusdam intelligi tantum poſſe. Quia nempe, vti ſuſpicor, vetus fama ferebat, Memnonis Statuam vocales VII. quotidie reſonuiſſe, id quibusdam occaſionem praebere potuit, vt ſibi perſuaderent, cum literas has vocales inueniſſe, in primis, cum Aegyptii Statuam illam communiter *vocalem* ſolerent appellare, quod infra cap. V. videbimus. Id vero neminem turbare aut morari debet, quod PLINIVS inuentorem literarum *Menonem* vocitet. Nam eodem modo, nomen *Memnonis*, etiam apud alios Scriptores, librariorum culpa, ſcriptum deprehendimus. In memoriam hic redit Oraculum aliquod Apollinis, quod ex PORPHYRIO ſeruauit EVSEBIVS, in *Praepar. Euangelica*, Lib. V. c. XIV.

Κλητίζειν Ἑρμῆν, ἠδ᾽ ἠέλιον κατὰ ταῦτα
Ἡμέρῃ ἠελίȣ· μήνην δ᾽ ὅτε τῆς δε παρείη
Ἡμέρη, ἠδὲ Κρόνον· ἠδ᾽ ἑξείης ἀφροδίτην
Κλήσεσιν ἀφθέγκτοις, ἃς εὗρεν μάγων
ὅχ᾽ ἄριςος.
Τῆς ἑπταφθόγγȣ βασιλεὺς ὃν πάντες ἴσασιν.
Καὶ, Ὀςάνην λέγεις, εἰπόντων, ἐπήγαγεν
Καὶ σφόδρα καὶ καθ᾽ ἕκαςον ἀεὶ θεὸν
ἑπτακιφώνην.

Quae in verſione VERGERII ita latine ſonant:

Mercurium ac Solem ſimul appellare memento
Luce ſacra Soli: tum Lunam, vbi venerit eius
Nota dies, Saturnum exin, natamque Dione,

Vocibus

* Poteſt hic videri *Pantheon* noſtrum Lib. V. c. 5. §. 6.

Vocibus arcanis, quas maximus ille Magorum,
Septiſonae Dominus reperit, notiſſimus idem
Omnibus.

Hic vero cum ab iis, qui praeſentes intererant, ſucclamatum eſſet, Oſthanem intelligis, *Apollo continuo ſubiecit:*

Magna quemque Deum et ſeptena voce vocabis.

Oraculum hoc Apollini tributum, quod mihi tantam vetuſtatem prae ſe ferre non videtur, atque SCALIGERO, SELDENO, aliisque eruditorum Principibus, qui ex eo antiquitatem denominationis ſeptem dierum hebdomadis, a totidem Planetis, demonſtrare ſategerunt, Oraculum hoc, inquam, viros doctiſſimos magnopere torſit, neque hactenus Deus aliquis ex machina apparuit, qui nodum illum plene et perfecte ſolueret. Multa equidem praeclare de hoc loco obſeruauit * SELDENVS; ſed ſuperſunt quae etiamnum vberiorem diſcuſſionem merentur. In Oraculo illo, non reſpici puto ad res Babyloniorum, quod volebat ** SCALIGER; verum Aegyptiorum. Quod autem EVSEBIVS ex PORPHYRIO addit, quosdam audito Oraculo Apollinis, ſucclamaſſe, per βασιλέα ἑπταφθόγγȣ, *regem ſeptiſonae* deſignari *Oſthanem*, ex eo ortum videtur traxiſſe, quod a Scriptoribus quibusdam recentioribus; ſed falſo, perhibitum deprehendamus, *** Oſthanem Perſarum Magum, Sacris Templisque in Aegypto praefuiſſe. Veroſimilius longe per *Magum praeſtantiſſimum*, eundemque *regem Septiſonae* intelligi poterit *Necepſos* Aegyptius, † *Aegypti iuſtiſſimus Imperator, et optimus quoque Aſtronomus.*

†† *Quique Magos docuit myſteria vana Necepſos.*

Video peringenioſum MARSHAMVM id etiam obſeruaſſe quidem: nam ††† *Necepſos*, inquit, *rex Aegypti*, *Oſthanis Magorumque praeceptor*, *merito dici poteſt*, Magorum praeſtantiſſimus, *cum de regno Oſthanis omnino non conſtet;* at impenſe miror, eum ſibi tamen illic perſua-

* *De Iure Naturae et Gentium* &c. Lib. III. c. 19.
** *Prolegom. in Libros de emendatione Temp.* fol. XLVI. et XLVII.
*** Videri poſſunt *Prolegomena* noſtra in *Pantheon* §. LXII.
† IVLIVS FIRMICVS Matheſ. Lib. IV. c. 16.
†† AVSONIVS Epiſt. XIX.
††† In *Canone Chronico*, ad Sec. XVI. p. 476. fin.

perſuaſiſſe, ac aliis perſuadere voluiſſe, in oraculo neque hunc neque illum intelligi. Ἑπταφθόγγον, vult eſſe VII. *orbium coeleſtium harmoniam*, βασιλέα vero τῆς ἑπταφθόγγȣ, *regem Apollinem*, vtpote qui harmoniae orbium coeleſtium praeeſſe crederetur. Nam etſi inficias minime eam, Apollinem ex Theologorum Graecorum ſententia, tali ſenſu dici poſſe, et perquam commode, βασιλέα τῆς ἑπταφθόγγȣ, *regem Septiſonae*, id tamen in Oraculo noſtro locum non habet, quicquid MARSHAMVS hic; ſed profecto incaſſum, diſputet. Ait nempe Oraculi auctor, quisquis eſt, *regem* illum *Septiſonae*, quem deſignare voluit, eſſe *Magorum praeſtantiſſimum*, qui docuerit VII. Planetas, propriis diebus, precibus arcanis myſticis inuocare, quod vtique Necepſo, at minime Apollini conuenit. Itaque adſtantes ſubinnui coniiciebant *Oſthanem*; ego vero *Necepſo*. Me quidem iudice, *Septiſona*, eſt regio, quae vocales ſeptem continuo reſonat, intelligiturque in Oraculo *Aegyptus*, ac illa ſpeciatim regionis huius pars, in qua vſus VII. vocalium inuentus erat, et quotidie ſolenniter recolebatur, Thebais videlicet, aut forte ager Thebaeus. Illius regem, et totius forte Aegypti, credo fuiſſe Necepſon. Illud vero eruditis expendendum relinquo, an non per Θεὸν ἑπτακιφώνην, *Deum ſepties vocalem*, Memnon Thebaeus intelligi poſſit, ex cuius quippe ore diuino, VII. vocales, quibus magna naturae myſteria ſubinnui credebantur, quotidie audirentur. Satis certe veroſimiliter, * vir doctiſſimus arbitratur, per Θεὸν ἑπτακιφώνην deſignari *Solem*, neque diffiteri poſſum, rationes quibus ad iſtud euincendum vſus eſt, pondus habere apud me non leue. Secundum quosdam vero Sacrorum in Aegypto interpretes, Memnon habebatur Εἴκων βασιλέως Ἡλίȣ, *imago expreſſa Dei Solis*, quod inprimis Epigramma iamiam adferendum liquido teſtatur. Inficias quidem haud eo, nunc non extare quenquam, praeter LVCIANVM, qui vocis ſeptemplicis a Memnone editae, mentionem aliquam iniecerit; at memoria tenendum eſt, aliam fuiſſe rationem vocis Memnoniae, antequam Statua illa mutilaretur, atque ex iis, quae poſt aetatem Cambyſae in illa obſeruantur, aeſtimandum minime eſſe ſtatum eius primaeuum. Extat in crure ſiniſtro Statuae Memnoniae, Epigramma graecum, miſerrime corruptum, cuius initium ſupra dedi, cap. III. §. 2. quo non obſcure ſignificatur, mutilationem Statuae ſub-

ſecu-

* SELDENVS vbi ſupra p. 422. Edit. Lipſ. Adde MARSHAMVM loc. citat.

ſecutam eſſe vocis illius in deterius mutationem et corruptionem. Epigramma hunc fere in modum reſtitui poſſe videtur:

A. ΕΘΡΑΥCΕ ΚΑΜΒΥCΗC ΜΕ ΤΟΝΔΕ ΤΟΝ ΛΙΘΟΝ
ΒΑCΙΛΕΟC ΗΛΙΟΥ ΕΙΚΟΝΑ ΕΚΜΕΜΑΓΜΕΝΟΝ.
ΦΩΝΗ ΔΗ ΗΔΥΜΟC ΗΝ ΠΑΛΑΙ ΜΟΙ ΜΕΜΝΟΝΟC.
ΤΑ ΠΑΘΗ ΔΕ ΟCCΑ ΗΝ ΑΦΕΙΛΕ ΚΑΜΒΥCΗC

B. ΔΥCΦΟΡΑ ΓΕ. ΝΥΝΙ CΟΙ ΑCΑΦΗ ΤΑ ΦΘΕΓΜΑΤΑ.
ΟΛΟΦΥΡΟΜΑΙ ΤΗC ΠΡΟCΘΕ ΔΕΙΛΟΤΑΤΕ ΤΥΧΗC.

A. *Vulnerauit me Cambyſes huncce lapidem*
In effigiem regis Solis conformatum.
Vox mihi ſuauis quondam erat Memnonis.
At voces laetitiae aut triſtitiae affectum diſtincte teſtantes abſtulit Cambyſes.

B. *Sane intoleranda narras. Vox tua nunc obſcura ſonat et non intelligenda,*
Deploro eam, quae olim te, miſerrime, afflixit calamitatem.

Eſt dialogus inter Memnonem, eiusque ſpectatorem. Quid verſu quarto ſibi velint τὰ πάθη, nemo melius explicuerit CALLISTRATO, cuius de ſaxea Memnonis effigie, haec ſunt verba in *Statuis* p. 877. Edit. Morelli Pariſienſ. εἶχεν οὖν ἐγκεκραμένα καὶ τὰ λυποῦντα· καὶ πάλιν ἡδονῆς αἴσθησις αὐτὸν καταλάμβανεν, ὑπ᾽ ἀμφοτέρων τῶν παθῶν πληττόμενον. Quae ſic vertit MORELLVS. *Memnon ea quae triſtitiam adferrent, admixta habebat: rurſusque ipſum voluptatis ſenſus occupabat; ab vtrisque affectibus perculſum.* Multi veterum, quorum loca allata videri poſſunt, §. 2. fingebant Memnonem, etiam poſtquam Cambyſis iuſſu mutilatus eſſet, affectum vtrumque, et laetitiae et doloris, quotidie teſtari perrexiſſe. Cum vero figmentum hoc ipſa quotidiana experientia falſi argueret, auctor Epigrammatis noſtri, id tantum ante Cambyſis tempora locum habuiſſe, aſſeuerat. Et vero diſſimile non eſt, flebilem Memnonis caſum, voci quoque eius aliquod intuliſſe detrimentum. Multa ſunt, quae id mihi perſuadent. Sed quicquid tamen hoc eſt coniecturarum, id omne eruditorum examini et arbitrio perquam libens ſubmitto.

N 2 §. 9. Plu-

Cauſa huius prodigii alia nulla fuit, quam fraus Sacerdotum.

§. 9. Plures ex veteribus, in cauſam rei adeo ſingularis et rarae, quod lapis, ore veluti aperto, vocem tanquam loquentis, certo ſtatutoque tempore emitteret, erant qui ad ipſam lapidis huius indolem et naturam recurrerent, exiſtimantes, id lapidi huic eſſe proprium. Horum ſententiam ſequi videtur PAVSANIAS, quippe qui haec ſcripſerit. * *Lapis, qui Megaris oſtenditur, ſi quis eum calculo percuſſerit, eundem, quem pulſae fides,* ** *ſonum reddit. At enim Coloſſum, qui Thebis Aegyptiis eſt, trans Nilum, maiore utique cum admiratione ſpectaui. — Quotidie ſub ipſum Solis ortum ſonum edit, qualem vel cytharae, vel lyrae nerui, ſi forte* (dum tenduntur) *rumpantur.* Et profecto admiratione multo dignius cenſeri debet, quod lapis, nulla accedente cauſa externa, proprio quodam veluti motu, vocis aliquam ſpeciem, praeſtituto tempore, edat, hominisque loquelam imitetur. Fuerunt equidem, qui id virtuti diuinae attribuendum eſſe ſomniarent, quos inter agmen ducere videtur PHILOSTRATVS et CALLISTRATVS, vide §. 1. illiusque ſententiae non pauci ex iis fauent, quorum Epigrammata in Statua Memnonia videntur inſculpta. Verum alii ſuſpicati potius ſunt, lapidem arte quadam mechanica ad emittendum vocis ſonum diſpoſitum fuiſſe. *Statua haec*, inquit *** vetus quidam Grammaticus, *arte quadam mechanica, ita compoſita erat, vt humana voce regem et Solem ſalutaret.* Neque aliter EVSTATHIVS, cuius locum dedimus §. 2. rationes ſubduxit. Et memini inter recentiores noſtros eruditos reperiri, † qui artificii huius rationem explicare nobis voluerint. STRABO loquelam iſtam Statuae Memnoniae fraudis habuit ſuſpectam, etſi, quanam in re fraus conſiſteret,

* In *Atticis* p. 101.

** Beatus LA CROZIVS, vbi in Aduerſariis MSS. breui, vt ſpero, ſub nomine *La Crozianorum* edendis, locum hunc ſibi notauit e PAVSANIA, haec addit. *Eiusmodi lapidem vidi in Britannia Armorica.* PETRVS etiam VALLENSIS mentionem facit lapidis ſupra modum duri, in Pyramide Memphitica a ſe inuenti, qui percuſſus ſonum reddiderit, tanquam campanae, peracutum; ſed inſigniter ſuauem et iucundum. *Les Voyages* de PIETRO DELLA VALLE To. I. p. 277. verſionis gallicae.

*** Vide ſupra §. 3.

† KIRCHERVS in *Oedipo.* BOURDELOT *hiſtoire de la Muſique* To. I. p. 55.

ſiſteret, neſcire ſe aperte fateretur. * *Circiter horam primam*, inquit, *ſonitum audiui: vtrum a baſi, ſiue a Coloſſo, an vero ab aliquo eum circumſtantium editus fuerit, non habeo affirmare: cum propter incertitudinem cauſae, quiduis potius credere ſubeat, quam ex lapidibus ſic compoſitis ſonitum edi.* De Chriſtianis dubium non eſt, quin hoc omne quicquid eſt, artibus, aut etiam praeſtigiis magicis Sacerdotum, in acceptis retulerint. Si etiam credimus SYNCELLO, qui id ex antiquiori vtique ſcriptore accepit, ** ipſe Cambyſes Perſarum rex, ea de re perſuaſus fuit, et hac eadem de cauſa, Coloſſum in medio rumpi iuſſit, *νομίζων εἶναι γοήτειαν ἐν αὐτῷ, exiſtimans latere in ea aliquas praeſtigiatoris fraudes.* Non aliter de hoc prodigio ſenſit ſeuerus morum cenſor, IVVENALIS, quando de Statua Memnonia cecinit Sat. XV.

Dimidio magicae reſonant vbi Memnone chordae.

Et profecto rem ita ſe habuiſſe, euentus teſtatum omnibusque manifeſtum fecit. Nam poſtquam Sacra gentilium in Aegypto, per Imperatores Chriſtianos, aut plane abolita, aut ad languorem extremum redacta fuere, poſtquam Sacerdotes, reditibus opimis, omnique auctoritate ac poteſtate exuti ſunt, Statua illa altum ad hoc noſtrum vsque tempus ſeruauit ſilentium, visque illa mirifica, quam illi ineſſe credidere veteres, penitus deſiit. A temporibus Seculi IV. inclinati, et V. aerae Chriſtianae, non memini, ſcriptorem quenquam, ſiue Chriſtianus ſit, ſiue Muhamedanus, Statuae Memnoniae, ceu exiſtentis etiamnum, aut ſibi viſae, mentionem aliquam facere. Et ignoraremus hodieque, ſupereſſetne Statuae illius aliquid, niſi CLAVDIVS SICARDVS primo, eam ſe oculis vſurpaſſe, affirmaſſet, eamque poſtea RICHARDVS POCOCKIVS accurate deſcripſiſſet, et deſcriptioni elegantem Statuae Memnoniae delineationem addidiſſet. Hic igitur eſt Statuae illius antiquiſſimae et multo celeberrimae verus reſtaurator.

N 3 CAPVT

* Vide ſupra §. 1.
** In *Chronographia* p. 151.

CAPVT V.

De nomine Oſymandyae, quo Statua Memnonia ab Aegyptiis deſignari conſueuit.

Amenophin, ſiue Memnonem Aegyptium, et Oſymandyen, eundem eſſe, docet Strabo. §. 1. Neque Oſymandias Diodori, ſi is recte excutiatur, ab Amenophi, vel Memnone differt. §. 2. Eiusdem Statua Oſymandyae, eadem plane eſt cum Memnonia. §. 3. Id ipſum denique ex nomine ipſo Oſymandyae confirmatur. §. 4.

§. I.

Amenophin, ſiue Memnonem Aegyptium, eundem eſſe cum Oſymandya, docet Strabo.

De Oſymandya in ſuperioribus quaedam iam delibauimus. Diximus autem * *Oſymandyen* ab *Amenophi*, cuius ſaxea effigies, Thebis cernebatur, diuerſum haut quaquam fuiſſe. Auctorem huius rei habemus STRABONEM ipſum, qui id, quod refert, ab incolis illius regionis accepit. Verba eius Lib. XVII. p. 559. ita ſonant: Ὁ Μέμνων ὥς φασιν, ὑπὸ τῶν Αἰγυπτίων Ἰσμάνδης λέγεται. *Memnonem dicunt ab Aegyptiis Iſmandem vocari.* Quisnam ſit ille *Iſmandes*, hodie nos lateret, niſi ex DIODORO *Siculo*, diſceremus, Thebis, eodem in loco, in quo conſpicienda erat Statua Memnonia, celebratum quoque fuiſſe nomen *Oſymandyae.* Et profecto, ſi vera ſunt, quae de iſto Thebaeorum, et totius Aegypti rege, DIODORVS commemorat, credi vix poteſt, fuiſſe vllum ex omnibus Aegypti regibus, et multitudine et magnitudine rerum geſtarum illuſtriorem, et tum in patria, tum apud exteros celebriorem. Et tamen, ſi DIODORVM, et, ad quem is prouocat, HECATAEVM *Mileſium*, eximas, vix eſt inter veteres quisquam, apud quem illius nomen reperias. Apud HERODOTVM, certe, qui celebriorum Aegypti regum commeminit, fruſtra quaeras *Oſymandyen.* In ERATOSTHENIS Catalogo regum Thebaeorum, nullum videas comparere huius nominis Principem. In ipſis MANETHONIS Aegyptii Dynaſtiis, *Oſymandyas* prorſus exulat. Eam ob cauſam reperti ſunt, ** qui *Oſymandyen*, cognomen aliquod *Seſoſtris* fuiſſe, et illum in hoc tutiſſime quaeri et inueniri poſſe, perſuaſum haberent. Neque negari poteſt, res

* Synt. II. cap. I. §. 7. et cap. III. §. 3.
** PERIZONIVS Origin. Aegypt. cap. XVII. p. 306.

res geſtas, quas hiſtoria tribuit Seſoſtri, cum illis, quae in *Oſymandyae* rationibus ponuntur, permagnam habere affinitatem. Verum, vti dixi, credendum hic omnino STRABONIS teſtimonio *Iſmandem*, vel *Oſymanden*, quae nomina vnum eundemque deſignant, diuerſum ab eo non eſſe, quem Graeci *Memnonem* vocitent. Quam ſententiam video etiam * viro doctiſſimo, et in his rebus inprimis exercitato, placere et penitus probari.

Nec Oſymandyas Diodori, ſi is recte excutiatur, ab Amenophi, vel Memnone Aegyptio differt.

§. 2. DIODORVS *Siculus* adduci non ſolet, tanquam opinioni huic fauens. Et certe, ſi quis hiſtoriam eius obiter legat, illius quam dixi rei, veſtigium vix aliquod inueniet. Praeſtantiſſimi etiam viri, qui egregium hunc Scriptorem diligenti manu verſarunt, ne ſuſpicantur quidem *Oſymandyen* illius, eſſe *Amenophin*, ſiue *Memnonem*, cuius inclyta erat in Aegypto Statua. Potius, cum Statua Memnonis, et Memnonium, nonniſi trans Nilum, in Libya Aegyptiaca reperiantur **, ipſi Palatium et Mauſoleum *Oſymandyae*, cis Nilum in Arabia Aegyptiaca locant. Vbi vero DIODORI verba, ſeria et attenta aeſtimatione perpendo, ſentio quidem, eum, vbi ad hoc argumentum delabitur, non de viſu, vti STRABO, et recentiores noſtri peregrinatores; ſed de ſolo auditu, ex aliorum nempe relationibus, loqui: verum aliter tamen iudicace haud poſſum, quam omnia illa, quae de *Oſymandya*, et aedificiis ipſi conſecratis, refert, ad *Memnonem* Aegyptium, et denominatum ab eo *Memnonium*, referenda eſſe. Tradit enim optimus hicce auctor, p. 44. a primis regum Thebaeorum ſepulchris, vſque ad Monumentum Oſymandyae, decem numerari ſtadia. Et hoc circiter eſſe interuallum, quod Statuam Memnoniam a regum Thebaeorum ſepulchris disiungit, ex deſcriptione iſtius regionis Pocockiana, luculenter intelligi poteſt. Deinde ad Statuam Oſymandyae deſcribendam procedit, aitque, *eſſe omnium, quae in Aegypto reperiuntur, maximam*, id quod de Statua Memnonis, matrisque eius, vere dici poſſe, affirmare auſim. Argumenti loco ipſi eſt, quod Statuae huius *pes* plus *ſeptem excedat cubitos, vel vlnas*. In Statua vero Memnonia, quam POCOCKIVS accurate menſus eſt, *longitudo pedis, nouem decemque pedum noſtrorum eſt*, quae menſura illam DIODORI, magnitudine ſuperat. Quod ſi vero conſideres, non

* MARSHAMVS in *Canone Chron.* p. 427.

** Ita CLAVDIVS SICARDVS, dans les *Nouveaux Memoires des Miſſions*, To. V. p. 224. 225. T. VII. p. 161. POCOCK'S *Obſervations on Egypt*, p. 106. 107.

non per omnia inter ſe conuenire, veterum noſtrorumque recentiorum, modulos menſurarum, abſurdum non fuerit dicere, menſuram DIODORI, a Pocockiana, non ita longe diſcedere.

Statua Oſymandyae, a Diodoro deſcripta, eadem eſt cum Memnonia.

§. 3. Illud vero ante omnia ſententiam meam firmat, quod niſi me vana fallaxque decipit opinio, DIODORVS, de Statua *Oſymandyae* loquens, ipſum *Memnonis* nomen adhibuerit. Verba eius haec ſunt p. 44. Editionis Wechelianae, qua ſola vti datum eſt: Παρὰ δὲ τὴν εἴσοδον ἀνδριάντας εἶναι τρεῖς, ἐξ ἑνὸς τοὺς πάντας λίθου Μέμνονος τοῦ Συκνίτου· καὶ τούτων ἕνα μὲν καθημένον ὑπάρχειν μέγιστον πάντων τῶν κατ᾽ αἴγυπτον· οὗ τὸν πόδα μετρούμενον ὑπερβάλλειν τοὺς ἑπτὰ πήχεις. Quod ſic latine redditur: *In aditu perhibent, tres Statuas videri, ex vno ſaxo omnes, Memnonis Sycnitae opus. Harum vnam ſedere, omnium in Aegypto maximam; quae pedis ſui menſura, excedat cubitos ſeptem.* Quid ſibi hic velit *Memnon Sycnites*, ſi haec ſit genuina lectio, dictu perquam difficile fuerit. Candide fatetur illuſtris MARSHAMVS: * *Vocem hanc non capio, neque interpres, qui Statuarium intelligit; neſcio an ſit patris nomen.* Poſt eum, alius eruditus Anglus de nomine eodem hocce iudicium tulit. ** *Opus eſt Memnonis Sycnitae, Statuarii haud dubie valde celebris.* At mihi videtur locus in mendo cubare, et inſuper transpoſitione vnius vocis eſſe inquinatus. Exiſtimo eum hunc in modum poſſe reſtitui. Παρὰ δὲ τὴν εἴσοδον ἀνδριάντας εἶναι τρεῖς ἐξ ἑνὸς τοὺς πάντας λίθου, τοῦ Συηνίτου. Καὶ τούτων ἕνα μὲν καθημένον τοῦ Μέμνονος, ὑπάρχειν μέγιστον πάντων τῶν κατ᾽ αἴγυπτον. Verte: *In aditu perhibent tres Statuas videri, omnes ex vno lapide, Syenite videlicet. Harum vnam Memnonis ſedere, omnium in Aegypto maximam.* Ferebant nempe, in aditu veſtibuli tres eſſe Statuas, omnes ex vno lapide exciſas, *marmore* nempe *Syenitico*, omnium totius Aegypti celeberrimo. Meminit illius PLINIVS Lib. XXXVI. cap. VIII. *Circa Syenen vero Thebaidis, Syenites* lapis, *quem antea* *** *pyrhopoecilon vocabant. Trabes ex eo fecere reges quodam certamine, obeliſcos vocantes.* De Nilometrio Syenitico ſcribit HELIODORVS Lib. IX. p. 443. fuiſſe illud συννόμῳ μὲν καὶ ξεστῷ λίθῳ κατεσκευασμένον, *ex lapide ſecto, eiuſdem*

* In *Canone Chronico*, p. 427.

** POCOCK'S *Obſeruations on Egypt.* p. 107.

*** Ex lapide hoc *pyrhopoecilo* Statuam Memnonis ſculptam eſſe, tradidit TZETZES. Vide ſupra cap. IV. §. 3.

dem Nomi (Syenite videlicet) *extructum.* Ita illic erat vertendum Et * cernuntur hodieque lapicidinae Syeniticae, ex quibus trabes illae admirandae, variaeque Statuae, olim exſcindebantur. Ex illo lapide Syenite, ſculpta quoque fuerat in Monumento Oſymandyae, Statua hominis ſedentis, Memnonis. Quis vero ille ſit, niſi quem Aegyptii *Amenophin*, Graeci vero Memnonem appellabant? cuius Statuam fuiſſe ſedentis hominis, teſtantur veteres et loquitur res ipſa. Eam porro DIODORVS ait omnium Statuarum, quae in Aegypto exiſtebant, eſſe maximam, quod de Memnonia noſtra verum pariter eſt. Si quis omnia recte exploret, videbit ea ad ſtabiliendam correctionem et explicationem meam concurrere. Neque illa, quae apud DIODORVM ſequuntur, tantum ſententiae meae obſunt, quantum forte nonnullis videri poterunt. Ita nempe auctor hicce pergit: Ἑτέρους καὶ δύο πρὸς τοῖς γόνασι, τὸν μὲν ἐκ δεξιῶν, τὸν δὲ ἐξ εὐωνύμων, θυγατρὸς καὶ μητρὸς, τῷ μεγέθει λειπομένους. *Ferunt porro, duas alias Statuas, ad prioris illius ſedentis genua cerni, alteram a dextris, a ſiniſtris alteram, filiae nimirum et matris, prioris magnitudinem non aſſequentes.* STRABO, quod ** iam vidimus, Statuas nonniſi duas obſeruauit, totidemque ſe conſpexiſſe ***, teſtatur POCOCKIVS. At enim de tribus loquitur DIODORVS, quae proinde ab iis, quae in Memnonio viderunt STRABO, et recentiores peregrinatores, differunt. Sed bene eſt, quod ipſe Statuae Memnoniae conſpectus, difficultatem hanc omnium optime ſoluat, verbaque DIODORI explicet, aut quomodo intelligi debeant, clare doceat. Ait nempe DIODORVS, Statuae Memnoniae adſtitiſſe et a dextra, et a ſiniſtra, duas alias πρὸς τοῖς γόνασι, *ad genua.* In ipſa vero Memnonis Statua, vti eam beneficio POCOCKII delineatam habemus, crus vtrumque, et a dextra, et a ſiniſtra, circumſiſtere cernimus duas Statuas, ſexus, vt videtur, foeminei, quae a planta pedis Memnonii, vsque ad genu fere pertingunt. Tres igitur Statuae DIODORI, qui aut relatione parum accurata deceptus fuit, aut eam minus recte intellexit, re ipſa non ſunt niſi vnica, qua de re non dubitabit, qui Statuae Memnoniae effigiem, hic adiectam ipſe inſpicere, eaque quae dicta nunc ſunt, rite atque lance aequa expendere dignabitur. Pergit deinde DIODORVS: Εἶναι

* POCOCK, vbi ſupra p. 117.
** Supra cap. IV. §. 1.
*** Vbi ſupra p. 101.

*Εἶναι δὲ καὶ ἄλλην εἰκόνα τῆς μητρὸς αὐτȣ̃, καθ' αὐτὴν, εἴκοσι πηχῶν, μονόλιθον· ἔχȣσαν δὲ * τρεῖς βασιλείας ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, ἃς διασημαίνειν, ὅτι καὶ θυγάτηρ, καὶ γυνὴ, καὶ μήτηρ βασιλέως ὑπῆρξε. Aliam inſuper aiunt Statuam eſſe matris illius, ſeorſim poſitam, cubitorum XX, vno Saxo conſtantem, in cuius capite tria cernantur regiae poteſtatis inſignia, quibus ſignificetur, filiam, vxorem, et matrem regis fuiſſe.* Vides, praeter Statuam Memnonis, quae duas alias minores in ſe comprehendit, fuiſſe Statuam ſecundam, ſeorſim conſtitutam, effigiem nempe matris Memnonis, ſiue dicere malis Amenophis, aut Oſymandyae. Nam non haec prorſus concordant, cum iis ** quae et veteres et recentiores de duabus Statuis in Memnonio poſitis commemorant. Quae vero DIODORVS de aedificiis ampliſſimis et ſumtuoſiſſimis, monumentum Oſymandyae ambientibus, refert talia ſunt, vt *** eorum veſtigia et rudera etiamnum a peregrinatoribus curioſis obſeruentur.

Idem ex ipſo Oſymandyae nomine Aegyptiaco confirmatur.

§. 4. Nihil vero eſt, quod ea, quae nunc diſcuſſimus, et pro virili adſtruximus, aeque ſtabiliat, firmiusque communiat, atque ipſum *Oſymandyae* nomen Aegyptiacum. Qui linguae veteris Aegyptiacae vel tenuem tantum notitiam ſibi acquiſiuit, non poterit non mihi aſſentiri, nomen *Oſymandyae*, nihil aliud ſignificare, quam *vocalem*, ſubintellige *Statuam.* Multis oſtendimus cap. IV Statuam Memnoniam ea de cauſa tantam apud veteres conſecutam eſſe celebritatem, quod etſi lapidea eſſet, certis tamen temporibus, et proprio veluti motu, vocem ederet, tanquam loquela eſſet praedita. Hoc erat lapidis illius miraculum, a tot Scriptoribus iactatum laudibusque praedicatum. Eam ob rationem CALLISTRATVS in *Statuis*, p. 865. Coloſſum hunc inclytum vocat λίθον ἔμφωνον, *lapidem voce praeditum*, et p. 876. λίθον ἔχοντα ἐξȣσίαν φωνῆς, *lapidem facultatem vocis habentem:* Et Scriptores plures, ad teſtimonium † alibi vocati, φθεγγόμενον λίθον, *lapidem ſonantem et loquentem.* HIERONYMVS et FRECVLPHVS

* Suſpicor auctorem ſcripſiſſe γ̄ βασίλεια, ex quo librarius minus peritus fecit γ̄ βασιλείας, et alius τρεῖς βασιλείας. Eſt vero βασίλειον, ornatus, qui cernitur in capitibus Deorum Aegyptiorum, globus videlicet, aut luna corniculata, aut ſimile quid. OVIDIVS dixit *regale decus*, Metam. Lib. IX. v. 689. γ̄ βασίλεια vertere licet *regale decus triplex.*

** Vide ſupra cap. III. §. 3. et cap. IV. §. 2.

*** Vide ſupra cap. II. §. 4.

† Supra Synt. II. cap. I. §. 3.

PHVS eundem nuncupant *lapidem loquentem.* Id vero plane ſignificat *Oſymandyas*, vel, vti STRABO habet, *Iſmandes.* Nam ſermone Aegyptiorum ⲥⲙⲏ, *Sma*, dicitur *vox*, et cum praefixo articulo indefinito, ⲟⲩ-ⲥⲙⲏ, *U-Sma.* *Ti* vero, ϯ, *dare* ſignificat. Erit ingitur ϯ-ⲥⲙⲏ, *dare vocem*, iſt eſt *ſonare*, vel *vocem emittere*, Numer. XIV. 1. Pſalmō XLVI. 6. et LXVIII. 33. In Commentario de *Myſteriis literarum*, quem ATASIVS quidam, ſermone Aegyptiaco conſcripſit Seculo IV, et qui manu exaratus extat in Bibliotheca Bodleiana Oxonienſi, *literae vocales*, dicuntur ⲉ̇ⲧⲉ ⲟⲩ ⲛ̄ⲧⲟⲩⲥⲙⲏ, *quae habent ſonum*, et, vt mox additur, ⲥⲉϯ ⲛ̄ⲟⲩⲥⲙⲏ, *dant ſonum.* Erit igitur ⲟⲩ-ⲥⲙⲏ-ⲛ̄ϯ, *U-ſmandi*, ſi interpreteris, *dans ſonum*, vel *vocem*, et quod idem eſt, *vocalis*, ſiue *loquens.* Ex hac voce Graeci, confecerunt ſuum *Oſymandes*, vel, vti apud STRABONEM legitur, *Iſmandes.* Vero mihi admodum ſimile videtur, veteres Aegyptios, Coloſſum ſuum mirabilem, primitus quidem cognominaſſe ⲙ̇ⲙⲱⲛⲓ ⲟⲩⲥⲙⲏ ⲛ̄ϯ, *Emnoni uſmandi*, quaſi diceres *lapideum vocalem*, ſubintelligendo Coloſſum. Prior pars huius cognominis *Emnoni*, nota fuit, vt opinor, HOMERO *, ex eoque anſam forte arripuit, *Amenophin* Aegyptiorum, *lapideum*, vel *Emnoni*, confundendi cum Graecorum, vel Troianorum *Memnone.* Poſtea priori hac cognominis parte abiecta, Coloſſus, quod probabile mihi ſit, a vulgo appellari coepit ⲟⲩ-ⲥⲙⲏ-ⲛ̄ϯ, *Uſmandi*, ſiue *vocalis.* De hoc *Uſmande*, quod tamen nil, niſi *lapidem vocalem*, aut *loquentem*, ſignificat, Sacerdotes labentibus annis, forte tamen nonniſi regnantibus iam Ptolemaeis, permulta finxere, et figmentis ſuis ſtrenue peregrinis impoſuere, quae apud DIODORVM legi poſſunt.

* Vide ſupra Syntagm. II. cap. II. §. 5.

CAPVT VI.

De Amenophis, ſiue Oſymandyae Diuinitate.

Nomen Amenophis, cuius in Thebaide celebratur Statua, erat ſymbolicum. §. 1. De illius Diuinitate teſtantur inprimis Inſcriptiones, in Statúa eius extantes. §. 2. Plinius Memnonem videtur habuiſſe pro Serapide; ſed perperam. §. 3. Aliae quaedam de Amenophis diuinitate adferuntur coniecturae. §. 4. Amenophis probabiliter Symbolum aliquod fuit Solis. §. 5. Et quidem ver auſpicantis in Aequinoctio verno. §. 6. Coniectura haec nouo argumento illuſtratur. §. 7. Adfertur eadem de re ſententia doctiſſimi Mathematici. §. 8.

§. 1.

Nomen Amenophis, cuius in Thebaide celebratur Statua, erat Symbolicum.

Non de nihilo eſt, quod capite ſuperiori V. §. 1. obſeruauimus, *Oſymandyae* nomen, omnibus rerum Aegyptiacarum Scriptoribus, qui hiſtoriam illius regni attigerunt, ignotum eſſe, ſi vnum DIODORVM *Siculum*, et quem is ſequitur, HECATAEVM *Mileſium*, diu deperditum, demas. *Amenophin* vero, neque inter Aegypti reges, HERODOTVS, neque inter reges Thebaeos ERATOSTHENES, neque quantum meminiſſe poſſum, praeter MANETHONEM, omnino * quiſquam alius commemorat. Et cum in hiſtoria MANETHONIS, ** quatuor Aegypti reges huius nominis occurrant, *** de vltimo ex iis, IOSEPHVS iudicat, eum a MANETHONE confictum, et in catalogum regum Aegypti, mala fide intruſum fuiſſe. Et quaedam tamen, quae de eo narrat MANETHO, talia ſunt, vt mihi quidem videantur, in fabulis Sacerdotum, de *Amenophi* illo tradita fuiſſe, cuius Statua mirabilis, prope Thebas conſpicienda erat. Ob rationes vero alias, MARSHAMVM in eadem quoque fuiſſe ſententia, *Amenophin* MANETHONIS quartum, a *Memnone* Graecorum haud differre, cuius nempe a Veteribus Statua tantopere celebretur, † ſuo loco monuimus. Et is tamen, ſi IOSEPHVM audimus, nonniſi in MANETHONIS cerebro extitit; inter reges vero

* Reperiebatur etiam in CHAEREMONIS *hiſtoria Aegyptiaca*, apud IOSEPHVM Lib. I. adv. Apion. §. 32. Sed is haec ex MANETHONE deſumſerat.

** Vide ſupra Synt. II. cap. II. §. 6.

*** Vide ibidem et IOSEPHVM adv. Apion. Lib. I. §. 26.

† Vbi ſupra.

vero Aegypti, locum omnino nullum habet. Non nego, MANETHONEM ipſum, * Coloſſum Thebaeum referre ad *Amenophin* ſecundum. Verum enim vero ſunt iuſtae rationes dubitandi, fuerint haec ab ipſo MANETHONIS calamo profecta, an vero AFRICANO potius in acceptis ferenda ſint. Et praeterea, quaenam quaeſo, poterit ** in tanta rerum diſcordia apertaque pugna, eſſe certitudo hiſtorica? Non poſſum igitur, quin hic adſtipuler, viro in rebus Aegyptiacis non perfunctorie exercitato, quem tale tuliſſe iudicium video. *** *Nihil incertius Amenophis iſtius aetate, quippe quem Vſſerius ad Moſis tempora refert, alii plerique ad ſeriora longe demittunt. Quod vero Manetho, vt et Chaeremon, Moſen ſub Amenophi, et quidem tertio Dynaſtiae* XIX. *rege, vixiſſe, et Iſraëlitas ex Aegypto eduxiſſe tradiderunt, id vero manifeſte ſatis arguitur ratione temporis.* &c. Et † iterum. *Verum haec omnia in incerto poſita fateor.* Rationibus certe non minimi momenti docti euicerunt, in multis rebus fidem MANETHONIS magnopere vacillare, quod et hic locum habere arbitror. Nempe nouerant Aegyptii omnes, Coloſſo celebri Thebaeo nomen eſſe *Amenophi;* ſed quis eſſet ille *Amenophis*, non omnibus forte aeque perſpicuum erat. Ego nomen huic Coloſſo impoſitum, non opinor fuiſſe alicuius regis, quippe quod in Catalogo regum Thebaeorum ERATOSTHENIS haud occurrat; verum mere ſymbolicum, ad quaedam attributa Diuinitatis alicuius, in Aegypto cultae, relatum; quamuis negare nolim, fuiſſe forte aliquos Aegypti reges, qui more paſſim in illa gente recepto, in honorem ſymbolicae iſtius diuinitatis, nomen eius quoque adſciuerint. Sed MANETHO traditiones Sacerdotum allegoricas et aenigmaticas de *Amenophi*, hiſtorice interpretatus eſt, et ad aliquem Aegypti regem, nomine eodem, aut praeditum, aut forte a ſe donatum, tranſtulit. Quicquid ſit, illud ſpero, cordatus quiuis rerum talium arbiter, qui omnia rei huius momenta curate expendere fuerit dignatus, haud facile inficias ibit, regno Amenophis huius Thebaei, nihil dari incertius; cum viciſſim eius diuinitas, et religioſa, quam in Aegypto obtinuit, veneratio, certa ſit, multisque modis teſtata.

* Apud SYNCELLVM p. 72.

** Praeter ea, quae dicta hic ſunt, videri etiam poſſunt, PERIZONII *Origines Aegypt.* cap. XV. p. 247.

*** Idem, libro eodem, cap. XII. p. 188.

† Idem cap. XV. p. 249.

De Amenophis diuinitate teſtantur inprimis Inſcriptiones, in Statua eius extantes.

§. 2. *Amenophin*, vel, vti Graeci eum vocant, *Memnonem*, cultu aliquo religioſo honoratum fuiſſe in Thebaide, Scriptores quidam memoriae prodidere graeci. In his PHILOSTRATVS, ex DAMIDE ſuo refert, *de vita Apollonii* Lib. VI. c. 3. *Aethiopes Memnonem lugere, tanquam morte immatura extinctum.* Et mox narrat, *Aethiopes ſacra feciſſe Memnoni Eoo.* Si HELIODORI *Aethiopica* fide videri poſſunt hac in re digna, * ex illis diſceremus, Aethiopes ſupra Aegyptum, Memnonem inter heroës ſuos, cultu publico veneratos fuiſſe. Nec minores honores eum in Aſſyria eſſe conſecutum, ** credere nos iubet OPPIANVS. Verum ſi quid recte iudico, fictio haec eſt eius Poëtica, cui aliquam veri ſpeciem ex eo conciliari poſſe exiſtimauit, quod hinc quidem, ſcriptores non pauci, natales ei in Aſſyria aſſignauerint, vbi *Suſa Memnonia* gloriae eius teſtes ſint, et quod illinc alii, in Thebaide honores diuinos eum conſecutum eſſe, literis mandauerint. Verum omnium luculentiſſime, Inſcriptiones Graecae Latinaeque, in Statua Memnonis inſculptae, teſtantur, eum etiam poſt Chriſti Domini natiuitatem, pro Deo habitum, eique honores diuinos tributos fuiſſe. Extat in crure dextro illius Statuae, Inſcriptio Graeca, mirifice corrupta, in qua haec tamen ſatis diſtincte leguntur:

ΗΚΟΥΣΕΝ ΕΛΘΩΝ ΤΟΥ ΘΕΟΥ ΤΟΝ ΗΧΟΝ.

Audiuit Praetor, cum veniſſet, DEI vocem.

Vides hic dici *vocem Dei*, quae in pleriſque Inſcriptionibus nuncupatur *vox Memnonis*. In eadem Inſcriptione et haec reperiuntur, quae ab ipſo auctore ſic ſcripta fuiſſe arbitramur:

ΠΑΡΗΝ ΘΕΩΡΟC ΚΑΙ ΠΡΟCΕΚΥΝΗCΕΝ

Adfuit Praetor, *ſacra legatione fungens ad Memnonem, eumque adorauit.*

Θεωϱοὶ dicebantur, qui nomine publico legatione ſacra ad templum alicuius Dei fungebantur, plerumque Oracula eius conſulturi. Tali legatione functus etiam erat quidam in Aegypto Praetor ad Memnonem, et adueniens eum adorauerat. Quae in crure ſiniſtro prima legitur Inſcriptio, Trebollae nomine poſita, ita legenda videtur:

ΤΗC ΙΕΡΑC ΑΚΟΥΟΥCΑ ΦΩΝΗC ΜΕΜΝΟΝΟC
ΕΠΟΘΟΥΝ CΕ ΜΗΤΕΡ ΚΑΙCΑΡΟC ΕΝΕΥΩΧΕΙΝ

Cuius

* Vide ſupra Synt. I. cap. II. §. 6. ** Vide ibidem.

Cuius hic eſt ſenſus. *Poſtquam voti huius compos factus ſum, vt SANCTAM VOCEM MEMNONIS audirem, nunc illud, quod vnice cupio, reſtat, vt te Mater Caeſaris conuiuio excipiam.* In crure eodem cernitur Inſcriptio graeca, ſupra iam allata, cap. IV. §. 6. vbi et iſta occurrunt ΗΚΟΥϹΑ ΜΕΜΝΟΝΟϹ ΤΟΥ ΟϹΙΟΤΑΤΟΥ. *Audiui Memnonem ſanctiſſimum.* Alia illic habetur Inſcriptio, ſic, vt opinor, legenda:

Λ. ΦΛΑΟΥΙΑΝΟϹ
ΦΙΛΙΠΠΟϹ
ΕΚΛΥΟΝ ΜΕ
ΜΝΟΝΟϹ ΘΕΙΟΤΑΤΟΥ.

Lucius Flauianus Philippus, audiui
Memnonem maxime diuinum.

Cui iungo partem vltimam alius Inſcriptionis graecae, ſic conceptam:

ΘΕΙΟΤΑΤΟΥ ΝΥΚΤΩΡ
ΟΜΦΗΝ ΕΠΙ ΜΕΜΝΟΝΟϹ
ΗΛΘΟΝ

Noctu acceſſi, vt oraculum audirem
maxime diuini Memnonis.

Φωνὰς τὰς θείας Μέμνονος, *diuinas Memnonis voces*, celebrat etiam Epigramma graecum, a D'ORVILLIO integritati ſuae reſtitutum, quod cap. IV. §. 6. deſcripſimus.

§. 3. Ex his, quae nunc congeſſi, omnes facile perſpicient, Coloſſum quem Graeci *Memnonium* dicunt, in Thebaide, ſymbolum aliquod ſanctum fuiſſe Diuinitatis: id tantum quaerere nunc operae pretium eſt, cuiusnam Diuinitatis. Si PLINIVM audimus, Statua, quam perhibebant Memnonis, * dicata erat in Templo Serapis, vnde ſuboriri quibusdam poſſet talis ſuſpicio, eam re ipſa fuiſſe ſaxeam effigiem Serapis. At enim, ſi genuina eſt PLINII lectio, ea hic memoriae prodidit Scriptor inclytus, quae mihi veroſimilia omnino non videntur. STRABO nonnihil antiquior Plinio, ** vbi de Coloſſo Memnonio agit, quem oculis ipſe inſpexit, Memnonii meminit quidem, nullius vero Templi Serapidis. Idem etiam *** de PAVSA-NIA,

Plinius Memnonem videtur habuiſſe pro Serapide; ſed perperam.

* *Hiſt. natur.* Lib. XXXVI. cap. VII.
** *Geograph.* Lib. XVII. p. 561.
*** Vide ſupra cap. III. §. 3.

NIA, Plinio aliquanto iuniore, obſeruare licet. Et is quidem, licet Thebis fuerit ipſe, magnaeque huius vrbis reliquias triſtes oculis vſurpauerit, nullum tamen in vrbe hac, aut prope illam, Templum Serapidis antiquum, cognitum habuerat: nam de Dei huiusce Templis in Aegypto, huiusmodi perhibet teſtimonium. * *Apud Aegyptios plura ſunt Dei Serapis Templa; ſed clariſſimum habent Alexandrini, antiquiſſimum Memphitae.* In ipſa quoque Memnonis Thebaei Statua nihil deprehendo, quod ad Serapim antiquum, merito referendum eſſe iudicari poſſet. Tempore etiam Plinii, aedificium aliquod, Templi ſpeciem prae ſe ferens, in quo cerneretur Statua Memnonia, non crediderim ſuperſtes fuiſſe, id enim ex STRABONIS et PAVSANIAE verbis ſatis mihi colligere poſſe videor. Longum igitur illud et vere magnificum veſtibulum Templi, ** in quo initio Coloſſus Memnonius dedicatus poſitusque erat, tempore iam Cambyſis vaſtatum et forte dirutum fuiſſe, mihi quidem veroſimile ſit, ita nempe, vt quaedam illius rudera, qualia et nunc conſpiciuntur, tantum ſupereſſent. Potuit vero locus ille, quem *** STRABO et alii *Memnonium* appellant, a Graecis recentioribus forte pro *Serapeo* haberi, quod Coloſſus Memnonius, illic loci poſitus, aliquid cum Statua Serapidis Alexandrini habuiſſe commune, nonnullis videretur. De ſigno namque Serapidis Alexandrini hoc videas commemorari. In Templo Serapidis Alexandriae, † *feneſtra perexigua ab ortu Solis ita erat aptata, vt die qua fuerat inſtitutum, Simulachrum Solis ad Serapin ſalutandum introferri, diligenter temporibus obſeruatis, ingrediente ſimulachro, radius Solis per eandem feneſtram directus, os et labra Serapis illuſtraret, ita vt inſpectante populo, oſculo ſalutatus Serapis videretur a Sole.* Ad rem hanc arbitror reſpicere Oraculum, quod Serapidi tribuitur in haec verba conceptum:

†† Φαιδρὴ μὲν κατὰ δῶμα θεοῦ καταλάμπεται αὐγή.
Ἦλθε γὰρ, ἠντιβόλησε μέγας θεός· εἶδεν ἐμεῖο
Κάρτος ἀμαιμάκετον. ——

Splen-

* In *Atticis*, ſiue Lib. I. p. 41.
** Supra cap. II. §. 4.
*** Vide ibidem.
† RVFFINVS hiſt. Eccleſiaſt. Lib. II. c. 23.
†† PORPHYRIVS apud EVSEBIVM Praepar. Eu. Lib. V. c. XIII.

Splendidus per tecti feneſtram illuxit Dei (Solis) *radius.*
Acceſſit enim, occurritque mihi magnum Numen:
viditque meum
Inuictum robur. ——

Tale quid ferme quotidie in Statua quoque Memnonis Aegyptii contigiſſe, Graeci perhibent, quod * ſuo loco prolixe expoſuimus. Euenire hinc potuit, vt Graeci quidam ſibi imaginarentur, eandem olim Memnonis Thebaei fuiſſe rationem, quae poſtea Serapidis Alexandrini, et vtriusque Numen idem fere ſubinnuere.

§. 4. Poſſet forte cuipiam in mentem venire, Coloſſum Memnonium, ex conſilio Sacerdotum Aegyptiorum, re ipſa ſymbolum fuiſſe *Diei*, ** cuius cognatum dicebant *Oſiridem*, id eſt *Solem*. *Diei* namque Aegyptios, per aliquam σωματοποιΐαν, diuinitatem attribuiſſe, *** plurimorum veterum teſtimoniis conſtat. Et conceptis verbis teſtatur EVSTATHIVS, † *ſimulachrum Diei Thebis in Aegypto auſtrali poſitum fuiſſe.* Neque me, ſi alia ad firmandam hancce coniecturam concurrerent argumenta, turbare illud poſſet, quod videamus Memnonem dici †† *Diei filium.* Reponere enim procliue eſſet, eam quam nonnulli vocant *Diem*, ab aliis, explicationis ergo, nuncupari *Auroram*, cuius filium allegorice recte dici poſſe *Diem*, quis dubitet? Alias praeterea obſeruauimus, Aegyptios ††† Solem certo reſpectu dixiſſe Solis filium, et * Lunam filiam Lunae. Cur igitur *Dies*, filius *Diei* ſano quodam ſenſu dici non potuiſſet? *Diem* certe ſtylo ſymbolico, dici poſſe filium *Solis*, nemo, vt opinor, inficias iuerit. *Solem* vero poëtae, et conditores ſtyli ſymbolici, *Diem* quoque appellant, quam nempe efficit. Inde eſt, quod in *Oraculis*, quae ſic dicuntur, *Sibyllinis*, Rhodus appelletur ** Ἡμερίη θυγάτηρ, *Filia diei.* Erat enim inſula haec *Soli* conſecrata, quod vel Rhodiorum nummi,

De Amenophis diuinitate coniecturae adferuntur aliae.

* Supra cap. IV. §. 2. 3.
** DIODORVS *Siculus* p. 24.
*** Vide ſupra Synt. I. cap. I. §. 3.
† In Commentario ad Dionyſ. Perieg. V. 243.
†† Vide Synt. I. loc. cit.
††† Vide *Pantheon*, Lib. II. cap. IV. §. 11.
* Ibidem Lib. III. cap. III. §. 5.
** Lib. III. p. 252. Edit. Opſopoei. Paris 1607.

nummi, * in quibus Solis effigies conſpicitur, ſatis teſtantur. Ideoque Poëta de ea ſic canit:

** *Tumque domus vere Solis, cui tota ſacrata eſt.*

Verum huic tamen explicationi non leuiter obeſſe fateor, quod veteres *Diem*, Memnonis non dixerint patrem; ſed matrem. Illi igitur Memnoni ſexum aſſignarunt maſculinum, Diei vero foemineum. Eſt ad haec veroſimile, Thebis non tantum Memnonis; verum et ſeorſim *Diei* ſtatuam erectam fuiſſe, quod *** in ſuperioribus iam tetigimus. Legenti haec alia forte noua ſubnaſci poſſet cogitatio, Coloſſum Memnonium ſymbolum extitiſſe ipſius Aegypti. Illam enim Aegyptii non inepte dicere potuerunt *Diei natam*, ſicuti Poëtae, quod modo vidimus, Rhodum eadem plane ratione, *Diei*, id eſt *Solis*, *filiam* nuncupauere. Merito Aegyptus Solis diceretur filia, quia omnem ſuam fertilitatem, omnem bonorum vbertatem, Soli debet, interueniente Nilo, foecunditatem ſibi concilianti, † id enim ſibi perſuadebant Aegyptii. Solem igitur, genitorem ſuum et conſeruatorem, prima diei hora ſibi illuceſcentem, Memnon Aegypti ſymbolum, laetus excipiebat, voceque prolata ſalutabat. Erat porro Statua huius Memnonis, ex lapide ſculpta, †† qui in colorem fuſcum nigricantem vergebat, et niger etiam a veterum multis perhibetur, eoque ſymbolum Aegypti habere poteſt, ſatis commode. Solent enim veteres hanc dicere ††† μελάγγειον, et * μελάμβωλον, cuius nempe *terra* eſt inſigniter *nigra*. Hinc PHILIPPVS in Epigrammate, quod habetur in Anthologia manu exarata, ita canit:

** Ἀιγύπτȣ μεδέȣσα μελαμβώλȣ λινόπεπλε
Δαῖμον. ——

Regina Aegypti nigrum ſolum habentis, linigera
Dea, Iſi. ——

Et

* SPANHEMIVS de vſu Numism. p. 277. 281. Edit. Belgic.
** MANILIVS Aſtron. Lib. IV. v. 764. ex emendatione Bentleii.
*** Cap. IV. §. 2.
† Vide *Pantheon* noſtrum Lib. IV. cap. II. §. 18.
†† Vide ſupra cap. III. §. 1. 4.
††† PLVTARCHVS de Iſide p. 364.
* STEPHANVS *de vrbibus* in voce Αἴγυπτος. EVSTATHIVS ad Dionyſ. v. 236.
** Haec citantur a SVIDA, in voce μελάμβωλος, vbi vide notas KüSTERI.

Et hoc ipſum nomen etiam, quo Aegyptum patriam ſuam, ſermone vernaculo deſignabant regionis illius incolae, ⲬⲎⲘⲒ, *Chami*, et ⲔⲎⲘⲈ, *Kame*, ſignificare poteſt. Et idem hoc teſtatur quoque * PLVTARCHVS, voce nempe *Chemi*, vel *Chami* Aegyptios innuere *nigrum*. Quoniam in eo ſum, ſuperuacaneum non puto, hic monere, nomen *Amenophis* explicari poſſe ⲔⲎⲘⲈ ⲚⲞⲨϤⲒ, *Kame-nuphi*, vel ⲬⲎⲘⲒ ⲚⲞⲨϤⲒ, *Chami-nuphi*, quod Graeci, omiſſa adſpiratione, extuliſſe videntur *Amenophis*, idque ſignificare *Aegyptum bonam*. Posſis etiam, ** quod iam obſeruaui, nec incommode, vocem eandem *Amenophis* interpretari *cuſtodem Aegypti*. Quod ſi quis explicationi huic fauens, in Memnone ſymbolum Aegypti agnoſcere vellet, non illi repugnarem, ſi Memnoni ſexus tributus fuiſſet foemineus. Terram enim *** Aegyptii, non minus atque gentes cultiores aliae, ſymbolo Deae ſexus ſequioris, deſignare aequum duxerunt. Verum enim vero Memnonem omnes ſemper crediderunt et dixerunt heroëm generis maſculini, eamque ob cauſam ſententiam hanc mihi non probari fateor. A veritate propius abeſſe cenſeri poſſet, qui Memnonem Thebaeum, ſymbolum extitiſſe Nili, ſanctiſſimi Aegyptiorum fluuii, forte hariolaretur. Nam quae in ſymbolicis imaginibus Aegypti locum habent, ea fere ad Nilum fluuium trahi quoque poſſunt. Inde igitur eſt, quod, vti veteres obſeruant, † *Nili ſimulachra, eo quod terram Aethiopum tranſiens fluuius hicce in mare delabatur, ex lapide nigro fieri conſueuerint*. Et vt alia iam praeteream, peti hinc poſſet ratio, ob quam Coloſſus Memnonius, ſeptem vocales primitus aut reſonuerit, aut reſonuiſſe perhibeatur. Vide ſupra cap. IV. §. 7. Apud Aegyptios enim †† ſeptem vocales, ſymbola aut ſigna erant totidem Planetarum. Quid vero, inquies, Nilo cum ſeptem Planetis? Dicat hoc pro me MANILIVS, cuius ſequentes verſus, ex emendatione BENTLEII adſcribo:

††† *Atque haec Niliacas demum eſt menſura per oras:*
Qua rigat aeſtiuis grauidus torrentibus arua

P 2 *Nilus*,

* *De Iſide* p. 364.
** Synt. II. cap. I. §. 6.
*** Videri poteſt *Pantheon* noſtrum Lib. V. cap. III. §. 4.
† PAVSANIAS in *Arcadicis* cap. XXIV. p. 647.
†† Videri poſſunt *Prolegomena* noſtra ad *Pantheon*. §. XXV.
††† *Aſtronomic*. Lib. III. v. 453.

Nilus, et erumpens imitatur ſidera mundi
Per ſeptem fauces, atque ora fugantia Pontum.

Memnon probabiliter fuit ſymbolum aliquod Solis.

§. 5. Verum quando omnia tamen ſerio, et aequa lance expendo, ſic tandem iudicare cogor, longe veroſimillime *Amenophin*, ſiue *Memnonem*, ſymbolum aliquod fuiſſe Solis, eiusque virtutis, poteſtatis, aut ſingularis cuiusdam ad terram noſtram relationis. In ipſa profecto Aegypto, quamuis ſequiori aeuo, quosdam Sacrorum interpretes, Statuam Memnoniam habuiſſe pro aliquo Solis ſymbolo, ex Epigrammate quodam, Statuae huic inſculpto, quod * alio loco totum deſcripſimus, ſatis intelligitur, in quo Memnon ſe ipſum dicit:

Βασίλεος ἠλίȣ εἰκονα ἐκμεμαγμένον
Regis Solis imaginem expreſſam.

Cum hac ſymboli Memnonii interpretatione conciliare non ita difficulter licet, quae de Amenophi, in fabulis ſuis aenigmaticis, Sacerdotes Aegyptii olim perhibebant, aut quae de Memnone ſuo finxerunt Graeci, fabulisque Aegyptiorum attexuerunt. Quando enim dicebatur, aut Diei, aut Aurorae, id eſt Solis orientis filius, nemo non videt, et ex iis quae capite hoc obſeruaui, iam ſic ſatis intelligi poteſt, figmenta huius generis non inepte ad Solem transferri. Quasdam Aegyptiorum fabulas myſticas, id ipſum non ita obſcure innuentes, mox inſuper adferemus. Diutius argumento huic non immorabor. Verum illud diſcutiendum nobis tamen reſtat, quamnam in ſymbolo Memnonio, vim, poteſtatemque, quamue illius ad noſtram terram relationem, Sacerdotes depingere, aliorumque venerationi exponere voluerint. Huiusmodi certe cultus reſpectum, habebant apud Aegyptios, Numina ipſorum primaria, *Amun*, ſiue *Iupiter*, qui referebatur ad Solem vernum, quemadmodum et eorundem *Hercules*, *Horus*, ſiue *Apollo*, Solis aeſtiui, *Serapis* Solis autumnalis, et *Harpocrates* hyberni ſolis ſymbolum. Praeter Deos hos Aegyptiorum Principes, qui re ipſa nihil aliud, quam beneficia Solis, tum verna, tum aeſtiua, tum autumnalia, tum denique hyberna, in imagine aliqua depingebant, habebant Sacerdotes etiam alia rerum earundem ſymbola, non quidem inter publica gentis illius Numina ſolenniter relata, et cultu populari celebrata; ſed quibus tamen ſuus aliquis honos, et quaedam venerationis religioſae ſpecies, ex Sacerdotum ſententia decernebatur. Talia ſunt ſymbola hyemis et aeſtatis, quae HERODOTVS in Templi Memphitici ambitu vidit, et de quibus haec memoriae mandauit Lib. II. c. 121. *Rhampſinitus monumenta nominis*

* Cap. IV. §. 8.

minis ſui reliquit, veſtibula Templi Vulcani, quae ad Occaſum ſpectant. E regione veſtibulorum vero, duo ſtatuit ſimulachra, viginti et quinque cubitos longa, quorum alterum, quod Aquilonem reſpicit, ac Aeſtatis nomine inſignitur, ab Aegyptiis adoratur, multisque beneuolentiae ac reuerentiae teſtimoniis condecoratur: quod vero ad Auſtrum collocatum eſt, hyemsque nuncupatur, contraria plane experitur. Huius generis ſimulachrum extitiſſe Statuam Memnonis, Soli dicatum, eiusque aliquam conuerſionem annuam referens, non temere ſuſpicor. Sed cuiusnam conuerſionis ſymbolum, Statua illa prae ſe tulerit, paucis nunc disquiremus.

§. 6. Multa ſunt, quae mihi veroſimile quondam reddiderunt, Statuam Memnonis, ex nutu regis alicuius Thebaei, vel ex Sacerdotum conſilio, Symbolum extitiſſe veris, ſiue Solis in verno aequinoctio, ver auſpicantis: Coniecturae huic robur aliquod addit regio, locusque, in quo Statuam Memnoniam erectam fuiſſe nouimus. Erat autem ille Thebais, ac ſpeciatim ager ampliſſimae Thebarum vrbis, cuius ſummum ac tutelare Numen fuiſſe *Amun*, Aegyptiorum *Iouem*, neminem eruditorum latet. In iſthoc vero Numine, Sacerdotes Aegyptii, vim et virtutem illam Solis, quam in Aequinoctio verno teſtatam facit, impenſa religione quotannis venerabantur, quod * alio loco, argumentis pluribus prolixe adſtruximus. Illam igitur regionem ornabat ſaxea Amenophis effigies, quam ſuperſtitio Aegyptiorum auita, Soli verno ſingulari modo ſacram eſſe voluerat. Accedit ad hanc rationem alia, quam MANETHONIS hiſtoria de Amenophi nobis ſubminiſtrat, quaeque ex commentariis ſacris τῶν ἱερογραμματέων effluxiſſe videtur. Narrat igitur MANETHO de Amenophi, ** *quod concupiuerit Deorum conſpectu frui, quod idem Horo quoque, vni ex prioribus regibus, contigiſſet.* Haec mihi, quod etiam teſtatus iam ſum, non videntur ſapere hiſtoriam rerum aliquando vere geſtarum; ſed fabulam Secerdotalem aenigmaticam, quae ad Theologiam ipſorum phyſicam ſpectet. Rationes, quae me, vt ita ſentirem, permoverunt, momenti ſunt non leuiſſimi. Nam 1) IOSEPHVS, vbi MANETHONIS verba adfert, obſeruare nos iubet, regem illum, quippe qui in Annalibus Aegyptiorum, locum inueniat nullum, ab vno MANETHONE confictum, et pro ſuppoſititio habendum eſſe. Itaque deſumtus non erat ex vera hiſtoria ſuperioris Aeui, verum ex

Et quidem ver auſpicantis in aequinoctio verno.

 Com-

* In *Pantheo Aegyptiorum* Lib. II. cap. II.

** Apud IOSEPHVM Lib. I. *adu. Apion.* §. 26. p. 460.

Commentariis Sacerdotum Theologicis, aut ex fabulis eorum ſymbolicis et allegoricis, ſub quarum inuolucris, mutationes naturae annuas in Coelo, et in terra, adumbrare ſatagebant. 2) Ipſa quoque illa locutio, quae hic ſe nobis offert, Θεῶν γένεσθαι θεατὴν, *Deorum conſpectu frui*, Doctrinam Aegyptiorum Theologicam manifeſto prodit. De Hercule Aegyptiorum conſimiliter HERODOTVS refert Lib. II. c. 40. *quod Iouem videre enixe cupiuerit.* Lucem quandam dictioni huic adferre videtur idem Scriptor, quando de filia Mycerini narrat, eodem Lib. c. 132. *eam oraſſe, vt poſt mortem ſemel quotannis Solem intueri ſibi liceret*, qualia ex antiquorum Aegyptiorum fabulis, de Aegypto loquentes, adferunt etiam * auctores quidam Arabes. Equidem CHAEREMON, qui in *hiſtoria Aegyptiaca* ſecutus erat MANETHONEM, rem ita narrat, ** *Iſidem in ſomnis Amenophi apparuiſſe.* Verum haec illius tantum eſt interpretatio dictionis, quam MANETHO ex Stylo et Theologia Sacerdotali mutuo ſumſerat. CHAEREMON *Deos videre*, vel *conſpectu eorum frui*, interpretatus erat *ab iis per ſomnium moneri*, et *edoceri:* quod ego verum eſſe certo quodam ſenſu, minime negauerim, quando ſcilicet de Sacerdotibus dictio illa adhibetur. Illi *** videre ſe Deos opinabantur, aut certe gloriabantur, quando aut aliis, aut etiam ſibi perſuadere annitebantur, ſe a Diis inſtinctu ſecreto impelli, aut edoceri. At in hiſtoria ſymbolica Amenophis locum id non habet. Ideoque 3) obſeruari velim, cum *Amenophi* coniungi *Horum.* Narratur enim, *Amenophin*, viſione Deorum frui eodem modo cupiuiſſe, ſicuti eadem ante ſe *Horus* pariter fruitus eſſet. Horum vero tota Aegyptus coelo locauit, Deorumque ſupremorum choro addidit. Regnum eius igitur, pertinet ad regnum Deorum, allegoricum, ſymbolicum. Tale igitur erat etiam regnum Amenophis, qui eius a Sacerdotibus perhibebatur Succeſſor. 4) Cum vero *Horus* ille, in fabulis Sacerdotum Theologicis, † certo reſpectu, cum ipſorum *Hercule* cenſeatur idem, non difficile erit lectori, ſagacis ingenii, perſpicere, fabulam Sacerdotalem vtramque, et quam HERODOTVS, et quam MANETHO refert, nonniſi ſolo nomine differre. HERODOTVS *Herculem* nominat; MANETHO vero *Horum:* de vtroque autem, qui perſaepe non niſi vnus ſunt, per-

* Poteſt hic videri *Pantheon* noſtrum Lib. II. cap. II. §. 8.
** Apud IOSEPHVM Lib. cit. §. 32. p. 465.
*** Poteſt hic conferri *Pantheon* noſtrum Lib. V. cap. V. §. 12.
† Oſtenditur hoc in *Pantheo* Lib. II. cap. IV. §. 8.

perhibent, quod cupiuerint conſpectu Deorum frui. Abunde vero * probaſſe mihi videor loco alio opportuno, fabulam HERODOTI, nec poſſe nec debere, niſi ad Aequinoctium vernum referri, ex quo conſequitur, idem tenendum quoque eſſe de *Horo* MANETHONIS. Quoniam autem, teſte Scriptore eodem, par eſt ratio *Amenophis*, id eſt, vt opinor, *Memnonis* Aegyptii, dubium ſupereſſe non videtur, hunc a Sacerdotibus, pro Symbolo quopiam veris, vel aequinoctii verni, habitum fuiſſe. Quodſi porro fabula, quam ** ſupra ex DEMETRII *Aegyptiacis* attulimus, Aethiopes a Tithono Troiam miſſos, cum circa Abydon de morte Memnonis certiores facti eſſent, illic coronas ſuas abieciſſe in ſpinas, ideoque ramos earum floribus onuſtos, coronis eſſe ſimiles, ex cerebro Sacerdotum in Aegypto prodiiſſet, et ea coniecturae noſtrae nouum conciliare poſſet praeſidium. Nouimus enim, Spinam Aegyptiacam, quam et Acaciam appellant, *** Menſe Martio, circa tempus Aequinoctii verni, flores illos protrudere, quos coronis nectendis aptos eſſe, vetuſti Scriptores obſeruant. Id vero fabulae illi confingendae, materiam dubio procul ſubminiſtrauit. Verum quia profeſſus ſum, fabulam hanc mihi quidem videri, ingenio Graecorum deberi, rem hanc ſuo loco relinquo.

Coniectura haec nouo argumento illuſtratur.

§. 7. Aliud praeterea nunc in mentem venit, de quo iudicium eſto penes lectorem cordatum. Nam ſi probari inuicte poſſet, Statuam Memnoniam, † quod ſuſpicatus quondam ſum, ante acceptam a Cambyſe cladem, quouis fere die, illuceſcente Sole, ſeptem reſonuiſſe vocales, ex eo nouum pro adſtruenda, quam lectori obtulimus, ſententia, adferri argumentum poſſet. †† Aſſerui, ſeptem vocales, Sacerdotibus Aegyptiorum, ſigna fuiſſe totidem Planetarum, quod ſi ita ſe habet, cantus illarum opportunus maxime cenſeri debebat tempore Aequinoctii verni. Et forte hoc ipſo tantum tempore, ſeptem vocalium cantus plenus et diſtinctus, ex ore Amenophis, ſiue Memnonis, audiebatur. Erat enim haec communior veterum ſententia †††, quam et Scriptores noſtri Eccleſiaſtici antiqui vtplurimum ſecuti ſunt, aequinoctium vernum principium extitiſſe mundi, in quo et curſus Plane-

* In *Pantheo* Lib. II. cap. II. §. 7. 8.

** Synt. I. cap. IV. §. 3.

*** PROSPER ALPINVS *de Plantis Aegypti* cap. IV. fol. 4. b.

† Supra cap. IV. §. 8.

†† Cap. IV. §. 8.

††† Vide VSSERIVM *de anno ſolari Macedonum*, Cap. II. et FRANCISCI SCORSI notas in Theophanis Ceramei Homilias, p. 441.

Planetarum ſumſerit initium, et ad quod poſt reuolutionem multorum Saeculorum iidem, in eodem ſitu et ordine, ſint reuerſuri. In eadem ſententia fuerunt quoque Aegyptii, qui idcirco initium annorum Aſtronomicum, ab illo Aequinoctio ducebant, etſi annum ciuilem auſpicarentur a Sirio, vel ortu caniculae. * *Aiebant, in hac ipſa genitura mundi, ariete medium coelum tenente, horam fuiſſe mundi naſcentis; cancro geſtante tunc lunam. Poſt hunc Sol cum leone oriebatur; cum Mercurio virgo; libra cum Venere; Mars erat in Scorpio; ſagittarium Iupiter obtinebat; in capricorno Saturnus meabat.* In vetuſto vero Chronico Aegyptiorum, ſcriptum inuenit SYNCELLVS **, poſt reuolutionem annorum 36525, ſecuturam eſſe reſtitutionem Zodiaci in priſtinum Statum, hoc eſt, in primi gradus Aequinoctialis ſigni arietis primum minutum, eamque eſſe illam Fabulis Aegyptiorum et Graecorum tantopere decantatam ἀποκατάϛασιν Zodiaci. Et hac de cauſa Aegyptii phoenicem ſuam fabuloſam, ſymbolum voluerunt eſſe Aequinoctii verni, quod etiam *** in *Tabula Bembina*, vel *Iſiaca*, ſcite videmus depictum, quandoquidem eadem Symbolum ipſis erat ἀποκαταϛάσεως, vel magnae conuerſionis annorum. Nam † *cum huius alitis vita magni conuerſionem anni fieri prodidit Manilius, iterumque ſignificationes tempeſtatum et ſiderum easdem reuerti. Hoc autem circa meridiem incipere, quo die ſignum arietis Sol intraverit.* Crediderunt igitur Sacerdotes Aegyptii, in Aequinoctio verno, quando Sol ſignum arietis ingreditur, VII. Planetas curſum ſuum, ad perficiendam mundi harmoniam, auſpicatos fuiſſe, eaque de cauſa congruum ipſis videri poterat, vt hoc potiſſimum tempore, VII vocales, totidem quippe Planetarum ſigna et ſymbola, laudes Dei Opificis reſonarent. Iudicent vero eruditi, fluxeritne ex illa Aegyptiorum doctrina, quod apud †† NICOLAVM MYREPSVM Alexandrinum *de compoſitione Medicamentorum*, Sect. XXI. cap. 1. legitur in haec verba: *Qui conficit hoc thymiama, proferat has vocales α, ε, η, ι, ο, υ, ω. Ignoretur autem is qui conficit vna cum iis, qui illi ſeruiunt: conficitur autem Martio Menſe, Sole exiſtente in primo arietis gradu, et omnia quae dicta ſunt, ſuccedent. Si vero quis ipſum geſtet in collo,* *aut*

* MACROBIVS *in Somnium Scipionis* Lib. I. c. XXI. p. 76.

** In *Chronograph.* p. 52. Adde hic VIGNOLII Diſſertationem de *Anno Aegyptiaco*, in *Miſcellan. Berolin.* To. IV. p. 10. 11.

*** Videri hac de re poſſunt *Miſcellanea Berolinenſia*, T. VI. p. 146.

† PLINIVS Lib. X. cap. 2.

†† Editum inter *Medicos Principes*, HENRICI STEPHANI, col. 635.

aut ſuſpendat, neque morbum, neque incantationem vllam timebit. In quocunque autem loco aut domo decumbet, nihil in hanc incantatio aut venenum poterit.

§. 8. Dum cogitationibus hiſce indulgeo, mentem ſubit et iſtiusmodi ſuſpicio, Statuam Memnoniam, eum forte ad modum conſtructam, inque agro Thebaeorum collocatam fuiſſe, vt Sacerdotibus verum Aequinoctii verni tempus, certis indiciis ſignificaret, et quodammodo annuntiaret. Ipſum nomen *Amenophis* Aegyptium, coniecturam hanc ratione aliqua mihi ſuggerebat. Priſco certe Aegyptiorum ſermone, quod * alia occaſione expoſui, ⲁⲙⲉ, (*ame*) ſubinnuit *docere*, *oſtendere*, *annuntiare*. Eodem vero ſermone ⲛ̇ⲟⲩϥⲓ (*nuphi*, vel *enuphi*) dicitur *bonum*. Erit igitur ⲁⲙⲉⲛ̇ⲟⲩϥⲓ, *Amenuphi*, qui *bonum* quid, vel *laetum annunciat*. Ne tamen hic per ignem incederem cineri doloſo ſuppoſitum, ante omnia conſulendum mihi eſſe duxi, collegam meum Ampliſſimum et excellentiſſimum, IOHANNEM FRIDERICVM POLAC, Iurium et Mathematum Profeſſorem, in Viadriana noſtra celeberrimum, cuius candidum animum, raramque iſthoc aeuo amicitiam, permultorum annorum vſu, et cognitam et confirmatam, toties expertus ſum. Illi igitur, quod ſaepiſſime facere conſueui, cogitata haec mea cordate aperui, et ipſius ſuper ea re iudicium mihi expetii, quod et verbis ſequentibus conceptum, ad me perſcribere dedignatus non eſt. „De Statua Memnonis, ego, ſi quid coniectura aſſequor, ſic ſtatuo: Et primo quidem, Aegyptios, Gnomonis inſtar, ad determinanda ope vmbrae, „praecipua anni tempora, Solſtitiorum nempe ac Aequinoctiorum, eam „adhibuiſſe, facile crediderim. Non parum me in iſta id confirmat „ſententia, quod eandem ob cauſam, eruditis non immerito videantur „erectae eorum Pyramides, ad cardines Coeli exacte poſitae, quae inſuper omni poſteritati documento ſunt euidenti, quanta huius gentis „fuerit iam illo aeuo, quod ad primum merito referimus, ſcientiarum „ac artium peritia, dexteritas, et hinc nec interitura vnquam memoria. „Vrbs Thebae, apud quam collocata erat inſignis illa et memorabilis „Statua, cuius longitudinem cum ipſo Stylobata, illuſtris Anglus, Ri„chardus Pocockius, 63 pedum definit, ſecundum exactiſſimam De„ſcriptionem Regni Dauidici et Salomonaei, vna cum viciniis regionibus

Adſertur eadem de re ſententia doctiſſimi Mathematici.

* In *Pantheo*, Lib. V. cap. VII. §. 5.
Iablonski de Memnone. Q

„bus Syriae ac Aegypti, quam debemus inclyto illi etiam poſt funera „Mathematico, Iohanni Matthiae Haſio, latitudinem habet 25 Grad „30 Minut. quae latitudo exacte conuenit cum animaduerſionibus Pto„lemaei, qui in Geographia, longiſſimum diem Thebis, 13. horarum „et 40. minutorum ſpatio includit, cum Syenae paulo propius ad „ipſum Tropicum cancri vergentis, longiſſimus dies, horis 13, et 30 „Minutis abſoluatur. Vnde intelligimus, vtramque vrbem, intra quar„tum clima, vt loquuntur Geographi, fuiſſe ſitam. Hac nunc ſuppo„ſita latitudine Thebarum, vel Dioſpolis, facile inuenitur eius eleua„tio Aequatoris, nimirum 64. Grad. 30 Minut. adeoque altitudo Solis, „in ipſis Aequinoctiorum temporibus, quae tempore ſolſtitii Aeſtiui, „ad 88 gradus adſurgit, cum hyberni Solſtitii tempore, eadem 41 Gra„duum fit. Quibus datis Solis altitudinibus calculo Trigonometrico „facile inuenitur vmbra Statuae in ipſa meridie, tempore Solſtitii „aeſtiui, quae 2 pedum et 2 pollicum, tempore vero Solſtitii hyberni, „72 pedum, 4 pollic. et aequinoctiorum temporibus 30 pedum, vt „itaque ipſa haec vmbrae Statuae longitudo, et indicata modo menſu„ra, Thebaeos edocere potuerit, initia et media annorum, ad quae „quam maxime dirigebantur eorum curſus. Secundo, quod Statua „Memnonis, partim ad Auſtrum, partim ad Solis ortum faciem habu„erit conuerſam, facile me vt credam, inducit, Statuam hanc ſimul „effigiem fuiſſe ac Symbolum orientis ſeu noui anni: quippe quem „Aegyptii a tempore Solſtitii aeſtiui auſpicarentur. Cum enim in an„norum initiis, ad ortum heliacum Sothis, ſeu Sirii, vnice reſpicerent, „Sirius autem ipſo Solſtitii aeſtiui tempore, inter plagam Coeli meri„dionalem et Orientalem, cum ipſo Sole oriatur, ad haec reſpexiſſe „veroſimile eſt, ac veluti anni nouiter ſurgentis, annuntiaſſe auſpicia. „Vtrum vero Aegyptii cultu diuino eodem Memnonem hunc proſecuti „fuerint, quo a Romanis quondam affectum fuiſſe Ianum, nouimus, „haud audacter affirmauerim.„ Hucuſque vir doctiſſimus. Ea vero adeo ingenioſa bonaeque frugis plena mihi viſa ſunt, vt nihil inuenire aut excogitare queam, quod meliorem et opportunum magis opuſculo huic meo imponat

F I N E M.

XAVERII MATTHÆI

PER SATURAM

EXERCITATIONES.

σχεδιασματα



NEAPOLI MDCCLIX.

EX TYPOGRAPHIA SIMONIANA.

Vulgandi venia impetrata.



F. La Marra Sc:

NOMINI EXCELLENTISSIMO

LAZARI OPITII

NAVPACTENSIVM ARCHIEPISCOPI
EX PALLAVICINORVM PROSAPIA
ANTIQVISSIMA SVEVORVM ORIGINE
ET
DENORVM SAECVLORVM AEVITATE
PERPETVAQVE HEROVM SERIE
IN HISTORIAE FAMA VNIVERSIS
SVSPICIENDA
EX PRIMI ORDINIS IANVENSIBVS PATRICIIS
ET MVLTIPLICI ALIORVM TITVLORVM
AC VIRTVTVM LVCE CLARISSIMI

OB

OB MERITVM EIVS
FLORENTI ADHVC AETATE
APVD CAROLVM HISP. INFANTEM
NEAPOLITANORVM AC SICILIENSIVM REGEM
PRO TOTIVS ORBIS PONTIFICE ORATORIS
IN AVGENDO
APOSTOLICAE MAIESTATIS DECORE
ATQVE IN EXPEDIENDIS DIFFICILLIMIS
VTRIVSQVE POTESTATIS NEGOCIIS
DEXTERRIMI AC PROVIDENTISSIMI
EIDEM REGI DOMINO NOSTRO APPRIME CARI
MVNIFICENTIAE LARGITATE
MIRAQVE MORVM COMITATE
NIL MVNERIS SVI DIGNITATE POSTHABITA
APVD OMNES ORDINES COMMENDATISSIMI
BONARVM LITTERARVM
ET PRISCAE ERVDITIONIS
EXIMII CVLTORIS
QVAS REIPVBLICAE FRVCTVOSISSIMAS
COMPELLAT PRAEDICATQVE
PRINCIPIS INDVLGENTISSIMI
DEQVE SE BENEMERENTISSIMI
XAVERIVS MATTHAEI
BINAS HASCE IVVENILES EXERCITATIONES
COMPLVRES ALIAS POLLICITVS
PLENISSIMA ANIMI OBSERVANTIA
AC DEVOTISSIMVS

JACOBO MARTORELLIO

REGIO GRÆCARUM LITTERARUM PROFESSORI.

EA eſt quidem tuorum meritorum, beneficiorumque copia & amplitudo, quæ tam benigna manu in me quotidie confers, ut cum ea vel in partem menti VIR CLARISSIME, objiciuntur, ſtatim alieni æris magnitudine pæne obrutus, vix umquam me ſolvendo eſſe credam. Cum vero eo potiſſimum oculos conjicio, unde hæc quotidie in me proficiſcuntur, a te ſcilicet JACOBE doctiſſime (cui quidem in litteraria Repub. eruditi quando ullum invenient parem?) tunc ſane ne agere quidem, ne dicam referre, dignas tibi gratias poſſe umquam puto. Quid igitur nunc mihi in mentem venit, dum hoc tam parvo munere ad te accedere audeo? Nihil equidem, niſi ut ſi minus gratum poſſim, memorem certe aliqua ratione animum oſtenderem.

Non me latet quam levidenſi, craſſoque filo textum opus tibi audaculus ſiſtam: ſed hoc ætatis ab adoleſcente meliora exſpectare quis auſit? a me præſertim, qui cum exercitatione nihil, ingenio autem parum poſſem, ea tamen tractanda ſuſcepi, quæ ſum-

mos etiam viros aliquando torſerunt . Quorum quidem ad gloriam cum citius adſpirare contenderem, ſæpius cecidi, fateor, nunquam tamen indecore, ut audax ille apud Ovidium currus auriga paterni,

Quem ſi non tenuit, magnis tamen excidit auſis.

Sed te curis undique diſtentum longo hic ſermone morari piaculum eſt. Finem faciam, modo prius illud impetravero, ut cum hæc jam vulgata publicam famam experiri incipiant, me quoad ejus fieri poterit, tum ab invidorum calumniis defendas, tum ab iis, qui catoniano ſupercilio hæc omnino contemnunt, quæ tamen ſi noſtris ſpectentur ab annis, majora etiam, quam revera ſunt, videri debent, tum ab iis potiſſimum, quorum ſcripta, aut dicta in hac noſtra Exercitatione aliquando notamus. Novus in arenam nunc primum deſcendo: vereor non parum, ne qui a me laceſſiti fuerint, vel qui eorum partes nunc tuentur, ſi forte in me tyronem adhuc irruant, imbellis juvenis animum omnino deſpondeam. Quid igitur? faciam, quod Teucer ille Homericus olim, qui

Στη. . . . ὑπ᾽ Αιαντ‿ σακεϊ Τελαμωνιαδαο.

Ille quidem magnam tunc vim hominum audax ſuis ſagittis interemit: ſed poſtquam (Homeri verbis tecum, JACOBE, libenter utimur, quem omnium ὁμηρικωτατον eſſe ſcimus) poſtquam inquam

. . . . τιν᾽ οϊςευσας εν ὁμιλῳ
Βεβληκει· ὁ μεν αυθι πεσων απο θυμον ολεσσεν·
Αυταρ ὁ αυτις ιων, παϊς ὡς ὑπο μητερα δυσκεν,
Εις Αιανθ᾽, ὁδε μιν σακεϊ κρυπτασκε φαεινῳ.

Equidem ſi cum iis, quibus paria arma, & vires, fuerit decertandum,

Et nos tela, pater, ferrumque haud debile dextra
Spargimus, &c.

At

At ſi forte *κορυθαιολος* ſeſe Hector erumpat, vereor, ne mihi idem, quod Teucro, eveniat, quem ille ut irruentem licet *βαλεν λιθῳ οκριοεντι*, ſtatim Teucro *τοξον εκπεσε χειρος*. Verum ut illi ſuus Ajax non defuit, qui tunc temporis

Ουκ αμελησε κασιγνητοιο πεσοντος·
Αλλα θεων περιβη· και οἱ σακος αμφικαλυψε.

Sic etiam te (quæ tua benignitas eſt) numquam defuturum confido, quin mihi non opem modo quam citiſſime afferas, ſed & meas ita partes tuendas pro virili ſuſcipias, quaſi pro te, VIR CLARISSIME, pugnaturus.

. . . . *οφρα και* Εκτωρ
Εισεται, ει και σον δορυ μαινεται εν παλαμῃσιν.

EXERCITATIO PRIMA

De voce Tityrus.

I. B*Enedicti*, *&* *Carrucii opinio de* Tityri *etymo*.

II. *An* Tityrus ἀπο του τιειν τυρον. *Benedictus*, *&* *Carrucius confutantur*. Τυρος *ſemper prima producta. Homerus emendatur.* Butyrus *primis ſyllabis producitur: item* τυρω, *&* συντυρω. *Ariſtoph. illuſtratur.*

III. *De* Segetia. *Quid ſit*. *Carrucii error*. *Plinius explicatur.*

IV. *Unde* Tityrus. *An a* σισυρος. *Quid* σισυρος, σισυρα, σισυς, *&* σισυρνα. *Ariſtoph. Scholiaſtes emendatur*. *Kuſteri emendatio rejicitur*.

V. Tityrus *dicitur a* ששער. *Quid* שער. *Locus ex Geneſi emendatur: atque explicatur, item ex Levit. Paralipom. atque Iſaia: Vulgatæ*, *&* *Septuaginta verſiones rejiciuntur*. *Aquilæ verſio defenditur, Bocharti interpretatio confutatur.* שער *etiam* avis, *ut* Tityrus, *&* Satyrus. *Florus explicatur*. *Avis Satyria, aut Satyrus* corvus. *Siren quid in Iſaia. Bochartus confutatur*. *Vindicantur ſeptuaginta*. *Lycophron illuſtratur. De* hirco *Mendeſio*.

VI. *Quid revera ſit* Tityrus. *Theocr. Scholiaſtes illuſtratur. Voſſii*, *&* *Scaligeri emendatio rejicitur*. Tityri *iidem*, *qui Satyri*. *Tityrus* fiſtula. *An etiam* otioſus. *Theocriti Scholiaſtes emendatur*.

VII. Satyri, *&* Saturni *nomina peſſime a* סטר *deduci*. *Perizonii*, *Caſauboni*, *Voſſii*, *Heinſii etymon rejicitur*. *Martorellii etymon laudatur*. Latium, Camiſene, Satyrion *unde*. Saturi Tarenti *quid ſit apud Virgilium*. Satyria *palus an Tarento proxima*. Camiſes, *an idem*, *ac Saturnus*. *Reſiſtitur Mazochio*.

VIII. *Vetuſtum marmor in quo* Tityri, *illuſtratur*.

IX. *Docti viri interpretatio expenditur* *&* *confutatur. Sileni aſellus cur* turpis, *&* pandus. Simus, *&* pandus *idem eſſe oſtenditur*. *Quid* μειλιχα *apud Naxios*. *Quid* ficus *ad Bacchum*, *&* *ad* vitem. *Hipponax explicatur. Pherenici fabula de Oxilo*. *Pulcherrimum vas cum bacchantibus illuſtratur.* Silenobacchi *caput Neapoli repertum*.

X. *Columna in inſula Melo inventa, an* Sileno *dicata. Corſinii interpretatio de* εκφαντῳ *rejicitur. Ejus opinio de* Sileno *in Cajetano Cotylo confutatur. Anacreon illuſtratur* *Bacchi, Sileni*, *&* *Satyrorum cultum haud antiquum eſſe*. Sileni *ara ſine Baccho apud Eleos*. *De lege Satura*. *Reſiſtitur Mazochio*.

OMine accidit valde malo, ut cum meas haſce exercitationes certo quodam ordine diſpertiri vellem, ea mihi primum ſe ſe obtulerint, quæ

&

& viliora in ſpeciem, & ceteris humiliora eſſe videbantur. Quid enim exſpectari poterit in hac exercitatione, ubi *de voce Tityrus* agitur? Multos quidem offendet prima fronte hoc appoſitum lemma: ſed cum talem noſtri inſtituti ratio ordinem poſceret, vix alibi ea recte collocare licebat. Non me fallit optimum Lyricorum Pindarum in Olympiis principium quodcumque operis magnarum ædium limini jure comparaſſe; quod ideo potiſſimum ſeduli ornandum curant architecti, quod ut ex ungue leonem, ita ex illo totum ſæpe ædificium metiamur. Verum & Venuſini noſtri monita legimus, melius ſcilicet a vilioribus & humilioribus incipere, ut poſtea, ſi quid grandius afferas, ſaltem profeciſſe videaris, quam multa, & præclara minantem in operis progreſſu animum deſpondere. Quid plura? Tenuis quidem res, ſed non tenuis labor, ſi minus gloria, in hoc etiam fuit. Nolim hic diutius, quam decet immorari: ad propoſitum tandem veniamus.

I. Haud ita pridem ſcripſi ad Benedictum (ejus nomini parco), cum quo mihi omnia erant, niſi quod in humanarum litterarum ſtudiis ab eo valde diſſentiebam; etiam atque etiam rogans, ut me quam citiſſime certum faceret, verusne eſſet, qui de amici cujuſdam noſtri obitu incertus rumor circumferebatur. Benedictus tunc Romæ degens ſtatim quidem bene longa epiſtola, Latinoque (ut eſt hominis ingenium) conſcripta ſermone hunc in modum hac de re mihi reſpondit: *Quod ad Michaelem attinet, ſcito non illum quidem, ſed me ipſum ægre haberi, & lac quotidie Medicorum juſſu haurire coactum: ipſum vero meum eſſe Tityrum*. Hæc ille. Sed quinam intelligere hæc

poſ-

poſſem? Homini igitur reſcribo orans obteſtanſque, ne tantis tenebris ſuas epiſtolas involvat: Davum me, non Œdipum eſſe, ut hujuſmodi ænigmata ſolvam. Multum vero ille ſe miratum reſpondit, tam parum in Græcæ linguæ ſtudiis me verſatum eſſe, ut ne jocum quidem ex etymo petitum intelligerem. *Nam*, inquit, *ut optime eruditiſſimus Petrus Carrucius notat ad Eclogam I. Virgilii: Tityrus dicitur* ἀπὸ τοῦ τίειν τύρον· *ſervus enim paſtorum erat, & primitias preſſi lactis Segetiæ quotidie offerebat; cujus imagines in ipſo ſino ſæpe inſculptas habebant, ſæpe vero ante ſepti januam; quod igitur caſeum quotidie offerret, Tityrus dictus eſt. Hæc Carrucius. Ex quibus verbis jocum facile intelligere potes. Cum enim curam ille habeat lac quotidie mihi offerendi, merito a me Tityrus appellatus eſt*. Hucuſque ſemibarbarus noſter. Monet inde, ut toto pectore in hæc ſtudia tantum incumbam, licet alii parum illa curent. O lepidum capitulum! *Omnes cinœdos cenſes nunc, quia tu es?* Tu ne ergo nos μισελλήνους eſſe prædicas? *Tu*, inquit, *non Theologiæ, aut moralibus ſtudiis animum appellis: otiaris ergo, ſi ne his quidem ſtudeas*. Exclamare libet: Quam feſtiva, & pulchra concluſio! σοφως, μεγαλως, θειως. Sequitur Benedictus: *De obſcuritate mene incuſas, qui cum meis omnibus de claritate certavi* (ubinam? in campis Gurguſtidoniis?) *doctiſſimo viro Antonio N.N. Judice, atque omnes, quotquot erant cujuſque nationis, hic quidem ob ſtyli elegantiam ſuperavi & vici?* Quam bene huic potius, quam Pyrgopolinicæ Plautinus Artotrogus occentaret:

. . . . memini: centum in Cilicia,
Et quinquaginta centum in Sicilia,
Triginta Sardos, ſexaginta Macedones,

Sunt

Sunt homines, tu quos occidiſſes uno die,
Ni hebes machæra foret . . .

Claudit epiſtolam σκωπτικως. *Sed defraudate vos, & detrahite, quantum libet mihi, non curo.* Dicam cum Plauto in Aſinaria:

. . . . . . Maximas nugas agis
Nudo detrahere veſtimenta me jubes?
Defraudem te ego? ageſis tu ſine pennis vola.
Tene ego defraudem, quoi ipſi nihil eſt in manu?

Sed hæc ſatis, inquit, *finem faciam. Vale, meque ama:* Quidni? fixus eſt apud nos animus tuus clavo cupidinis. Plus tamen te quidem amaſſem, ſi prius nugis hiſce finem facere ſtatuiſſes.

Jam vero nihil ei de hac re amplius reſcribere cogitabam, poſtquam hominem penitus perſpexi: nunc autem cum plura hujus epiſtolæ exempla magno imperitorum plauſu circumferantur, meque quotidie homines mei amantiſſimi ad ſcribendum impellant, operæ quidem pretium me facturum eſſe duxi, ſi pro virili parte ſomnia hæc, & otioſorum commenta falſa omnino, & inepta eſſe oſtenderem. Et licet res ſatis per ſe ipſa loquatur, nec tanti ſit, ut ſeriam confutationem mereatur; tamen, ut me, ceteroſque ab infami illa nota liberem: *Nullum hic Græcarum litterarum, nullum penitioris eruditionis ſtudium vigere:* liceat vel omnes adhibere machinas, dummodo, & Benedicti, Carruciique ineptias omnes agnoſcant; & honorificentius de Neapolitanis ſcholis deinde loquantur.

II. *Tityri* igitur nomen Benedictus cum Carrucio ſuo (at quis novus hic Auctor? equidem numquam tale monſtrum audivi.) deducit απο τȣ τιειν τυρον, ab

offe-

offerendo caſeo. Hercules, tuam fidem! quod portentum audio? diſpeream, ſi quid inter τιειν, & θυειν intercedat, umquam animadvertit: nam quid aliud eſt τιειν τυρον, niſi *caſeum honorare*? alioquin απο τυ θυειν τυρον dicendum fuerat, & *Thytyrus* ſcribendum, non *Tityrus*. Jam vero quid eſt illud τυρον? *caſeum*, inquis: at o bone, *Tityrus* ſecundam ſyllabam longam haberet: quem enim præterit τυρος apud Græcos poetas ſemper prima producta uſurpari? Scio male feriatum aliquem grammaticorum contendere primam quoque corripi poſſe; ſed nullum veterum poetarum affertur exemplum. Quod enim ad Homeri verſum attinet Batrac. 301.

Ουδε τυρος νεοπηκτος απο γλυκεροιο γαλακτος·

jam diu monuerunt viri docti illud δε male inſertum eſſe, legendumque: ου τυρος, &c. vel certe (liceat aliquid conjectare)

Τυρος δ', ου νεοπηκτος απο, &c.

ut apud Theocritum Id. x.

Τυρος δ' ου λειπει μ' ουτ' εν θερει, ουτ' εν οπωρη,
Ου χειμωνος ακρω.

Quæ paucis ita expreſſit Virgilius Ecl. 2.

Lac mihi non æſtate novum, non frigore deſit.

Hinc fit, ut *butyrus* vox eodem e fonte manans prioribus in duabus ſyllabis ſemper producenda ſit: eſt enim Græce βουτυρος· nec Sidonius, Macer, aliique ejuſdem notæ imitandi videntur, qui non ſecundam modo ſyllabam, ſed & primam etiam, licet diphtongus ineſſet, nimis ſane licenter corripuerunt. Optime Cæſar Scaliger in Scazonticis ſuæ Atæ:

Qui lacte, caſeove, ſive butyro.

Sed et τυρω, & συντυρω eadem ratione primam quoque

producunt. Ariſtophanes Equit. v. 475.

Κρε. Και τα 'κ Βοιωτων ταυτα συντυρουμενα.

Αλα. Πως ουν ὁ τυρος εν Βοιωτοις ωνιος;

Ubi ridet Creon Alapantolæ ineptam locutionem, ideoque, cum ille verbo συντυρω, quod proprie eſt *coagulare*: pro *miſcere & conturbare* uſus ſit, ſtatim hic facetiſſime ſubdit: *Quanti venditur caſeus apud Bœotos?* Hoc tamen ſenſu non modo ſeptuaginta interpretes uſi ſunt, ut Balſamon adnotabat ad 18. Canon. Concil. Chalchedon. ſed & Demoſthenes τυρευειν κατασκευας dixit, quod jam ad Ariſtoph. loc. cit. magnus Caſaubonus animadverterat.

III. Pergit porro philologus noſter etymon clarius explicare: *Quia inquit primitias preſſi lactis* (vel incogitans poetatur) *Segetiæ offerebat, cujus imagines vel in ſepti janua, vel ipſo in ſino inſculptas habebant.* Hæc ille.

O ſanctas gentes, quibus hæc naſcuntur in ollis
Numina!

Sed quæſo quonam id auctore firmabis Benedicte? an Carrucio? Quiſnam Carrucius iſte? quis Carrucii ipſius firmabit auctoritatem? Quid *Segetia* ad caſeum, ſinum, ſeptum, cum hoc ruſticorum ſit numen, ut *Flora*, *Nodotus*, *Patalena*, *Volutina*, *Hoſtilina*, *Matura*, *Noduterenſis*, & ſexcenta id genus apud veteres, *qui ſingulis rebus propria diſpertiebant officia numinum*, ut bene Auguſtinus de Civ. Dei lib. 4. cap. 8. quem vide, & Arnobium lib. 4. ſi plura de his cognoſcere cupias. Veteres igitur illi agricolæ *Sata frumenta*, ut inquit idem S. Auguſtinus, *quamdiu ſub terra eſſent, præpoſitam voluerunt habere Deam Sejam: cum vero jam eſſent ſuper terram, & Segetem facerent,*

Deam

Deam Segetiam (legunt alii *Segeſtam*, quod idem ſonat) *frumentis vero collectis, atque conditis, ut tuto ſervarentur, Deam Tutilinam præpoſuerunt*. (quid ſit Dea *Fruti Seja*, de qua idem agit l.4. 21. dicemus in ſecunda exercitatione, ubi de *Venere Fruti*) Audi ſis & Plinium lib.18.cap.2. *Hos Deos tunc maxime noverant, Sejamque a ſerendo, Segetiam a ſegetibus appellabant, quarum ſimulacra videmus in circo*: (fortaſſe in mss. Carrucianis pro *circo* legebatur in *ſino*, vel in *ſepto*) *tertiam ex his nominare ſub tecto religio*; ideſt *Tutilinam* ex ſententia Cælii Rhodigini antiqu. lect.lib.27. cap. 29. cui favet Macrobius, qui Saturnal. 1. c.16. ait, apud veteres, qui *Sejam*, *Segetiam*, *Tutilinam* nominarent, ferias obſervaſſe. Quidam tamen Plinium *Fortunam calvam* intellexiſſe putant, ideſt *occaſionem*, quam *comoſa fronte*, calvam vero οπισθεν depingit nobis Poſidippus Antholog. lib. 4. & Phædrus lib. 4. Sed hiſce diſputationibus non eſt hic locus. Melius tamen certe Benedictus cum Carrucio ſuo Tutilinæ imaginem, quam Segetiæ *ſepti oſtio*, *ſinoque* adſignaſſet: nam & nomen ad omnia fere extendere licebat, quæ ſub Deorum eſſent patrocinio & tutela, & inde faciliori negotio ſui *Tuturi*, ſive *Tytiri* nomen, quam ἀπὸ τȢ τίειν τύρον deducere poterat.

IV. Verum, ut Benedicti ineptias miſſas faciamus, *Tityri* nomen a σισυρος deſcendere Dorica commutatione σ in τ plane certo habet Voſſius. Eſt vero σισυρος, *ovis*, ut quidam exponunt, ſive *capella*, unde σισυρα, *veſtis ex ovinis, ſive caprinis pellibus*. Utitur ſæpe hac voce Ariſtophanes, ut in Nubibus act. 1. 1. ver. 10.

Εν πεντε σισυραις εγκεκορδυλημενος·

ad quem locum hæc Joannes Tzetzes : διαφερει σισυς, σισυρνα, σισυρα· σισυς, παν ἀτελης, και ῥακωδης περιβλημα· σισυρνα, δερμα ατριχον πολλοις πασι, μαλλον και Μοναςαις φορουμενον, ὡς ιματιον· σισυρα δε, μαλλωτα επιβληματα ςρωμναις χρησιμευοντα· quæ ſic interpretor : *ſiſys*, *ſiſyrna*, *ſiſyra differunt inter ſe : ſiſys enim eſt pallium vile, & lacerum ; ſiſyrna, pellis, ſine pilis, quam multi, & potiſſimum Monachi, ut pallium geſtant ; ſiſyra vero villoſum panniculum, quo pro culcita utuntur.* Eadem fere habet ad Lycophronem v. 634. vetus grammaticus Eumæris apud Spanhemium in Nubes : Σισυρα, αιγειον ςεγαςρον τετριχομενον· *ſiſyra, tegumentum ex caprinis pilis*. Ariſtophanis ſcholiaſtes ad eumdem locum: Σισυραι, ςερεα περιβλεματα παχεα ταις καλουμεναις εμφερη συραις· εςι και φαυλα, και μικρα περιβληματα· *ſiſyræ, ſolidæ, & craſſæ lacernæ iis ſimiles, quas ſyras appellant: eſt autem ſyra parva, & vilis lacerna.*

Sed videamus quæſo, quid idem afferat in Ranas verſ. 1507. Σισυρα, χιτων δερματινος· Βορεᾳ και λεγουσιν, Ηλιωτε τοιαυτην εριν γινεσθαι, οποτερος ανδρος αγροικου οδειπορουντος την σισυραν εκδυσῃ, ὁ και νους, μητε χρηςος, μητε φαυλος, η σκληρος πολιτης συμφερει· προς και την διαφοραν· εν πασι και σισυρα· εκ τριτου το αυτο, πλην οτι ἡ μεν σισυρα δοκει βαπτη ειναι εκ δερματων αιγειων ἡ και χλαινα, απο εριων. Locus omnium corruptiſſimus, cui quidem,

Afferat ipſe licet ſacras Epidaurius herbas,

medicas adhibere manus ægre poſſit. Reddam primum latine, ut græca ſunt ad verbum: *Siſyra tunica pellicea: dicitur inter Boream, & Solem hujuſmodi contentionem ortam eſſe, uter viri agreſtis iter facientis tunicam exueret. Animus autem non humanus, non ſimplex,*

nec

aut turbulentus civis utilis eſt. Quod ad differentiam attinet: in aliquibus ſiſyra, ſiſyrna: ex tertio idem, præterquam quod ſiſyra videtur eſſe veſtis ex caprinis pellibus, chlæna autem ex lana. Omnia mutila, mendoſa, & inconcinna. Primo *ſiſyra* quid ſit interpretatur; quid autem hic fabula Boreæ, & Solis? poſtea cur ad mores civium tranſit? redit iterum ad *ſiſyram*; ſed quid monſtri illud eſt *εκ τριτȣ το αυτο, ex tertio idem?* addit, quod omnes ſuperat ineptias: *ſiſyra, & ſiſyrna hoc differunt, quod ſiſyra eſt veſtis ex caprinis pilis, chlæna autem ex lana.* Quid hic *chlæna? ſiſyrnam* potius dicere debuerat. Quæ cum ita ſint, quis mecum doctiſſimis Ariſtophanis interpretibus, & potiſſimum *τῷ πανυ* Spanhemio non indignetur, qui cum multa in hunc locum erudite afferat, Scholiaſtæ tamen verba ne tangit quidem, præſertim cum ipſe præ ceteris hæc veterum criticorum ſcholia quamplurimi faciat?

Ludolphus Kuſterus in ſuis in Ranas adnotationibus ingenue hunc locum ſe nec intelligere fatetur, & ab ullo aliquo explicari poſſe deſperat. Sed cum ultima Scholiaſtæ verba reſtituere conatus ſit, operæ pretium fuerit, quæ ibi vir doctus adnotabat, apponere. *Eſt locus*, inquit, *corruptus, & proculdubio mutilus, cujus ſenſum (ſi in re tam obſcura divinare licet) hunc eſſe puto: χλαιναν, & σισυραν in uno tertio convenire (ſic enim interpretor illud εκ τριτȣ το αυτο) at differre ea ratione, quod ſiſyra ſit veſtis ex caprinis pellibus, chlæna autem ex lana. Sic enim ſcripſerat Scholiaſtes: οτι χλαινα, και σισυρα (εκ τισι και σισυρνα γραφεται) εκ τριτȣ το αυτο· πλην διαφερει, ὁτι ἡ μεν σισυρα δοκει βαπτη ειναι εκ δερματων αιγειων, ἡ δε Χλαινα, απο εριων· ideſt: chlæna, & ſiſyra (ſcribitur a quibuſdam etiam ſiſyrna)*

con-

conveniunt quidem in uno tertio, ſed differunt, quod ſiſyra ſit veſtis ex caprinis pellibus, chlæna autem ex lana. Inutilis ſane docti viri labor, & conatus. Primum quidem multa in tribus hiſce verſiculis audacter addit, multa trajicit, quibus, & nihil conſequitur, & ſuperiora magis confundit, quæ non minus obſcura ſunt, quam ultima hæc verba; tum quid illa, *conveniunt in uno tertio?* etiamne ſcholaſticæ ineptiæ in Scholiaſte? Sed quam ridicule demum *chlænam* repoſuit, & *ſiſyrnam* parentheſi incluſit, quaſi de *chlæna*, & *ſiſyra* interpres loqueretur, cum ibi apertiſſime diſcrimen afferat inter *ſiſyram*, & *ſiſyrnam*, non inter *ſiſyram*, & *chlænam*, quod nihil ad rem; neque enim *chlæna*, & *ſiſyra* conveniunt inter ſe, cum illa ut ita dicam, genus ſit, hæc autem ſpecies: *chlæna* eſt *quævis penula*, *ſiſyra* autem ex *pellibus caprinis;* imo *chlænam*, & *lænam* haud ſcio an apud veteres auctores pro vili & ruſtica veſte tam facile invenies, cum ſemper regibus tribuant & ſacerdotibus, niſi forte *vilem chlænam* καταφρονητικως dicant. Ideo cum *chlæna*, & *ſiſyra* adeo inter ſe differant, imo contraria ſint, ut illa inter nobiles, hæc inter viles veſtes numeretur, Ariſtophanes loc. cit. de Repub. loquens cecinit:

Ἡ μητε χλαινα, μητε σισυρα ξυμφερει.

Cui neque læna, neque ſiſyra congruit:

ubi palam eſt Comicum de rebus inter ſe plane contrariis loqui.

Sed videamus, an nos etiam pro virili ſcholiaſten in partem adjuvare poſſimus. Lege igitur ſic vel meo periculo: προς δε την διαφορην εν τισι· σισυρα και σισυρνα εκ τειχων τα αυτα, πλην ὁτι ἡ μεν δοκει βαπτη ειναι εκ δερματων αιγειων, ἡ δε, χλαινα απο οἰων· Ita obſcuriſſimum

ſimum locum leviſſima duarum litterarum mutatione ſic facile explicabis: *Quod ad differentiam apud aliquos attinet : ſiſyra quidem , & ſiſyrna idem ſunt, atque utraque ex pilis , niſi quod illa videtur eſſe læna ex caprinis pellibus, hæc autem ex ovinis .* Hoc etiam ejuſdem Scholiaſtæ auctoritate firmabo in Aves verſ. 122. ubi de *ſiſyra*, *ſiſy*, *atque ſiſyrna* hæc habet : διαφερουσι σισυρνα , και σισυρα, και σισυς· σισυρα μεν εστι, εξ αιγειων δερματων τριχας εχον σκεπαστρον· την δε σισυρναν ὁι κατα Λιβυην λεγουσι το εκ των κωδιων ῥαπτομενον αμπεχονιον· σισυς δ' εστι παχυ ιματιον, ευτελης, μικρον, επιτηδειον ει εν απτεσθαι, οιον εξωμιδιον· Ερατοσθενης δη φησι, ὁτι καθαπερ το δενδρον τουτο, και ανδραχνον; και ανδραχνην καλουμεν· ὁυτως ῳοντο σισυραν και σισυν επι του αυτου μετεχαισθαι, και τριτην προσλαμβανουσι σισυρναν οἱ κατα Λιβυην το εκ των κωδιων το αμπεχονιον καλουμενον. *Inter ſiſyram, ſiſyrnam, & ſiſym hoc diſcrimen intercedit: Siſyra quidem eſt ex caprinis pellibus piloſum tegumentum: Siſyrnam vero, qui Libyam incolunt, appellant pænulam ex ovinis pellibus conſutam : Siſys autem eſt craſſum palliolum parvum , & vile, extenſum tamen, ut aptari poſſit, ut humerale. Scribit Eratoſthenes, quod ſicut eamdem plantam andrachnum , & andrachnam appellamus , ſic etiam ſiſyram , & ſiſym eadem ſignificatione uſurpari putant; tertiam vero ſiſyrnam Libyci accipiunt palliolum ex ovinis pellibus.* Hæc ille: quæ quidem conjecturæ noſtræ quam maxime favent.

Sed quæſo quid illa μητε χρηστος , μετε φαυλος &c. hic, ubi de *ſiſyra* agitur, & *ſiſyrna?* Trajectio eſt verborum in omnibus quidem veterum libris frequens, in ſcholiis frequentiſſima: neque enim illuc , ſed ad ſuperiores Comici verſus pertinent interpretis verba .

Ap-

Apponam, & Ariſtophanis locum, & integras adnotationes, prout emendare nobis, & diſponere viſum eſt. Diutius, quam par eſt, hic immorari nonnullis fortaſſe videmur; ſed obſcuriſſimus critici locus, & corruptiſſimus paucioribus explicari non poteſt. Quid verbis opus eſt? Libet in levi negotio experiri, *quid valeant humeri, quid ferre recuſent*, ut ſi forte in graviores auctores incidamus, ſtatim prænoſcere poſſimus, an *noſtris qui ſcribimus apta viribus* materia cenſenda ſit; præſertim cum nonnulli, & quidem vindice digni ex ſacris litteris nodi ſeſe jam offerant: quos quidem illotis manibus attrectare non licet. Sed jam verborum ſatis: prodeant tandem in ſcænam optimi hiſtriones.

Διονυσιος, και Αισχυλος.

Διο. Τι δαι λεγεις συ; Αι. Την πολιν νυν μοι φρασον
Πρωτον τισι χρηται· ποτερα τοις χρηστοις; (1) Διο. Ποθεν
Μισει κακιστα. Αι. Τοις πονηροις δ' ηδεται;
Διο. Ου δητ' εκεινας γ' αλλα χρηται προς βιαν·
Αι. Πως ουν τις αν σωσειε τοιαυτην πολιν,
Η μητε χλαινα, μητε σισυρα ξυμφερει; (2)

(1) Ο' και νους μητ' αχρηστος, μητε φαυλος, η οχληρος πολιτη συμφερει.

(2) Σισυρα και σισυρνα χλαιναις ειδος ευτελης, οιον εξωμις, η τι τοιουτον· και αλλαχου,

Χειμωνος οντος τρεις σισυρας οφειλετο.

τινες και ιματιον τραχυ, και παχυ, περιβολαιον αγροικικον, δουλικον, παλαιον· η χιτων δερματινος· Βορεη, και λεγουσιν Η'λιωτε τοιαυτην εριν γινεσθαι, ὁποτερος ανδρος αγροικου ὁδοιπορουντος την σισυραν εκδυση. προς και την διαφορην εν τισι· σισυρα, και σισυρνα εκ τριχων τα αυτα, πλην ὁτι ἡ μεν δοκει βαπτη ειναι εκ δερματων αιγειων, ἡ δε, χλαινα απο οἰων.

Quæ quidem eo ordine diſpoſita, atque emendata ita facile Latine reddi poterunt.

Bac. *Quid autem tu dicis?* Æſch. *Primum hoc mihi ediſſere,*
Quibus utitur reſpublica viris? num bonis? (1) Bac. *Unde?*
Peſſime odit: Æſch. *Malis igitur gaudet?*
Bac. *Minime, ſed illis ad vim faciendam utitur.*
Æſch. *Quinam igitur quiſpiam ſervet talem urbem,*
Cui nec chlæna, nec ſiſyra (2) *recte congruit?*

(1) *Civem enim nec inhumanus, nec vilis, nec turbulentus animus decet.*

(2) *Siſyra, & ſiſyrna chlænæ ſpecies vilis, ut humerale, aut ſimplex, aut aliquid hujuſmodi. Idem alibi:*
Hyeme exiſtente tres ſiſyras debet.
Nonnullis eſt ruſticum, craſſum, agreſte, vetuſtum, & longum palliolum, vel tunica pellicea, ut in illo: Dicitur inter Boream, & Solem hujuſmodi contentionem ortam eſſe, uter ruſticum hominem iter facientem ſiſyra exueret. Quod ad differentiam attinet apud aliquos: ſiſyra quidem, & ſiſyrna idem eſt, atque utraque ex pilis, niſi quod illa videtur potius eſſe læna ex caprinis pellibus, hæc autem ex ovinis.

Pro μητε χρηςος repoſuimus μητ᾽ αχρηςος, & πολιτῃ pro πολιτης, alioquin nulla in his verbis ſententia eſſet: cetera, quæ hic etiam emendavimus, quiſque per ſe ipſe facile videre poteſt.

V. Nunc autem, ut illuc, unde divertimus, tandem redeamus, *Tityri* nomen licet a σισυρος deſcendere in ſpeciem videatur, tamen cum *Tityri* iidem, qui *Satyri* habiti fuerint, ut infra luculenter oſtendam, certe Deorum hujuſmodi nomina ex Hebraicis fontibus originem ducere veroſimilius eſt. Quod ſi a σισυρος eſt τιτυρος, quærendum certe, unde ipſum

σιτυρ☉. Quidni igitur a שׂשׂר, ut idem ſit *Tityrus*, ac *qui piloſus?* ita Geneſ. 27. 11. Jacob ad Rebeccam: *Noſti*, *quod Eſau frater meus ſit* איש שער *homo piloſus*, *& ego* חלק *glaber*, ideſt *ſine pilis*. Vulgata habet, *& ego lenis*, quod quidem ad rem nihil facere videtur. Scripſit fortaſſe interpres, *& ego levis*, ideſt *ſine pilis*, *glaber* ut apud Tibullum l. 1. El. 8. *ora levia pueri*: & apud Horatium lib. 2. od. 11. *levis juventas*: ideſt puer, & juventas *imberbis*; quemadmodum apud Græcos etiam λεῖος. boni amanuenſes pro *levis* repoſuerunt *lenis*, partim inſcitia, qua nimium id genus hominum laborant, partim eorum ſententia ducti, qui lenis retinent, & neſcio quas allegotias nobis obtrudunt, quæ hic certe locum habere non poſſunt, cum pro ut ſenſus litteralis fert, omnino intelligi debeat, *Frater piloſus*, *ego ſine pilis*: Quærendum igitur an ipſum *lenis*, quod in omnibus vulgatæ editionibus mordicus retentum eſt, hanc ſignificantiam aliqua ratione habere poſſit. Doctiſſimus Facciolatus vocem *lenis* explicat *id quod tactu nullam aſperitatem habet*: ſi fides tanto viro habenda eſt, jam nihil quærendum de vulgata interpretatione cum *lenis* idem ſit ac *levis*, nec noſtra emendatione opus erit. Sed vereor, ut aliqua auctoritate ſuam ſententiam tueri poſſit: quod enim ad verba Ciceronis, quæ affert 2. de Fin. *ſenſus judicat dulce*, *amarum*, *lene*, *aſperum &c.* ut omittam non deeſſe, qui *leve* illuc ſupponant, certe ipſum *lene*, *& aſperum* interpretari etiam poſſumus quemadmodum apud Celſum l. 2. c. 22. *lenes cibi*; & apud Terentium Heauton. 3. 1. 50. *Aſperum*, *pater*, *hoc vinum eſt*, *da aliud lenius*. Ut igitur illud *lenis*, quod nunc habemus in vulgata non temere auſim adprobare, ſic contra nec veterem interpretem arguere, cum pro certo ferme habeam *levem* ſcripſiſſe non *lenem*.

Sed

Sed age locum ex Levitico c. 17. v. 7. aliquanto diligentius, atque accuratius expendamus : ולא יזבחו עוד את זבחיהם לשעירים אשר הם זנים אחריהם : quæ ſic vertit vulgatæ interpres : *Et nequaquam ultra immolabunt hoſtias ſuas dæmonibus , cum quibus fornicati ſunt*. Nimis laxe שער *dæmon* redditur hoc loco, cum vox illa peculiare aliquid denotet : & tamen etiam ſeptuaginta habent *τοις ματαιοις vanis* : *ȣ θυȣσιν ετι τας θυσιας αυτων τοις ματαιοις* · *vani* , & *vanitas* in ſacris litteris pro *idolis*, & *idololatria* ſæpiſſime uſurpantur ; ita ut hujuſmodi interpretatio eodem recidat : paraphraſtæ etiam Chaldæus , Syrus , Arabs , Samaritanus omnes *dæmonibus* habent, ut vulgata. Longe melius Aquila, qui *το* שעירים, *τοις τειχδτι* interpretatus eſt, ideſt *piloſis* : quemadmodum vox illa redditur etiam in vulgata cap. 13. Iſaiæ v. 21. *Habitabunt ibi ſtruthiones*, *& piloſi ſaltabunt ibi*. Et cap. 34. v. 14. *Piloſus clamabit alter ad alterum* . Doctiſſimi quique ſacrarum litterarum interpretes, tum in Levitico, tum etiam in Iſaia שעירים, *Satyros* preſſius exponunt. Bochartus , qui in ſuo hierozoico *fabuloſa* omnia *animalia* e ſacris libris eliminare conatur, non *Satyros* , ſed *dæmones birciformes* intelligit , multaque tum ex Rabbinis , tum ex aliis Scriptoribus (etiam ex Apollonii vita) in medium affert , quibus dæmones ſæpe ſub *hirci* forma hominibus apparere evincat. Doctiſſimum & ſapientiſſimum virum dum *fabuloſa animalia* e ſacris litteris ejicit, aniles interim fabellas inducere ſane indignor : qui quidem & illud animadvertere debuit *Satyros* neminem ita ſtricte hoc loco interpretari , ut animalia intelligat : ſed per *Satyros* idem alios ſenſiſſe , ac ipſum per ſuos illos *dæmones*

hirciformes. Sed nolo in aliorum ſententiis recenſendis, aut confutandis tempus terere; vix enim credi poteſt, quot ineptias hic effutiverint interpretes. Ego ab aliorum opinionibus longius recedere cogor, nec τo שער in Levitico idem eſſe puto, ac in allatis Iſaiæ locis.

Optimus Rabbinorum Aben Ezra vocem שער non ſolum *hircum*, ſed etiam *genus quoddam avis horrendæ* denotare affirmat: id cur omnes rejecerint interpretes, & viri docti, cauſſam quidem nondum reperi, præſertim cum non levi argumento fulciri poſſe videatur: ſiquidem apud Heſychium legimus τιτυρον (quod & idem eſt, & manifeſte a שער) avis etiam quoddam genus appellari: imo, & *Satyrum* (quod & idem ac τιτυρος, & eodem ex fonte) *avem* fuiſſe teſtatur Florus l. 1. c.13. *Iterum in Pomtino agro cum in ſimili pugna M. Valerius inſidente galeæ Satyria alite adjutus retulit ſpolia, dictuſque eſt ipſe Corvinus*, ubi corvum intelligere videtur: ita legitur in Pontani editione: ceteræ omnes pro *ſatyria* poſuerunt *ſacra*, quod ita late receptum, ut doctiſſimi Flori interpretes ne lectorem quidem moneant veteris lectionis: Grævius ſolus mss. libros omnes non *ſacra*, ſed *ſatyria* diſerte habere teſtatur, qui tamen, ut ceteri, quid ſibi hoc velit verbum, minime intellexit. Interim quam bene apud Iſaiam conveniat hæc τȣ שער interpretatio, ut ſit *avis horrendæ genus*, judicent doctiores ex integro Prophetæ loco, quem apponam: *Non habitabitur* (Babylon) *uſque in finem, & non fundabitur uſque ad generationem & generationem: nec ponet ibi tentoria Arabs, nec paſtores requieſcent ibi: ſed requieſcent ibi beſtiæ, & replebuntur domus*

mus eorum draconibus , *& habitabunt ibi ſtruthiones*, *& piloſi ſaltabunt ibi* (redde, *& horrendæ aves;* quid enim hic *dæmones?*) *& reſpondebunt ibi ululæ in ædibus ejus* , *& Sirenes in delubris voluptatis* . Similis locus ejuſdem ſacri Vatis c. 34. 14. *Piloſus clamabit alter ad alterum* , ubi etiam id genus *aves* intelligendæ ſunt, præſertim ob ea, quæ proxime præcedunt: *Et poſſidebunt illam onocratulus* , *& ericius* : *ibis* , *& corvus habitabunt in ea*.

Bochartus, ſacri Critici , atque omnes, qui μεταφορικως שעיר, *dæmon* dici putant, fruſtra ſunt. Iſaias non ſolum ſub hirci, ſed & ſtruthionis , & draconis nomine hic dæmones intelligit αλληγορικως · quomodo igitur verti poteſt, *habitabunt ibi ſtruthiones* , *& piloſi, ſeu dæmones ſaltabunt ibi* , quaſi ſtruthiones, & dracones non ſint dæmones ? balbutiret , ſi ita eſſet, ſummus Vates; nec ipſa ſibi conſtaret αλληγορια, dum primum συμβολικως, mox aperte dæmones memoret eadem in περιοδῳ· quod non vidiſſe tot ſummos viros unuſquiſque mirabitur . Ceterum nonne το שעיר commode *hircus* verti poterit in allatis locis ? certe minus inepta hujuſmodi μεταφρασις, ſed quæ tamen non admodum mihi ſatisfaciat . Babylonem *draconum* , *ſtruthionum*, atque aliarum ferarum domicilium fore præcinit Propheta ; his autem cur addit *hircum* animal certe minime ferum? quidquid ſub *hirco* intelligat , ſane hic inepta eſt αλληγορια, dum litteralis ſenſus ſibi non conſtat. Quid enim ? an hoc illorum locorum devaſtationem indicat, quod ibi habitent *hirci?* deſerti ſcilicet agri, & deſolati, ubi *ſtruthiones* , & *dracones* ponant domicilia, ſed ubi greges *caprarum* paſcuntur, atque *hircorum*, & fertiles, & culti fuerint ne-

ceſſe

ceſſe eſt. Quod ſi acutius Prophetæ verba inſpiciamus, aliud etiam ſtatim hic deprehendemus, quod teretes aures non parum offendet: *Non habitabitur*, inquit, *uſque in finem, nec ponet ibi tentoria Arabs, nec paſtores requieſcent ibi*: ſi paſtores ibi non requieſcent, quid ibi *hircorum* greges? apage, apage igitur hujuſmodi interpretationes, & το שער in utroque Prophetæ loco *corvum*, *noctuam*, *bubonem*, aut aliam id genus *avem horrendam*, *malique ominis* (neque enim, quæ proprie avis fuerit, tam facile decerni poterit) aptiſſime interpretare.

De ceteris porro animalibus, quæ in citatis locis enumerat Iſaias, operæ pretium eſt adire præ ceteris Bocharti Hierozoica p. 1. l. 2. pag. *690*. & p. 2. *de fabuloſis animalibus*: ubi tamen immerito invehitur in ſeptuaginta ſenes, & vulgatum interpretem, quod το בנית יענה, *Sirenes* reddiderunt in adducto loco Iſaiæ: neque enim poetarum *Sirenes*, nec monſtra illa alata draconibus ſimilia, quæ appoſuit D. Hieronymus, aliique poſt eum, hoc loco intelligendæ ſunt; ſed *veſparum* genus quoddam, ſeu *crabronum*, ut luculenter ex Ariſtotele oſtendit ſeptuaginta interpretum acerrimus vindex Iſaacus Voſſius de *Oraculis Sibyllinis* c. 13. p. 262. Noſtri interpretes, qui id etiam ad allegorias, tamquam ad ſacram anchoram, referunt, mirum in modum torquent ſe, ut *litteralem ſenſum* explicare poſſint: quid enim inter draconum, ſtruthionum, ulularum ſibilum, & clangorem dulciſſimus *Sirenum* cantus? Omnino veſpas illas intelligit Iſaias: *Sævum enim & infeſtum eſſe hoc animal, utpote quod ipſas quoque animas in vulnere ponat, notum eſt omnibus*, ut inquit idem Voſſius; qui etiam ex Euſtathio ad Odys. 21. probat Sirenas iſtas αμυδρον τι κλαυθμυριζειν, *lugubre aliquid gemere*

mere. Addo etiam ego Plinii auctoritatem. qui l. 11. c. 16. *Cetera apum turba*, inquit, *cum formam capere cœpit*, *nymphæ vocantur*, *ut fuci*, *ſirenes*, *aut cephenes*. Hinc lux etiam tenebroſiſſimo poetarum, qui in fine tragædiæ ſuæ hæc habet de Caſſandra:

> Εβαινεν ειρκτης εντος, εν δε καρδιᾳ
> Σειρηνος εστεναζε λοισθιον μελος.

Hic certe de lugubri cantu horum animalium loquitur poeta; nam alioquin quid ad Caſſandram flentem, atque imo corde ſuſpiria trahentem Sirenum dulcis, & lætus cantus? quid contra ad Sirenas lacrymæ, & ſuſpiria? bonus Scholiaſtes aptiſſime admonet, εστι και ζωυφιον μικρον ὁμοιον μελισσῃ λεγομενον Σειρην, *eſt animalculum parvum api ſimile*, *quod Siren appellatur*: quibus verbis non obſcure innuit ita etiam Lycophronis verba intelligenda. Hæc non viderunt docti Lycophronis interpretes, qui nimium quidem, quam decet, contemnunt veterum ſcholia, quorum tamen ipſi præſidio deſtituti in tantis tenebris ſæpiſſime offendunt. Sirenes igitur retine in Iſaia, ut bene Vulgata, & Septuaginta tranſtulerunt; & veſpas ibi, ſeu crabrones intellige, ut Voſſius apertiſſime interpretatus eſt. Sic facile verborum ſenſus, & commode percipi poterit: *Habitabunt dracones*, *ubi olim greges*, *&* *armenta*, *clangent bubones*, *&* *bombilabunt veſpæ*, *ubi delubra erant voluptatis*.

Sed hæc pro Iſaia ſatis: ad Leviticum gradum faciamus. *Et nequaquam ultra immolabunt hoſtias ſuas dæmonibus*, *cum quibus fornicati ſunt*. De τῳ שעירים quod interpretes omnes præter Aquilam *dæmones* reddidere, jam monui verſionem iſtam, ut laxam nimis, & importunam omnino rejiciendam: importunam inquam,

quam, nam licet in hoc Levitici loco æquo eam animo toleremus, quinam ferri poterit Paralipomenων cap. XI. v. 15. ubi de Jeroboamo: *Conſtituit Sacerdotes dæmoniorum, vitulorumque, quos fecerat*: ridiculam plane ταυτολογιαν: quid enim? *vituli*, quos fecerat, *dæmones*, & *idola* non erant? Hebræus hic etiam habet שעירים: verte igitur *hircos*, non *dæmonia*: *Conſtituit Sacerdotes hircorum, vitulorumque, quos fecerat*: doctiſſimus Bochartus in his locis rurſus ſuos *hirciformes dæmones* obtrudit, & ſub nomine *hircorum dæmones* intelligit, qui ſæpe ſub *hirci* forma videndos ſe præbent: ſed & ſub *vitulorum* nomine *dæmones* intelligendi ſunt: an ideo igitur vertendum erit: *Conſtituit Sacerdotes dæmoniorum, & dæmoniorum?* riſum teneatis amici? Sed nec eorum opinioni aſſentior, qui *Satyros* interpretantur, licet hæc ſententia nobis quam maxime faveat: *Satyrorum* cultus, haud ita antiquus cenſendus eſt, ut vulgus putat: cum nec Homerus unquam, nec Heſiodus *Satyrorum* faciant mentionem, ut infra pluribus oſtendam: *Satyri*, & *Tityri* nomen a שער originem ducere, eorumque cultus ab Ægyptiis manaſſe nullus dubito: ſed *Satyros* tamen Ægyptus nunquam novit: *hircos* enim ſimpliciter coluit, ut *canes*, *feles*, *mures*, *cercopithecos*, & quid non? Græci inde poſteriores, quæ de *hircis* illi ſimpliciter, ſuis ipſi *Satyris* adoptarunt, quos ideo etiam *capripedes*, *hircinaque* forma nobis exhibent poetæ, & ſtatuarii. Redde igitur, vel meo periculo ubique *hircos*, & verba illa in Levitico, *cum quibus fornicati ſunt*, vel ut Hebræus habet, *quia ipſi fornicantur poſt eos*, non de *idololatria*, ut τo *fornicare* aliquando in ſacris litteris, ſed proprie de monſtroſa *hircorum*; mulierumque libidine intellige.

Æli-

Ælianus hiſtor.animal. c.7. l.19. Ακολαςαδε κυνοκεφαλοιτε, και τραγοι· ειπερ αρα ὁμιλειν γυναιξι φασιν αυτυς, ϰ εοικεν αυτο θαυμαζειν ὁ Πινδαρος. Quæ ſic interpretare: *Libidinoſa præ ceteris animalia ſunt cynocephali, & hirci: ſiquidem vel cum mulieribus eos miſceri ajunt, quod Pindarus etiam videtur admirari.* Pindari locus, cujus meminit & Ariſtides Orat. Ægypt. t. 3. p. 535. hodie non exſtat: ejus verba tamen habemus apud Strabonem l. 17 c.802. Μενδης, ὁπυ τον Πανα τιμωσι, και των ζωων τραγον, ὡς και Πινδαρος φησιν οἱ τραγοι ενθαυτα γυναιξι μιγνυνται·

Μενδητα παρα κρημνον θαλάσσης εσχατον
Νειλυ κερας, αιγιβατοι ὁθι τραγοι γυναιξι μισγονται.

Mendes, ubi Pan colitur, & præ ceteris animalibus hircus, ubi etiam, ut Pindarus ait, cum mulieribus hirci coeunt:

Mendetis ad vicina mari præcipitia, & extremum
Nili oſtium, ubi caprarum mariti hirci cum mulieribus miſcentur.

Aliter in aliis Strabonis editionibus diſponuntur Lyrici verſus: ſed cum poetæ ode non exſtet, vix divinari poteſt, quodnam ad carminum genus referendi ſint.

Cum autem monſtroſa hæc portenta libidinis, hircorumque ſacra in oppido Mendeſio potiſſimum celebrarentur, hinc ipſum oppidi nomen ab *hircis* facile deduci poterit, ſiquidem Herodotus l. 2. c. 46. hircum *Mendes* nuncupari affirmat ab Ægyptiis: καλεεται ὁ τε τραγος, και ὁ Παν Αιγυπτιςι Μενδης· (rideas quæſo grammaticos noſtros, qui μενδης, inquiunt, *hircus* appellatur, quaſi μενδηΐος, quia μενει δηΐυς.) Mendes autem quod & oppidum eſt, & unum ex Ni-

li oſtiis proximum *Tanitico* oſtio fuiſſe & Plinius, & Geographi omnes diſerte teſtantur. Notiſſimum autem in *Tanitico* agro diu, multumque fuiſſe Iſraelitas, ut non immerito in urbe *Tani* Pharaonis ſedem collocent eruditi, cum omnia Moſis prodigia ibi accidiſſe narrent ſacræ litteræ, & potiſſimum pſalmus 37. *Coram patribus eorum fecit mirabilia in terra Ægypti in campo Taneos: interrupit mare, & eduxit eos, &c.* Non mirum igitur, ſi etiam Iſraelitæ *hircos* aliquando coluerint, cum & *vitulorum* cultum, & alias Ægyptianorum ridiculas ſuperſtitiones ex crebra & aſſidua cum ipſis conſuetudine libentiſſime amplecterentur. Atque horum quidem ſatis: vix me continere potui, quin de τῳ שׂעיר, ſive *hirco emiſſario Azazelis* aliquid adjicerem: ſed cum locus, & res, in qua verſamur id minus quidem patiatur, Bocarthum loc. citat. & Spencerum te adire velim, qui l. 3. de *Ritibus Hebræorum*, & fuſe, & accurate de illo differit, licet meam ſitim neuter adhuc reſtinguere potuerit.

VI. Nunc autem ut ad *Tityrum*, unde divertimus, tandem redeamus; vel ut noſtri etymi veritas luculentius appareat, varias hujus vocis ſignificationes fuſius, & diligentius perſequi neceſſum eſt. Operæ igitur pretium fuerit pauliſper animum intendere ad ea, quæ criticorum princeps in Varronem de re ruſtica lib. 3.125. commentatur. *Erat*, inquit, *etiam ſiſyra ovis major: vetus gloſſarium: ſiſyra* μειζον προβατον ενιαυτου · *quam vocem puto fluxiſſe e Græcia:* σισυρος *enim* προβατον. *Quare ut Tarentini, quos Romani ſecuti ſunt, pro* συ, τυ *dicebant, ſic pro* σισυρος, τιτυρος, *ut* πεσυρες πετορες, *unde petoritum, genus carri quatuor habens rotas, nam petores, quatuor. Quare eruditiſſimus interpres Virgilii Ser-*

vius,

vius, cujus commentariorum tantum hodie cadaver habemus, monachorum barbarie, ac ſpurcitie contaminatum, is, inquam, Servius recte dixit ſectarium vervecem a Siculis τιτυρον vocatum: in quo immerito a moroſis quibuſdam reprehenſus eſt; recta enim eſt ejus ſententia, & vera: nam ſatis ea, quæ jam diximus probant. Præterea in argumento cujuſdam idyllii Theocritani, quod ſcribitur, τιτυρον dici κυριον, id fruſtra eſt, legendum enim χριον non κυριον. Quare errant, qui doctiſſimum grammaticorum Servium eo nomine carpunt, quod Tityrum vervecem ſectarium interpretatus ſit. Hæc Scaliger: quæ quidem non temere prætereunda ſunt; nam quod in argumento cujuſdam idyllii Theocritani pro κυριον reponendum cenſet χριον, omnino id fruſtra eſt; atque ideo haud parum Voſſio indignor, qui in etymologico ſuo imprudens Scaligero adſtipulatur, qui quidem nimium μνημοσυνης fidens integrum Scholiaſtæ locum minime obſervavit. Ejus verba in ὑποθεσι 3. idyllii hæc ſunt: τον τιτυρον οἱ μεν κυριον, οἱ δε σατυρον ειναι φασι. Ingenioſa Scaligeri conjectura, niſi falſi eam arguerent ſequentia Scholiaſtæ verba infra in adnotationibus: τους αργους τιτυρους λεγουσι, νυν και ονομα εστιν αιπολου. Et infra: ονομα κυριον ὁ τιτυρος; & poſt multa, quæ affert de voce Tityrus: ενταυθα δε ονομα κυριον, ideſt *nomen proprium*, ut omnes ſciunt, quemadmodum & ad Græcorum imitationem *verba dominantia* apud Horatium. Apage igitur Scaligeri conjecturas; ſanus enim eſt Scholiaſtæ locus, nec aliud fortaſſe deeſt, quam vox ονομα, alioquin κυριον abſolute obſcurius aliquantulum eſſet. Scribe ergo, ut alibi apud eumdem: τον Τιτυρον κυριον ονομα, &c. *Tityrus, & ovem, & Satyrum, & hircum denotat, hic tamen eſt nomen paſtoris proprium,*

prium: nihil clarius, ac manifeſtius.

Jam vero quod ad *Satyri* ſignificationem attinet, vetus Scholiaſtes ad illud Theocriti Idyll. 7.

Αυλησευντι δε μοι δυο ποιμενες· εἱς μεν Αχαρνευς,
Εἱς δε Λυκωπιτας· ὁ δε Τιτυρος εγγυθεν ᾳσει·
Paſtores ludent gemini, quorum alter Acharneus,
Ille Lycopitas: his carmina Tityrus addit:

ut optime tranſtulit Heinſius: qui αυλησευντι, *tibiis canent*, interpretantur, fruſtra ſunt: quid enim adderet poeta: ὁ δε Τιτυρος εγγυθεν ᾳσει? Similis apud Virgilium locus eclog. 5.

Cantabunt mihi Damœtas, & Lyctius Ægon:
Saltantes Satyros imitabitur Alpheſibœus.

Sed hæc in παροδῳ· nunc Scholiaſtem audiamus: Τιτυρος ονομα κυριον αιπολȣ· τινες δε παρα Δωριευσι τȣς σατυρȣς αποδεδωκασι λεγεσθαι. *Tityrus hic nomen proprium caprarii: alii putant Satyros a Dorienſibus ita appellari.* Et ad idyll. 3. τινες δε φασι, ὁτι Σιληνος· αλλοι δε τȣς τραγȣς· ἑτεροι τȣς σατυρȣς· ενιοι ονομα πολεως Κρητης· αλλοι δε τȣς προσπολȣς των Θεων· τινες δε καλαμον· *Dicunt nonnulli eſſe Silenum; alii hircos, Satyros alii interpretantur: alii nomen urbis Cretæ: nonnullis Tityri ſunt Deorum miniſtri; fiſtulam alii etiam tityrum appellant*. Strabo lib. 10. p. 468. *Tityros* inter τȣς Διονυσȣ προσπολȣς refert, ſeu *Bacchi famulos*: Ælianus quoque *Tityros* eoſdem, ac *Satyros* eſſe dicit, Bacchoque in expeditionibus comites adſignat; nomen vero απο των τερετισματων deducit, ſive a *laſcivis cantionibus*, quibus gaudent. Ejus verba ex variæ hiſtoriæ cap. 4. lib. 3. hæc ſunt: ὁτι οἱ συγχορευται Διονυσȣ Σατυροι ησαν, οἱ απο ενιων Τιτυροι ονομαζομενοι· εσχον δε το ονομα απο των τερετισματων, οἱς χαιρȣσι Σατυροι· unde illa in Scali-

geri

geri Julii Cæſaris dithyrambo, quæ nonnullos, qui illotis illum pedibus adire auſi ſunt, valde torſerunt: ubi in fine inimitabilis hymni ſic Bacchum alloquitur:

Thiaſota blande pando reſidens pecore ſenex,
Tityriſca vis vocat te, teteriſmata titubans,
Crepericrepante criſpans cava tympana digito.

Hinc bona eruditorum pars *Satyris*, ſive *Tityris* Bucolicæ poeſeos tribuit inventionem, tum quia Bacchi comites erant, quem omnis poetarum chorus, ut poeſeos auctorem, hujus præſertim, quæ omnium antiquiſſima, veneratur: tum quia fiſtulæ quoddam genus inveniſſe dicuntur, ex eorum nomine Τιτυρος appellatum, quod præter Heſychium, & Scholiaſten teſtatur etiam Athenæus lib. 4. 25. ὁ δε καλαμινος αυλος, inquit, Τιτυρος καλειται παρα τοις εν Ιταλιᾳ Δωριευσιν, ὡς Αρτεμιδωρος Αριστοφανειος ιστορει εν δευτερῳ περι Δωριδος. Et lib. 4. 23. affirmat, ὁτι Αμερσιας ὁ Μακεδων εν ταις γλωσσαις πτυριον φησι καλεισθαι τον μοναυλον. Hæc ſummum virum Jacobum Perizonium impulerunt, ut nova ακριβειᾳ Virgilii verſus interpretaretur ad cit. loc. Ælian.

Tityre tu patulæ recubans ſub tegmine fagi
Sylveſtrem tenui muſam modularis avena.

Putat igitur Poetam ad vocis ſignificationes alluſiſſe, & per *avenam* expreſſiſſe μοναυλον illud, quem τιτυρον appellabant, per το *recubans* vero id, quod narrat Theocriti Scholiaſtes, *otioſum* ſcilicet, quod notat etiam vox *Tityrus*. Sed cum nemo præter Scholiaſtem hujus ſignificationis mentionem faciat, vereor ne pro αργος, *otioſus*, τραγος, *hircus* apud Scholiaſten legendum ſit, ut alibi etiam idem auctor *Tityri* vocem interpretatur.

Ce-

Ceterum cum iidem *Satyri*, ac *Tityri* fuerint apud veteres, *Satyri* nomen quovis pretio, eodem quoque fonte manaſſe contenderim: nam ut a σισυρος quod a שער Dorica commutatione σ in τ fit τιτυρος· ſic etiam ſi alterum tantum *ſigma* in *tau* commutaveris integro altero, plane ex σιτυρος, ſeu potius ששער *Satyrum* habebis. Scio quid contra naſutuli objicient, primam ſcilicet ſyllabam in *Satyro* brevem, quæ longa in *Tityro* ſit: verum hoc non aliter factum in *Satyro*, & *Tityro*, atque in *Tityro*, & *Siſyro*: σισυρος, σισυρα, σισυρνα primam ſyllabam corripiunt, ut in allatis Ariſtophanis verſibus videre licet, cum tamen τιτυρος producat. Quid vero ſi apud Strabonem lib. 6. 778. σατυριον ejuſdem originis nomen etiam prima producta invenitur in veteri oraculo?

Σατυριον τοι δωκα, Ταραντα τε πιονα δημον
Οικησαι, και πημα Ιαπυγεσσι γενεσθαι.

Non ignoro huc metri neceſſitate poetam coactum fuiſſe, cum alioquin ea vox heröico carmine recipi nequaquam potuiſſet. Sed idem in *Satyris* eveniret: nam ſi prima hujus vocis ſyllaba produceretur, miſelli vates, Elegi præſertim, qui *Nymphas*, *Satyroſque* ubique crepant, numquam ea voce uti poſſent, niſi in iis caſibus, quibus numquam fere abuſi ſunt, in ſingulari ſcilicet *nominativo*, & *vocativo*, quos vix umquam reperies. Quid? Heinſius, Caſaubonus, Voſſius, aliique *Satyri* vocem deducunt a סטר, unde etiam *Saturni* nomen iidem repetunt, cum tamen prima ſyllaba brevis ſit in *Satyro*, longa in *Saturno*. Sed piget in his diutius immorari, quæ pueri etiam vident, & ſciunt.

Quidquid ſit longe aptius hoc *Satyri* etymon, quam quod veteres Scholiaſtæ afferunt, & Macrobius

Sa-

Saturn. 1. c. 18. (nam Æliani illud l. 3. var. hiſtor. c. 40. απο τȣ σεσηρεναι indignum ſane eſt, quin inter alia hic memoremus) ita ſcilicet dictos quaſi *Satyros* παρα την σαθην, quod *veretrum* eſt. Scimus quidem *Satyrorum* libidinem, & *ſatyriaſin* genus morbi inde dictum, & *ſatyrion* herbam apud Dioſcoriden, quæ ad Venerem incitat: vidimus & omnium pulcherrimum Satyrum Herculano inventum, qui το αιδειον in ima parte membranulæ ipſius illigatum geſtat, de quo plura quidem dicerem, niſi doctiſſimi, ſelectiſſimique viri Herculanenſibus antiquitatibus illuſtrandis egregiam operam navarent; ita ut hæc excutere, plane eſſet falcem in alienam ſegetem immittere. Nunc unius Aretæi verba de acutis morbis c. 12. in medium adducam: ὁι Σατυροι τȣ Διονυσȣ ἱεροι εν τησι γραφησι, και τοισι ἀγαλμασι ορθια ισχȣσι τα αιδοια. Quæ quidem, ſi de Satyro illo agerem, fuſius, ut par eſſet, explicarem, præſertim ob ſignantiſſimam vocem ισχȣσι. Nunc ſatis eſt me primum ita ſalivam ciere viris doctis: ad propoſitum redeamus. Hæc, inquam, licet ita ſe habeant, rectius tamen hujuſmodi Deorum nomina ab Hebraicis fontibus repetuntur. Hinc ſummus vir Jacobus Perizonius in Ælianum *Satyros* ita dictos exiſtimat, quod perpetui ſatellites eſſent Bacchi a סטר *latus*, quaſi *laterones*: infelix etymon, ac geniis male volentibus procuſum. Heinſius in Nonnum, Caſaubonus, Voſſius, aliique *Satyri* vocem deducunt a סטר, quod ſemper in *ſylvis lateant*, quod etymon licet non contemnendum, vero tamen ſimilius videtur noſtrum illud a שׂשׂער. Sed mirum quantum hac voce סטר oblectati ſint eruditi, neque enim *Satyri* tantum nomen, quod ferendum, ſed & *Saturni* deducere inde auſus eſt Franci-

ciſcus Junius, quam ſententiam Voſſii ejus generi calculis approbatam omnes poſtea libentiſſime amplexi ſunt. *Sed qui ita credunt* (inquit magnum noſtri ævi decus eruditiſſimus Baptiſta Paſſerius in *lexico* Agyptio apud Gorium in *Symbolis litterariis*) *nomen ab ejus fortuna ab Italis inditum credunt, cum potius a natura arceſſendum videretur*. Nolim tamen Paſſerium Saturni nomen a סטר *Dominus*, vel זרע *ſerere*, (quod ipſe omnium divum *ſator*) deducere, cum eodem verſemur in errore, ac ii, qui a סטר *latere* ejus originem trahunt: nam ut cetera mittam ex סטר *Saturus* fit, non *Saturnus*, & qui Hebraicæ linguæ non ſunt omnino αμυστοι, ſciunt quid conferat litterula illa addita, præſertim in fine της ρησεως, quicquid ſomnient ii, qui litteram heemanticam objiciunt.

Quanto rectius hic, qui nil molitur inepte

in ſua *Theca Calamaria* pag. 354. qui *Saturnum* deducit a שטר נה, ut idem ſit, ac *dominus lamentationis*, ideſt ex Hebraico idiotiſmo, *qui dolores infert*, & *calamitates*, unde απολητης, *graviter perdens*, αμειλικτος, *qui mulceri nequit*, ωμηστης, *crudelis*, στυγνος, *inviſus*, κακοποιος, *mala inferens*, & ſexcenta, quæ ex Oppiano potiſſimum, & Nonno collegit Martorellius loc. cit. quo labore etiam ſibi temperare poterat vir doctus, cum apud Græcos δεινοτατος Χρονος· & *gravis*, & *maleficus* audiat ubique apud Latinos, & inſignis locus ſit Macrobii in ſomn. Scipionis 1. c. 19. ubi ex Ptolomæo, aliiſque explicare conatur, cur Saturni ſtella præ cunctis *malefica* exiſtimetur; quod quidem amicorum eruditiſſimum non vidiſſe non miror, quippe qui Hebræis, Græciſque gazis inſtructiſſimus has Latinorum, quæ ubique proſtant, merces minime curat.

Ceterum vulgatum hoc atque ineptum etymon

a

a סטר vetuſtate ipſa prope abolitum putabam; ſed ecce tibi elegantiſſimus Mazochius, qui in eruditiſſimis *Commentariis* in *Tab. Heracleenſes* hoc *Saturni* etymon quaſi novum aliquod inventum ſingulis fere paginis inculcat: *cui non dictus Hylas?* ſed ne aliena tantum attuliſſe videretur vir plurimæ lectionis, addit de ſuo, quæ hanc eruditorum ſententiam de τῳ סטר confirmare poſſint. Accipe, quæ habet pag. 88. *Verum quid moror? quot fuere Saturni vocabula, totidem nomina Italiæ, tum primitivæ, tum latiori alteri, ſive Latio, quæſita fuerunt. Hinc quia Latium, ut Camiſene aliquando diceretur, a quodam Camiſe indigena derivatum traditur: haud temere crediderim Camiſen iſtum (de quo antiqui certant, quid hominis fuerit: vide Macrob. 1. Sat. c.7. Athenæum l. 15. cap. 3. & ad eum locum Caſaubonum) ipſum fuiſſe Saturnum. Nomen certe eſt idem: nam ſicuti a* סטור *ſatur, fit Saturnus, ideſt Latens (a quo & Latio nomen quæſitum, nimirum ibi latente Deo, ut ille canit) ſic a* כמוס *(quod in Cantico Deuter. cap. 32. v. 34. idem quod latens) eſt Camiſes ille, quem ego Saturnum interpretor, & Camiſene dicebatur Italia adjecta, ideſt Latium. Quid quod etiam Chonia aliquando Camiſa videtur dicta? Certe illi promontorio, quod inter Crotonem, & Roſcianum interjacet, cui urbs Chone inſidebat Criminiſæ nomen fuiſſe proditur, quod facile videtur (plane ſtudio rhotaciſmi ejuſdem, quo χων in κρονον tranſiit) ex Camiſa factum. Sed jam horum ſatis*. Hucuſque vir doctiſſimus: eamdem crambem recoquit p. 93. *Satyrion ab Hebraico latendi verbo nomen habuit, quia latebram Saturno præbuit, ſive iis, qui a facie Joſuæ fugerunt: unde & Italia illa vetus, quæ tantumdem ac vetus Oenotria patuit, Saturnia appel-*

labatur a latendo. Quæ quidem cum dubia nimis ſint atque incerta, ſane hic ad trutinam omnia revocarem: ſed nolo contentionis funem trahere, præſertim cum mihi res ſit cum eo viro, ut verecundum adoleſcentem pudeat ipſum, licet merito, oppugnare. Age ergo, quæ duo ad propoſitum noſtrum faciunt, breviter percurramus.

Primum quidem Tarentum, ſive locus Tarento proximus, *Satyrion* dictum eſt, non quod *Saturno latebras præbuerit* ſed quod paſcuis, gregibuſque aptiſſimum erat, ex vera primaque τȣ σισυρȣ, & σατυρȣ ſignificatione. Notiſſima ſunt, quæ de fertilitate agri Tarentini habent veteres, de ovibus præſertim, & lanis: unde Horatius od. 6. l.2.

Dulce pellitis ovibus Galeſi
Flumen . . . .

& Martialis l. 5. ep. 39.

Puella ſenibus dulcior mihi cycnis,
Agna Galeſi mollior Phalantini.

& Statius Sylv. l. 3. car. 5.

Et Lacedæmonii pecuaria culta Galeſi.

Iterum Martialis l. 8. ep. 28. ubi pulchre verbo *ſaturare* utitur, quaſi alludat ad *Satyrion*:

Dic toga facundi gratum mihi munus amici,
Eſſe velis cujus fama, decuſque gregis?
Appula Ledæi tibi floruit herba Phalanthi,
Qua ſaturat Calabris culta Galeſus aquis?

Sed non poſſum hic tamen omittere, quæ habet Poetarum princeps Georgicωn 3. v. 199. ubi de paſcuis Tarentinis verba faciens ſignantiſſimo vocabulo *ſaturum* Tarentum appellavit:

Sin armenta magis ſtudium, vituloſque tueri,

Aut

Aut fœtus ovium, aut urentes culta capellas:
Saltus, & ſaturi petito longinqua Tarenti,
Et qualem infelix amiſit Mantua campum
Paſcentem niveos herboſo flumine cycnos.

Quæ verba meridiana luce clariora, qui alio invertunt, helleboro indigent, atque Anticyram navigent oportet: & bene Servius *ſaturum Tarentum*, *fœcundum* interpretatur. Quid tamen Mazochius? legit apud Stephanum ex *Satyrio* gentile eſſe σατυρεινος, & σατυριος· ideo putat *Saturi* Tarenti pro *Satyri*, hoc pro *Satyrii*, dictum eſſe: ſcilicet celeberrimam urbem hoc nomine Virgilius decoraſſe, quod proximus illi locus eſſet *Satyrion* appellatum; non aliter ac ſi *Neapolim*, *Herculanenſem* nunc aliquis diceret. Hæc tamen omnia e Cluverio hauſit Mazochius, qui l.4. p.123. *Ital. antiq.* hæc habet: *Philargyrius, cujus ad eundem Virgilii locum verba hæc ſunt: alii dicunt agrum in quo condita eſt Tarentus Saturium vocari . . . . Stephanus:* Σατυριον χωρα πλησιον Ταραντον· το εθνικον Σατυρινος, ϗ Σατυριος . . . Σατυριον *igitur dictum fuit* χωριον, *ideſt Satyria, ſive ſi pro Græca vocali Romanam ponas, Saturia regio, ſeu Saturius ager, in quo Tarentum fuit conditum: unde Poetæ dicebatur urbs ea non Satura, ſed Saturium Tarentum, & obliquo caſu Saturii, ſeu potius contracte Saturi Tarenti.* Hæc doctiſſimus Geographus, non ut ſuam quidem opinionem exponeret, ſed ut veterum Grammaticorum ſententiam explicaret: quæ cum Mazochius fideliter exſcripſerit, cur non idem in iis fecit, quæ Cluverius eodem loco repoſuit Servii interpretationi de Saturo Tarento ex oppido Saturio? *Satis ineptum*, inquit, *prodidit ſe, atque imperitum Geographum grammaticus Servius: quid malum Virgilius celeberrimam urbem ab obſcuro oppido Saturo,*

aut qua analogia cognominaſſet Saturum Tarentum? Hæc Cluverius. Sed, quod non parum miror, ex Probi in Virgilium commentariis verba adducit loc. cit. vir doctiſſimus, quibus homo grammaticus ineptiſſime Tarentum ſic dictum a *Satyria palude* contendit. Nolo hic diutius immorari: afferam Virgilii locum ex 7. *Æneidos*, ut pateat, ubinam *paludem Satyriam* collocet vates præſtantiſſimus:

Qui ſaltus Tiberine tuos, ſacrumque Numici
Litus arant, Rutuloſque exercent vomere colles,
Circæumque jugum, queis Jupiter Anxurus arvis
Præſidet, & viridi gaudens Feronia luco,
Quærit iter valles, atque in mare conditur Ufens.

Hæc Maro, ut non immerito *Satyriam* paludem eamdem, ac *Pomptinam* eſſe inde collegerint viri docti: quæ quidem, ut ſuperiora de *Saturo Tarento*, cum apud Cluverium docte eſſent expoſita, Mazochium minime advertiſſe ægrius ferrem, niſi in elaboratiſſimis illis commentariis hæc viro doctiſſimo, atque oculatiſſimo excidiſſent: in quibus, cum omnia niteant, quis tam paucis unquam maculis offendatur?

Alterum autem quod ſub ſilentio præterire hic non decet, eſt quod de *Cameſe* conjicit Mazochius, quem nobis Macrobii, atque Athenæi auctoritate ſiſus ut *Saturnum* obtrudit: Sed aut ego fallor, aut nihil hujuſmodi in Macrobio, qui *Saturnal.* 1. c. 5. *Regionem iſtam*, inquit, *quæ nunc vocatur Italia, regno Janus obtinuit, qui ut Hyginus Protarchum Trallianum ſecutus tradit, cum Cameſe æque indigena terram hanc ita participata potentia poſſidebat, ut regio Cameſene, oppidum Janiculum vocitaretur. . . . Hic igitur Janus cum Saturnum claſſe pervectum excepiſſet hoſpitio &c.* Lege inte-

integrum Macrobii locum : videbis ſtatim quam aperte *Cameſen* auctor a *Saturno* diſtinguat : quid autem Athenæus? lib. 15, c.13. Καμισηνον Ιανȣ αδελφlω appellat, vel ut alii legunt αδελφlω, και καμισlω υιον, ut Jani filius ſit *Cameſes* . Sed quis *Cameſen* Saturnum eſſe umquam dixit, niſi eruditiſſimus Mazochius, qui cum veteres de *Cameſe* quid hominis eſſet certarent inter ſe, dum alii Jani *amicum*, alii *filium* vellent, omnem ipſe litem dirimens *Saturnum* fuiſſe pronunciavit? equidem ſi hoc eſſet veterum diſſidentes ſententias componere, jam nihil dubium, & perplexum foret in re literaria., atque ubi de aliquo varia narrarent auctores, ſtatim ad ſacram anchoram confugerent omnes , & *Jovem*, *Saturnum* , aliumve απο της μαχινης θεον ad nodum ſolvendum inducerent. Sed miror doctum virum, qui *Cameſem* Saturnum fuiſſe decrevit, nomenque deduxit a כמוס, minime tamen huc Deum *Camum* etiam traxiſſe , de quo mentio fit Numerorum 21. v.29. *Væ tibi Moab, periiſti popule Camos :* quæ verba etiam habentur apud Jeremiam c.48. v.46. eodemque capite v. 7. *ibit Camos in traſmigrationem* , *Sacerdotes ejus*, *& principes ejus ſimul* . *Judicum* c. 11. v.24. Jephte legati ad Ammonem *: Nonne ea , quæ poſſidet Camos Deus tuus tibi jure debentur , quæ autem Dominus Deus noſter victor obtinuit, in noſtram cedent poſſeſſionem*? Huic templum Salomonem poſuiſſe teſtantur ſacræ litteræ l.3. Regum c.7. *Ædificavit Salomon fanum Camos idolo Moab in monte, qui eſt contra Jeruſalem :* quod inter alia deſtruit poſtea Joſias , ut habetur 4. Regum 13. *Excelſa quoque, quæ erant in Jeruſalem ad dexteram partem montis offenſionis, quæ ædificaverat Salomon Rex Iſrael Aſtaroth idolo Sidoniorum,*

&

& Camos offenſioni Moab polluit Rex.

Hæc, atque alia id genus, quæ conjecturas ſuas de *Camiſe* ornarent certe, ſi minus confirmarent, prætериiſſe virum in ſacris litteris, ut in aliis, verſatiſſimum quiſque mirabitur. Verum omittamus conjecturas haſce, quæ uno tantum etymo de כמוס innituntur, quod ſtatim corruit, ubi primum illud, ex quo cetera pendent de τῷ סטר confutavimus. Sed eſto etiam *Saturnus*, a סטר, ut viſum eſt criticis noſtris: quid inde? ſi unum modo in Italia locum conſtituerent, quo ſe velut in aſylum receperit *Saturnus*, æquiori animo ferrem: ſed cum in quælibet Italiæ loca, imo, & in totam Italiam inducant *latebras* iſtas, quis unquam ferre poterit? Quid enim? non *Saturnus*, non *Latium*, & *Saturnia* ſolum a *latendo*, ſed & *Cameſene*, quia *præbuit latebras Saturno*, & *Satyrion*, quod ejus *in latebris Saturnus delituit*, & *Chonia*, quod ſuas *latebras Saturno commodavit*, & *Criminiſa*, quod ejus ſe in *latebras Saturnus recepit* Mazochio auctore dicta ſunt. Miſerum *Saturnum*, quot in partes eum Pentheum veluti diſtrahunt critici noſtri! ſed plane oblitus eſt ὁ πανυ *Satyram* paludem, quæ cum & ipſa in Italia, imo in agro Pomptino fuerit, ut ſupra viſum eſt, certe inde etiam ejus nomen deducere debuit. Quidni igitur putemus *Saturnum*, ut Jovis inſequentis iram effugeret in paludis *latebris* aliquandiu etiam delituiſſe, ut olim C. Marius, vel Sinon ille Maronianus 2. *Æneid.* qui de ſeipſo ad Priamum:

Eripui, fateor, letho me, & vincula rupi,
Limoſoque lacu per noctem obſcurus in ulva
Delitui . . . .

Parum abfuit quin crederem *Saturnum* iſtum *late-*

broſum unum fuiſſe ex Lyciis illis, qui in ranas μεταμορφυμενοι *ſubmergunt membra palude*, ex quo *filia Cæi*

Æternum ſtagno, dixit, vivatis in iſto.

Sed relinquamus jam Saturnum in *latebris ſuis*: nos qui tantum *latebrarum* horrorem refugimus, ad amœniora gradum faciamus.

VIII. Hæc, quæ adhuc de *Tityris* attuli, Neapoli commentabar iiſdem prope diebus, quibus hinc egreſſus patriam verſus profectus ſum: ſed cum paucis poſt menſibus, una cum patruo meo Joſepho Matthæi, Neapolim iterum tenderem, & ad citeriorum Brutiorum promontorium (vulgo *Citrarium* vocant) non paucos dies hybernis tempeſtatibus diſtineremur: ecce tibi inter magnam lapidum vim, quos ſecum flumen illud, ſeu torrens potius *Citrarius* etiam nuncupatus ferre ſolet, pulcherrimum marmor occurrit, latum quidem palmis Neapolit. quinque, altum vero tribus cum dimidio; marmor, inquam, pulcherrimum, & integrum, niſi quod επιγραφη temporis ſimul, locique injuria nimium adeſa, atque attrita vix aliquam in partem intelligi poterat. Atque hic quidem, ſi omnia excutere vellem, quæ ad hoc attinent monumentum, plura ſeſe jam offerrent, in quibus nimium diu immorandum eſſet: agendum nempe de loco, unde illud ſecum vis fluminis avexit, de antiquitate, & quod diligentius inquirendum eſſet, de illa Latina inſcriptione, cum tamen ſi monumenti pulchritudinem reſpiciamus, Græca omnino eſſe debuerit: verum cum de his fuſius, & copioſius in peculiari opere de Brutiis diſſeram, ideo quæ ad *Tityrum* facerent, ex illo tantummodo exſcerpſimus.

Hoc



Hoc monumentum cum ſedulo, & diligenter obſervaſſem, ſtatim inde venerunt mihi in mentem, quæ olim de *Tityris* ſcripſeram, eos ſcilicet Baccho Patri comites ſemper in expeditionibus fuiſſe, eosdemque habitos, ac *Satyros* ipſos, qui *Tityri* etiam dicebantur: itaque ex epigraphe illa SILE... TIT... *Sileno*, & *Tityris* poſitum fuiſſe monumentum pro certo habui; utinam integra eſſet hæc inſcriptio: multa fortaſſe inſuper, quæ nunc latent, in hoc marmore deprehenderemus. Quod ad Satyrorum attinet luſus, & ea quæ hic inſculpta videntur ſimulacra, nihil melius tunc

tunc ſuccurrere potuit, quam ut ad ea, quæ habet Ecl. VI. Virgilius de Sileno, omnia referrem:

. . . . . Chromis, & Mnaſylus in antro
Silenum pueri ſomno videre jacentem.

Vides hic *Silenum* antro innixum, duos Satyros, & quidem νεωτατυς *Chromim*, & *Mnaſylum*: ipſum vero Silenum non jacentem, ſed ut infra etiam apud Poetam jam erectum, atque expergefactum. Quid *Nympha* illa, quæ hic etiam ad antrum adſtat? Eccillam:

Addit ſe ſociam, timidiſque ſupervenit Ægle,
Ægle Naiadum pulcherrima: jamque videnti
Sanguineis frontem moris, & tempora pingit.

Et *moros* quidem in manu hic habuiſſe (neque enim quid ſit illud apparet) haud inepte ex Marone conjicere poſſumus. *Satyros* etiam ad Sileni cantum ſaltantes exhibet Virgilius:

Tum vero in numerum Faunoſque, feraſque videres
Ludere, tum rigidas motare cacumina quercus:

quod hic etiam animadvertere licet, ita ut cum tam bene ſingula ſingulis reſpondeant, certe hanc Maronis Eclogam in animo ſculptor ille habuiſſe videatur.

IX. Piget hic, quæ de tam pulchro monumento eruditi quidam effutiverint, in præſentia referre, quorum interpretationes (cum

Longius a vera multum ratione ferantur)

ſub ſilentio præterire ſatius duxi. Sed non & illa eodem modo reticere poſſum, quæ longævus in hac Neapolitana republica multi nominis ſenex de hoc marmore cogitarit; qui curatiſſimum exemplar hujus monumenti ipſi oblatum, primum quidem contemnere viſus eſt, quippe quod nihil admodum novi, aut rari præſeferret: mox vero ſemel atque iterum interrogatus, imagun-

culam illam antro innixam, *Bacchum* eſſe fidentiſſime pronunciavit: itane vero? nihil novi hoc marmor habet, aut rari? quid hoc umquam rarius, aut magis novum, quam *Bacchus* tam horridus ſenex, & tam deformis, quem juvenem, & pulchritudine inſignem nobis exhibent poetæ, & ſtatuarii? nolo hic rem lippis, & tonſoribus notam veterum auctoritatibus confirmare, cum ex obviis Græcorum, & Latinorum poetarum locis facile id quiſque colligere poſſet. Non me præterit, quod Macrobius habet Saturnalium l.1. c.18. *Liberi patris ſimulacra partim puerili ætate, partim juvenili fingunt: præterea barbatum ſpecie, ſenilique ore, uti Græcis ejus, quem Baſſarea, item quem Bryſea appellant, & ut in Campania Neapolitani celebrant, Hebona cognominantes.* Verum (ut omittam rarius adhuc hujuſmodi fore monumentum) non quod Bacchus aliquando barbatus pingeretur ad varias Solis mutationes exprimendas, ut fuſe ibidem explicat Macrobius, ideo tam deformis ſenex *omnia Sileno ſimilis*, Bacchus eſſe poteſt: nam ut omnia deeſſent, ſatis eum *Silenum* eſſe oſtenderet *aſellus* ille, qui non longe ab antro conſpicitur. Pueris etiam notum ab ſexcentis poetarum locis, *Silenum* ſemper *aſino* vectari ſolitum fuiſſe: animi tamen cauſſa unum, & alterum adducam exemplum, non ut rem quidem certiſſimam firmem, ſed ut illis potius lucem aliquam afferam: ut ceteros prætercam, Seneca in Œdipi choro ad Bacchum:

Te ſenior turpi ſequitur Silenus aſello
Turgida pampineis redimitus tempora ſertis:

turpem *aſellum* vocat, cum tamen vox *turpis* ad *Silenum* referenda ſit: eodem prorſus modo Faſtorum 1. Ovidius:

Ve-

Venerat , & ſenior pando Silenus aſello:
ubi non eſt cur nimium cum ceteris interpretibus laboremus, quod *aſinum pandum* Ovidius appellat: *pandi* enim vocem, licet *aſino* tribuerit, *Sileno* tamen potius referri debet, quem ut Satyros, & Tityros *pandum ſimumque* eſſe putabant: hinc Lucretius lib.4. v. 1163.

Nigra μελιχρο⊚ eſt: immunda, & fœtida ακοσμ⊚.
Simula Σιληνη, & Satyra eſt: labioſa φιλημα.

Simi autem vocem idem eſſe, ac *pandi* ne dubitare quidem poſſumus: Plinius lib.9. c.7. Delphinos appellari *ſimones* affirmat, quod roſtrum *ſimum* habeant: at Ovidius *Triſt.* 3. *pandos* Delphinos nobis obtrudit:

Tum neque ſe pandi poſſunt Delphines in auras
Tollere . . . . . .

& lib. III. Metamor. 674. de nautis in Delphinos verſis:

. . . lati rictus, & panda loquenti
Naris erat . . . . . .

& infra:

. . . . . . truncoque repandus in undas
Corpore deſiluit . . . .

Roſtrum præterea, quod *ſimum* Plinius dicit, *repandum* Solinus cap. 22. appellat, & vulgatiſſimo illo verſu de Delphinis vetus Poeta:

Repandiroſtrum incurvicervicum pecus.

Nemo autem quæret, puto, quid hic prope antrum *vitis* faciat, cum *Silenum*, *Satyros*, *Tityroſque* Bacchi comites fuiſſe fuſe probaverim: illud vero multi fortaſſe ſcire avent, quænam arbor illa, quæ ex altera parte antro imminere videtur? Senex ille longævus ac doctus, qui *Silenum* Bacchum eſſe putabat, hanc etiam ar-

borem, licet *ficus* in ſpeciem videatur, *populum* tamen, aut *ulmum* pertinaciſſime mallet: quid enim, inquit, ad Bacchum *ficus*, & ad *vitem*? ſcilicet *populus*, quæ *Alcidæ* gratiſſima, Marone teſte *Ecloga* 7. tribui etiam *Baccho* poterit, *ficus* non poterit: ſed quid *populos*, & *ulmos* ſomniamus, cum *ficum* nimis clare eſſe appareat? quid *ficus*, inquies, ad *vitem*? id quidem, quod ſoror ad ſororem: audi Hipponactem:

Συκην μελαιναν αμπελου κασιγνητην.

Ficum vitis *ſororem* appellat, & merito; nam (ut Pherenicus Epicus Poeta apud Athenæum fabulatur lib. 3. cap. 5.) Oriæ, Oxylique filius αμπελον, και συκην *ficum*, *&* *vitem* ex ſorore Hamadryade genuit, quæ cum fratre ipſo μιγεισ᾽ ερατη φιλοτητι multa alia etiam mortalibus bona concubitu illo attuliſſe credebatur. Quid vero ſi *ficum*, ut & *vitem* Bacchum ipſum optima pars veterum inveniſſe exiſtimabant? Naxiis Bacchum *Milichium* nuncupari Andriſcus, & Agaſthenes teſtantur, ex eo quod *ficum* primus mortalium invenit, quæ cum Naxiis μειλιχον fuerit appellata, Bacchus etiam μειλιχιος dictus eſt. Operæ pretium fuerit ipſius Athenæi verba lib. 3. cap. 5. in medium proferre, ut clarius rei veritas eluceſcat· Σωσιβιος δ᾽ ὁ Λακων αποδεικνυς ευρημα Διονυσου την συκην, δια τουτο φησι και Λακεδαιμονιους συκιτην Διονυσον τιμαν· Ναξεοι δε, ὡς Ανδρισκος, ετι δ᾽ Αγασθενης ιστορουσι, μειλιχιον καλεισθαι τον Διονυσον, δια τον του συκινου καρπον παραδοσιν· διο και τον προσωπον του θεου τοις Ναξεοις, τον μεν ου βασιλεος Διονυσου καλουμενου ειναι αμπελινον· τον και ου μειλιχιου συκινον· τα γαρ συκα μειλιχα καλεισθαι· quæ ſic interpretor: *Soſibius Lacon, cum oſtendere vellet ficum Bacchi eſſe inventionem, Lacedæmones teſtes adduxit, qui Bacchum ficulneum colebant.*

Na-

Naxii autem, ut Andriſcus, & Agaſthenes narrat, Bacchum Milichium appellant: & duo quidem Dei effigies ſunt apud Naxios, altera Bacchi, quem Regem vocant, ex vite; altera vero Milichii ex fico: ficos enim milicha appellant. Hæc Athenæus, cujus verba ſatis quidem oſtendunt, quantum iis tribuendum ſit, qui pede in uno ſtantes facile quavis in re ſententias ructant: certe nihil appoſitum magis ſculptor ille effingere poterat, quam *ficum*, ubi, & *vitis*, & *Silenus*, *Tityrique* Bacchi comites eſſent. Nec aliud, quam hujus arboris truncum illum eſſe crediderim in pulcherrimo κοτυλῳ, qui Formiis Saracenorum ſcelere everſis Cajetam translatus, medio in templo ſitus eſt, eoque ſacri Baptiſterii vice nunc etiam utuntur: ubi cum a nutrice Ino infantem Bacchum ulnis, & linteo tegi, Satyroſque (ſeu Tityros eos libet appellare) & Bacchas undique tripudiare videam, vix aliud, quam *ficulneum truncum* illum eſſe putarim: licet nec Stephanus Pighius quidquam de trunco habeat in *Mythologia* εις τας ωρας *Theſauri Gronoviani tom. IX. col.* 1190. & nihil certi afferre in medium potuerit Sponius *in Recherches Curieux* p. 487. Quod ſi ita eſt haud dignus fortaſſe tam acerba cenſura fuit Cleophon, quali eum notat Ariſtoteles Reth. l. 3. c. 24. quod ποτνιαν συκην dixerit, συκη γαρ ευτελης πραγμα: το δε ποτνια θεοις, και θεοις αρμοζουσα: *ficus vile negotium: vox autem* ποτνια *Deis, & rebus Deo ſacris convenit*: nam & ficus Baccho ſacra, ideoque in carmine fortaſſe in ejus laudem, feſtive Poeta eam ποτνιαν appellare poterat.

Ceterum ut ad noſtrum iterum monumentum revertamur, illud maxime ad marmoris commendationem facere videtur, *Sileno* hoc tantum, & *Satyris* ſacrum


crum fuiſſe, quod certe rarius apud veteres occurrit: Baccho enim *Satyros*, *Tityroſque* comites ſemper addere conſueverant, *Silenum* potiſſimum, quem cuſtodem ſimul, famulumque *Dei alumni* merito poetæ nuncuparunt. Imo, quod rarius tamen eſt, pulcherrimum caput Neapoli forte fortuna inventum nuper vidi, ex altera quidem parte juvenili, ac prope fæmineo ore *corymbiferum Bacchum*, ex altera *ſenem*, *auritumque* referens *Silenum*, ut merito *Silenobacchus*, non ſecus ac *Hermathænam* dicimus, appellari poſſit. Habet hoc carius auro, ſi cui videre libet, nunc penes ſe vir humaniſſimus, idemque omnium amicorum longe doctiſſimus Jacobus Martorellius, cujus quidem ad manus cum pervenerit, fortunatum merito quiſque illud dicat monumentum, quippe quod præconem invenerit Martorellium.

Semper igitur Baccho *Silenum*, *Satyroſque* veteres addebant, raroque ſine Baccho *Silenus* occurrit; ita ut cum templum, aræque tantum *Sileno* ſacra eſſent apud Eleos, id quaſi admodum rarum diligentiſſimo ſcriptori Pauſaniæ peculiariter adnotare viſum eſt: quo quidem auctore mulierem illam, non nympham Maronianam Æglen, ſed *Ebrietatem* interpretor, ut Sileni ara apud Eleos, de qua lib. 24. Εϛι inquit, δε ϗ ναος ενταυθα, ιδιᾳ τω Σιληνῳ ϗ ουκ ὁμου Διονυσῳ πεποιημενος· Μεθη δε οινον εν εκπωματι αυτῳ διδωσι. *Eſt & ara ibidem apud Eleos Sileno ſacra, Sileno tantum, & non Baccho ſimul poſita: Ebrietas autem vinum in poculo ipſi porrigit*. Fortaſſe & *Ebrietas* mulier hæc cenſenda erit, quæ vinum εν εκπωματι Sileno propinat, licet *poculum*, quod in manu habet, ægre nunc conſpici poſſit. Quanti igitur hoc marmor æſtimandum erit,

quod

quod non aliquem ex noſtris eruditum, ſed Pauſaniam vel Virgilium ipſum interpretem habet? videant alii mihi certe hic patroni ſimul, judiciſque munere fungi non licet.

X. Antequam manum de tabula, diligenter hic expendere oportet, quæ aperte nobis adverſari videntur, dum *Sileno*, *Satyriſque* dicata nulla apud veteres monumenta adgnoſcimus, Pauſaniæ potiſſimum freti auctoritate, cui res admodum rara, & nova illud viſum eſt, quod fuiſſe ipſe narrat apud Eleos. Contrarium plane deducunt viri docti ex columna illa vetuſtiſſima, quam paucis ab hinc annis in inſula Melo inventam auro contra non caram Venetiis penes ſe habet ſummus vir Bernardus Nanius. Ecce tibi epigraphen ipſam, qualis ibi inſcripta conſpicitur:



Infeliciter inſcriptionem hanc interpretatus eſt Hieronymus Zannettius, qui ſic legendam eſſe exiſtimabat:

ΓΑΙ ΔΙΟΝ ΕΚ ΓΗΣ ΑΝΤΙΔΕΚΟΜΑΙ ΤΟΔ' ΑΜ' ΕΝ ΓΗ ΕΜ ΑΓΑΛΜΑ

ΜΟΙ ΓΑΡ ΕΤΕΥΚΝΟΜΕΝΟΜ ΤΟ ΤΕΤΕΛ' ΕΜ ΜΕΤΡΟ ΓΗΟΝ

Sed videamus, *quid diſtent æra lupinis* ex nova, & longe ab hac diverſa lectione, quam procudit magnum Romanæ Reipublicæ lumen doctiſſimus Odoardus Corſinius in peculiari diſſertatione de hoc monumento:

ΠΑΙ ΔΙΟΣ ΕΚΠΗΑΝΤΟΙ ΔΕΚΣΑΙ ΤΟΔ ΑΜΕΝΠΗΕΣ ΑΓΑΛΜΑ

ΣΟΙ ΓΑΡ ΕΠΕΥΚΗΟΜΕΝΟΣ ΤΟΝΤΕ ΤΕΛΕΣΣΕ ΤΡΟΠΗΟΝ

Quæ

Quæ quidem, ſi adſpiratas literas pro τῳ Η ſubſtituas, & ω in locum ο, quæ tunc in uſu adhuc non erant, ſic legi poterit:

ΠΑΙ ΔΙΟΣ ΕΚΦΑΝΤΩ ΔΕΞΑΙ ΤΟΔ' ΑΜΕΜ-
ΦΕΣ ΑΓΑΛΜΑ
ΣΟΙ ΓΑΡ ΕΠΕΥΧΟΜΕΝΟΣ ΤΟΝΤΕ ΤΕΛΕΣ-
ΣΕ ΤΡΟΦΟΝ

Παι Διος Εκφαντω δεξαι τοδ' αμεμφες αγαλμα,
Σοι γαρ επευχομενος τοντε τελεσσε τροφον.

Baccho igitur vir doctiſſimus directam hanc επιγραφὴν putat, ita tamen, ut columnæ illi, ſeu baſi, in qua epigramma inſcriptum eſt, *Sileni* (qui Bacchi *magiſter*, *famulus*, καὶ τροφὸς *nutritor*) ſimulacrum impoſitum fuerit, quod *Ecphantus* ſculptor & fecerat, & dicaverat: ſic igitur reddidit elogium:

Fili Jovis ab Ecphanto ſuſcipe hoc irreprenſibile monumentum,
Tibi enim ſupplicans tuum Nutritorem (Silenum) *perfecit.*

Hæc Corſinii lectio, atque interpretatio merito omne tulit punctum, communibuſque eruditorum ſuffragiis accepta eſt: & ipſe quidem auctor jam præviderat, nec aliter hanc epigraphen legi, nec explicari poſſe, quam eo ipſomet ſenſu, quo ille interpretatus eſt: ſed me non parva quidem cauſſa movet, ut abeam in diverſa: præſertim cum hæc inſcriptio Corſinio teſte, vel *Sigæa* vetuſtior reputanda ſit, quæ tamen communi omnium conſenſu ad LX. Olympiadem referri debet. Jam monui Homerum nunquam *Satyrorum* mentionem facere: addo etiam nunc, nec *Sileni*, nec ipſius *Bacchi* Heſiodum, vel Homerum unquam meminiſſe: ita ut ſi nulla alia de cauſſa, vel eo nomine rejiciendus

dus ſit hymnus in *Bacchum*, qui nunc inter Homericos locum habet, licet quicumque illius auctor ſit, Homericæ φρασεως ſtudioſiſſimus fuerit oportet: elegantiſſimus enim, ac lepidiſſimus hymnus, & ob decem potiſſimum illos verſus ex trigeſimotertio uſque ad tertium ſupra quadrageſimum, vel Homeri ingenio dignus eſt. Illud autem peccavit ejus auctor, quod cum hymnum ſub Homeri nomine poſteris mandare vellet, eum tamen *Baccho* inſcripſit, cui quidem Homeri ætate *mortali veſcier aura* non adhuc datum fuerat. Nec me quidquam præterea movet, quod *Bacchi*, ſeu *Dionyſii* mentio fiat in *Scuto* Heſiodi v. 404. cum minime genuinus fœtus ſit Aſcræi illius vatis, uti ſunt Θεογονια, Εργα, και ἡμεραι, quod jam viderunt eruditiores. Quod ſi ne Bacchum quidem Græci vetuſtiores noverant, quanto minus *Satyros*, *Tityros*, *Silenos*, Deos, ut cum Plauto loquar, *minutos*, *plebejoſque*? Nunquam igitur *Sileno* hoc erectum monumentum eſſe potuit, cum adeo antiquum Corſinio viſum ſit, ut ad Olympiadem lx. referendum eſſe exiſtimarit. Suſpecta mihi primum hujus monumenti antiquitas, eo quod inter columnæ ſtrias elogium illud inſcriptum eſſet: neque enim ſtriatarum calumnarum inventionem tam vetuſtam unquam fuiſſe credebam: ſed omnem ſtatim dubitationem depoſui, poſtquam luculenter ſtriati operis vetuſtatem mihi oſtendit vir humaniſſimus, atque in architectonica arte non minus, ac bonis litteris verſatiſſimus Berardus Galianus, cui quantum litteraria Reſpublica debeat ob ſplendidiſſimam Vitruvii, editionem, ſat omnibus notum eſt: verum hoc ſtriarum απορημα doctiores perpendant. Ceterum, etiam ſi hæc inſcriptio recentior eſſet, quis

crederet *Sileno* ſtatuam, & columnam poſitam fuiſſe, cum nec in Latio, nec in Græcia, etiam poſt receptum ubique *Bacchi* cultum, *Sileno*, *Tityris*, *Satyris* ara ulla, aut publicum monumentum dicatum occurrat? Atque hæc quidem apud poſteros; nam veteres, ut diximus, *Bacchum*, alioſque hujuſmodi Ægyptiorum Deos nequaquam noverant, cum nulla Ægyptiacæ mythologiæ ratio tunc quidem haberetur, ut vel ex Homero, atque Heſiodo facile colligi poterit, qui nec *Sileni*, nec *Bacchi*, nec *Iſidis*, nec *Serapidis*, &c. umquam meminerunt, aliorumque numinum, quorum cultus ſero in Græciam, Latiumque pervenit; ita ut omnino oleum & operam perdant viri docti, qui etiam vetuſtiorum, & majorum gentium numinum, *Dianæ*, *Lunæ*, *Cereris*, *Saturni* &c. originem repetunt ex Ægyptiis: cum veteres ex cunctis orientalibus populis Ægyptianorum mythologiam præ ceteris deſpectui haberent.

Aliud etiam incommodum ex hac Corſinii oritur interpretatione, quod virum Græce ad miraculum eruditum non vidiſſe indignor: nam quid eſt illud δεξαι Εκφαντῳ, *ſuſcipe ab Ecphanto?* Equidem, quæ parva mihi Græcæ linguæ notio eſt, numquam verbum δεχομαι, aliudve ejuſdem notæ cum aliis conjunctum caſibus reperi, præter patrium, ita ut δεξαι εξ Εκφαντȣ, vel omiſſa præpoſitione, quod cetera hic duriſſimum eſſet, δεξαι Εκφαντȣ dicendum ſit, atque illud εξ intelligendum. Vellem doctiſſimus Corſinius inveniat præpoſitionem ullam in tota Græcia, quæ quidem intelligi poſſit, cum dicimus δεξαι Εκφαντῳ· mihi certe nullam vidiſſe contigit, cum præpoſitiones omnes, quæ noſtrum *ab* exprimere poſſunt, patrio caſu gaudeant apud Græcos.

Hæc tamen nullo umquam pacto conciliari poſſunt

inter ſe, niſi pro ΕΚΦΑΝΤΟΙ, ideſt Εκφαντῳ legamus ΕΚΦΑΝΤΟΥ· ſive ita revera interpretandum ſit, ſive ſculptori vitio vertendum, cum litteræ Ι in Υ maxime ſibi affinem facilis fuerit permutatio: vox autem εκφαντου genitivo caſu jungenda eſt voci Διος· & εκφαντος Θεος erit idem, ac επιφανης, cum Dii εκφαινειν dicti ſint, ut επιφαινειν· adeatur doctiſſimus Spanhemius ad Callimachi hymnum in Apoll. v. 13. & in Pall. v. 78. & 82. & diſſert. 5. *de uſu, & præſtantia numiſmatum*. Hoc autem ne quis in dubium revocet, afferam vocem ejuſdem originis ex Orpheo in hymn. Διος αστραπαιου, ubi Jovem vocat περιφαντον, ut hic εκφαντον·

Κικλησκω μεγαν, αγνον, ερισμαγαρον, περιφαντον,
Αστραπεον Δια, παγγενετην, βασιληα μεγιστον.

Quæ Criticorum Princeps in ſua elegantiſſima verſione antiquis verſibus reddidit:

Obteſtor magnum, perterricrepum, manifeſtum,
Fulgetrumque Jovem, induperatorem, omnigenentem.

Ubi eſt quod læter, το περιφαντον Scaligerum reddidiſſe *manifeſtum*: habuit enim certe pro επιφανην, cum qui Græcis επιφανης Θεος dicitur, is Latinis *manifeſtus*, *præſens*, *conſpicuus* appelletur, ut erudite Spanhemius oſtendit loc. cit.

In pentametro quartam vocem hoc modo Corſinius interpretatur ΤΟ ΤΕΛΕΣΣΕ, & cum litterula illa, quæ intercidit, minime appareat: ipſe Corſinius addit, & legit ΤΟΝΤΕ ΤΕΛΕΣΣΕ ΤΡΟΦΟΝ· nos contra ὑψιλον ſubſtituimus, & legimus ΤΟΥΤ ΕΤΕΛΕΣΣΕ, ſeu τουτ' επελεσσε, ut τουτο ad αγαλμα referatur: nec τροφον, ſed Τροφων legi debet, ut proprium nomen ejus, qui hoc dicaverat monumentum, non *Ecphantus* ſit, ſed *Trophon*,

 &

& Mercurio, aut alii Jovis filio inſcriptio dirigatur. Habe igitur ſic integram επιγραφlω·

Παι Διος εκφαντυ, δεξαι τοδ᾽ αμεμφες αγαλμα,
Σοι γαρ επευχομενος, τυτ᾽ επελεσσε Τροφων.
Fili Jovis ſpectabilis, accipe hoc egregium monumentum,
Tibi enim ſupplicans hoc perfecit Trophon.

Porro verba illa ετελεσσε Τροφων intelligenda ſunt de *Trophone*, qui monumentum illud & fecerat, & dicaverat, cum ſculptorum nomina apud veteres Græcos ſtatuis inſcribi in more fuerit, ut ſatis Corſinius oſtendit. *Trophon* autem proprium nomen ejuſdem eſt originis, ac *Trophimus*, ut vident vel qui nondum ære lavantur; & nomina quidem hujuſmodi in ων ſæpe ſculptoribus tributa fuiſſe ſtatim deprehenderit, quicumque vel indicem pictorum & ſculptorum inſpexerit in eruditiſſimo Franciſci Junii opere *de pictura veterum*. Ita in Herculis Farneſiani ſtatua inſcriptum: Γλυχων Αθαναιος εποιει, in aliis ſæpiſſime occurrit Μυχων & Μυρων· & ne extra chorum abeamus in Cajetano vaſe Σαλπιων Αθηναιος εποιησε. Quæ quidem exempla potius, quam alia conſulto attuli, ut ex iis etiam illud, quod dixi de ſculptorum nomine, quod ſæpe veterum ſtatuis apponebatur, luculentius appareat.

Paullo ſuperius, cum de *ficu* Baccho ſacra, & modo cum de *Trophone* loqueremur, Cajetani κοτυλυ mentionem fecimus, cujus meminit & doctiſſimus Corſinius, atque aliqua ex illo deducere conatur, quæ ſuam hujus, de quo agimus, elogii interpretationem illuſtrent; ſed nollem tamen illa excidiſſent ſummo viro: *In un celebre vaſo di marmo, che ſi trova in Gaeta, e che fu deſcritto dallo Sponio, e poi riportato da*

Mon-

Monfaucon, vedeſi Sileno, che tiene in braccia il fanciullo Bacco, e lo preſenta ad Ino, o Leucotea, perchè lo nudriſca, benchè Orfeo riferiſca, che egli fu nudrito da Ippa:

Ιππαν κικλησκω Βαχχȣ τροφον, ευαδακȣρην

Hippam voco Bacchi nutricem, placidam puellam. Hæc vir doctiſſimus: fateor equidem hujus *vaſis* σχηματα me plus vice ſimplici inſpexiſſe; verum *Silenum* iſtum nunquam vidi: nec Sponius, *Recherches curieux* p. 487. & *Rei antiq. quæſt. diſſert.* 29., nec Montfauconius *Antiq. Expliq. livr.* 1. c. 77., nec Stephanus Pighius in *mythologia* εις τας ὡρας, qui omnes de κωτυλῳ illo pluribus agunt, *Sileni* quicquam meminerunt. Omnino qui Bacchum in ulnis habet in laudato vaſe non *Silenus* eſt, ſed *Mercurius*, ut ſtatim quiſque agnoſcet ex *petaſo*, aut alio certe *petaſo* ſimili tegumento, quo ejus caput operitur: nec *Silenus* umquam eſſe poterit tam pulcher juvenis, qualis ibi eſſe apparet, cum *Silenus*, & deformis fuerit, & alio longe diverſiſſimo corporis habitu, & ſenex, ut cum Plauto loquar, *acheronticus*: itaut adagii loco cecinerit Anacreon od. 38.

Εγω γερων μεν ειμι·
Σειληνον εν μεσοισι
Μοιμȣμεν@ χορευσω.
Ego ſenex quidem ſum:
Silenum at inter omnes
Imitabor in choreis.

Sic vertit Andreas: Græca videntur aliquantulum laborare: Barneſius jam vidit legendum εν μεσοις δε, pro μεσοισι, ut eſſet particula, quæ voculæ μεν reſponderet: ſed nihil ultra vidit bonus criticus. Quid malum eſt εν μεσοις δε, ſeu μεσοισιν, *inter medios* abſolute? non

non opus eſt, ut nos etiam in hujus loci emendatione laboremus, cum bene rem omnem compoſuerit doctiſſimus Pauvius, a quo temere numquam diſceſſerim, qui legit: Σειλωνον εν νεοισι, vel νεοις δε, vel Σιλωνον δ' εν νεοισι, cum prima ſyllaba τȣ Σιλωνȣ aliquando etiam corripiatur: ita facilis ſententia erit, atque aperta: dixerat in principio odarii ſe *ſenem quidem eſſe*, *ſed juvenes tamen bibendo ſuperare*; idem repetit in fine, & lepide ait ſe *imitari Silenum inter juvenes*. Sed neſcio, quo fato factum ſit, ut duo eruditiſſimi viri, alter ſenem & decrepitum *Silenum* pro *Baccho* habuerit in noſtro monumento, alter juvenem formoſiſſimum *Mercurium* in *Cajetano* κοτυλῳ *Silenum* fuiſſe putarit.

Verum tempus eſt, ut vela contrahamus: ſatis enim, ſuperque immorati jam ſumus in hac de voce *Tityrus* Exercitatione: ſed ne in opuſculis noſtris aliquid eruditis deeſſe videatur, libet hic, quæcumque ſparſim in tanta rerum farragine de hac voce dicta ſunt, breviter complecti. Prima igitur & originaria vox eſt שער *pilus*, *piloſus*: hinc veſtis villoſa dicta eſt Græcis non ſolum *ſiſyra*, ſed etiam *ſyra*, ut teſtatur Ariſtophanis ſcholiaſtes in Nubes v. 10. σισυραι ταις καλουμεναις εμφερη συραις, *ſunt ſiſyræ iis ſimilia tagumenta, quæ ſyras appellamus*: & quidem in ſacris litteris Zachar. 13. v. invenitur hæc vox שער pro *tunica villoſa*, licet, niſi me memoria fallat, adjectivi in modum nominis ibi uſurpetur שער אדרה, quod vulgatus reddidit *pallium ſaccinum*. Sic etiam de *Siſyra*, ſeu *Syra* intelligendum, quod de Eſau refert Moſes Geneſ. c. 5. v. 25. *rufus erat*, & *totus in morem pellis hiſpidus*, ubi etiam vox שער occurrit in Hebræo. Duplicata littera ש fit ששער, & Græcis

ſiſy-

ſiſyra, & *ſiſyrna*, de quibus, ſi originem ſpectes, tot contentionibus opus non eſt, quot excitarunt Scholiaſtæ, cum ejuſdem omnia ſint originationis. Ex τῷ ששער & *Tityrus* fit, & *Satyrus*, ut ſupra jam luculenter oſtendimus: quod ne mirentur ii, qui hujuſmodi etyma contemnunt, (quorum tamen ope deſtitutus veras vocum notiones reperire quis poterit?) addam & aliud exemplum, de quo ne minimum quidem dubitari poteſt. *Tyrus* urbs Syriæ celeberrima in Phœnicia Hebræis dicitur צר: ecce tibi Græci ex hac voce ad ſuæ linguæ genium τυρος efformarunt: Romani contra *Sarra*, uti *Tyron* Ennius appellat, unde *Sarranum* oſtrum pro *Tyrio* apud Maronem, *Sarrana* Juno apud Silium l. 6. 468. pro *Tyria*, ſeu *Carthaginienſis*: *Sarranæ* tibiæ, quaſi *Tyriæ*, quia a *Tyriis* inventæ, ut *Phrygiæ* a Phrygibus, quicquid contra argutentur viri docti. Eruditiſſimus Martinius in ſuo etymologico putabat vocem *Satyrum* eſſe ex שער סה *ovis villoſa*: importunum hic τὸ *ovis*, ſed facile hoc etymon in melius reduces, ſi relicto τῷ סה derives ex שער cum doctiſſimo Paſſerio, quem tamen præceſſerat Bochartus: facilius, ſi priorem litteram duplices, ut ſit ששער ejuſdem originis, ac *Tityrus*. Quis non miretur hic ſummi viri Gerardi Voſſii negligentiam & αμελειαν, qui cum Martinii ſcrinia ſæpiſſime compilet, hoc tamen etymon ne referat quidem in ſuo etymologico, ſed importuna illa tantum colligat de τῷ סטר, & ſi qua ſint præterea ejuſdem furfuris? Porro ne dubitari quidem poteſt, quin τὸ ש ſit particula, ut loquuntur Grammatici, *reduplicationis*, cum ſatis id appareat ex *Siſyra*, quam Græci ipſi etiam *Syram* vocitabant; & mons quidem celeberrimus Cretæ, quem *Dictæum* appellant, & *Tityrus*, & *Tyrus*

di-

dictus eſt, ut ex Strabone colligit vir omnigenæ eruditionis Ezechiel Spanhemius in Callim. p. 263. quem tamen nil adnotaſſe in ea voce montis *Tityri*, ſeu *Tyri* valde miror. Theocriti Scholiaſtes ad Idyll. 3. ait *Tityrum* eſſe ονομα πολεως Κρητης· vide an hinc emendandum ὀρεως Κρητης, niſi & urbs ejuſdem nominis fuerit, quod facile eſt. Montem autem *Tityrum*, ſeu *Tyrum*, ut & montem *Seir*, de quo mentio fit Geneſ. c. 14. v. 6. & alibi ſæpius, ſic dictum a fertilitate, & paſcuis quiſque opinabitur, cui ea quæ adhuc diſputavimus, vero ſimilia viſa fuerint: mihi tamen ex prima & originaria vocis שער notione, quæ *piloſum* notat, mons *Tityrus*, ſeu *Tyrus*, dictus videtur, ut mons *Seir*, qui & *Edom* Geneſ. c. 36 v. 8. inde dicitur, quemadmodum hodieque nobis mons notus in Lucania dicitur *Monte piloſo*: ea potiſſimum de cauſa, quod animalia fere omnia ibi degentia hirſuta reddat & villoſa præ ceteris locis, ut mihi plane perſuaſit elegantiſſimi ingenii juvenis Michael Vargas Macciuccha, cui pluſne litteræ, an litteris ipſe debeat nullus ſcio, quippe qui & litteratorum ſit omnium Mæcænas, & non ultimas teneat ipſe inter litteratos. Is igitur per aliquot ex accolis amicos certior factus eſt, ea loca ita quidem eſſe natura ipſa comparata, ut & oves, & alia animalia villoſa magis reddat, quam alibi eſſe ſolent: quod quidem de monte *Tityro*, ſeu *Tyro* dicere quis vetat?

Ex τῳ שער quod *hircum* notat vox *ſatur* orta eſt Latinis, cujus prima, & originalis notio non eſt *ſatiatus*, *cibo plenus*, ut vulgus putat, ſed illa, quam in Virgilio ſuperius adnotavimus, qui *ſaturum Tarentum* appellavit, quaſi dicas *ovinum*, *hircinum*, ideſt *gregibus paſcendis aptiſſimum*; atque hæc eſt propria hujus vocis ſignificatio,

qua

qua deinde ſub ipſa ſequitur illa, quæ eſt apud *Ætnæ* auctorem v. 12. qui *meſſes ſaturas*, & apud Perſium, qui *Sat.* 1. *v.* 71. *rus ſaturum* dixit : niſi velis *ſaturum* Tarentum , & *Satyrium* locum Tarento proximum ita dictum , quaſi *lanoſum* , *piloſum* , *villoſum* , ut mons *Tityrus*: itaut *ſatur* primum fuerit *lanis abundans*, & *ſaturitas lanarum abundantia* : inde pro quavis rerum copia accepta ſint , ut *peculium* , *pecunia* , atque alia ſexcenta id genus apud veteres. Poſtea vero ex hac τȣ *ſaturi* ſignificatione, quæ *fœcundum* , & *abundantem* notat, factum eſt, ut *ſatur* pro *ſatiatus* paſſim uſurpetur, cum κυρίως (ut Virgilianum locum ſileam, ubi κυριωτάτως) ſit *fœcundus*, & *abundans*: & *ſaturitas* quidem in prima vocis veritate non eſt *ſatietas*, & *cibi plenitudo*, ſed *fœcunditas* & *abundantia*, ut apud Tullium de ſenectute c. 16. *ſaturitas*, *copiaque rerum omnium*.

Lancem etiam variis frugibus refertam , & farciminis genus quoddam ex uva paſſa , polenta , & nucleis pineis mulſo conſperſis , hinc etiam *Satyram* dicta eſſe omnes conſentiunt eruditi : ſed non idem criticorum conſenſus in *Satyra*, & *lege Satura* . Poſt multas Scaligeri , Martinii , Caſauboni , Heinſii, Voſſii , ut veteres taceam contentiones de hoc etymo, rem omnem ita compoſuit doctiſſimus Mazochius *comment. in Tab. Heracl. p.* 480. ut *Satyra* Græcorum a maledicentia , *Satyra* Latinorum ex variis metris , quibus conſtat , ſic dicta ſit . *Satyram* Græcorum nihil moror , cum Græci proprie *Satyram* non haberent, ut Latini, qui peculiare quoddam poematis genus *Satyram* appellarunt: nec umquam quiſquam mihi perſuaſerit, Latinorum *Satyram* ita dictam eſſe ex vario metri genere, quod amplecteretur : nam primo nobiliſſimi Satyra-

rum quatuorviri, Lucilius, Horatius, Perſius, Juvenalis, nonne heroico carmine, atque uno, & ſimplici metro ſuas Satyras concinnarunt? Objiciunt Ennii Satyras, & Varronis, quas vario conſcriptas metro fuiſſe affirmant: ſed non ego credulus illis. Haud tam expers bonæ mentis fuit Ennius, *Moeonides quintus pavone ex Pythagoreo*, nec togatorum doctiſſimus Varro, ut Satyras ſcriberet eo modo, ac Martianus Capella ſuum opus de *nuptiis Philologiæ*: ut omittam, ſi res ita ſe quidem haberet, potiori jure Horatianas odas & Pindaricas, præſertim dithyrambicas, *Satyras* dicendas eſſe. Sed omnino falſum eſt Ennium, & Varronem in una eademque Satyra varia ſimul & diverſa metra adhibuiſſe, quicquid ſomnient ii, qui ex paucis oppido verſibus, & male cohærentibus inter ſe nova ſtatim συςηματα deducunt. Id autem libens dederim adverſariis Ennium, & Varronem non ſingulas uno metro Satyras ſcriptitaſſe, ſed alteram exempli gratia hexametris, alteram jambicis verſibus: verum enim vero hinc totum opus, ſeu integrum volumen, quod tot varia opuſcula complectebatur, *Satyra* merito dici potuiſſet: at quo jure *Satyram* ipſum opuſculum appelles? Sed de hoc *Satyræ*, de qua agimus etymo, cui potius aſſenſum præbere decet, quam ipſi ſatyrographo Juvenali? ecce tibi, ut Sat. I. apertiſſime *Satyræ* etymon oſtendit:

Quidquid agunt homines, votum, timor, ira, voluptas,
Gaudia, diſcurſus, noſtri eſt farrago libelli.

Hoc Poema igitur *Satyra* dictum eſt, quod omnigenum argumentum complecteretur, unde & lanx variis frugibus referta, *Satyra* etiam fuit appellata. Hinc minime audiendus Cæſar Scaliger, qui de *Satyra* agens

agens l. 1. Poet. c. 12. *Quamobrem*, inquit, *non a Satyra vel lege, vel lance dicta eſt, ut fruſtra, ac temere ſatagunt Grammatici. Quin has a Satyris dictas puto: cum lancibus enim prodibant, & caniſtellis pomorum omni genere plenis, quibus Nymphas allicerent.*

Ceterum *Satura*, ſive *Satyra*, quocumque tandem modo ſcribatur, idem atque unum ſemper eſt, nec cum Joſepho Scaligero in Manilium l. 5. aut cum Caſaubono in libris de *Satyra*, importunum diſcrimen illud agnoſco, ut *Satyra* dicenda ſit illa Lucillii, Horatii, Perſii, Juvenalis, quæ *Satyris* ob dicacitatem originem debet: *Satura* vero, aut *Satira* illa Ennii, & Varronis, quæ ab *Satura* lance dicta eſt, quod varia metra, & res pariter miſceret. Etenim ſive *Saturam*, ſcribas, ſive *Satyram* idem atque unum reputandum eſt; & ipſos quidem *Satyros*, *Saturos* dicere quis vetat more antiquo, niſi conſuetudo illa, quæ jam inducta eſt ſcribendi *Satyram*, & *Satyrum*, & *Saturam* & *Saturum*, ut differentia aliqua eſſet inter *Satyram*, poema, & *Saturam* lancem, atque inter *Satyrum* Tityrum, & *Saturum* ſatiatum? Quamobrem cum bene utroque modo ſcribatur, & eodem ſenſu, recte monet doctiſſimus Heinſius l. 1. *de Satyra Horatii* non eſſe a communi ſcribendi per *y* conſuetudine recedendum. Sed de ſemita in viam: *Satyra*, ſive *Satura* proprie nomen eſt adjectivum fœmineo genere ex *ſatur*, ideſt *abundans*: itaque lanx *Satura* eſt, *lanx abundans variis frugibus*: *Satura* offa, aut placenta eſt, *quæ variis ciborum generibus refercitur*: ſic etiam *Satyra* cantio, aut cantilena, ſive aliquid hujuſmodi nomen intelligas, poema, *quod omnigenum amplectitur argumentum* (alio flexu protulit Petronius, qui opus

ſuum *Satyricon* inſcripſit, ideſt opus, cujus materia eſt *quidquid agunt homines*): *Satura* lex νομ@ πολλα περιεχων, *lex multis aliis legibus conferta*: de qua pauca hic etiam delibemus.

Feſtus optime legem *Saturam* interpretatur *legem multis aliis legibus confertam*, ut Gloſſæ νομ@ πολλα περιεχων: nec aliam notionem habere poterit vox illa, ſi ea diligenter expendas, quæ adhuc de voce *Satur* nobis fuſe diſputata ſunt. Nihil hic in eis explicandis veterum locis allaboro, quæ Feſtus ibidem citat, cum tamen nihil ad legem Saturam faciant: ſatis enim hæc diligenter excuſſit eruditiſſimus Mazochius in *Tab. Heracl. p.* 480. quem adeas pluribus de hac lege differentem: licet & ante Mazochium hæc viderint alii, & ne pluribus morer, vidit etiam in ſuo lexico doctiſſimus Facciolatus. Igitur cum dicimus per *Saturam* aliquid facere, ideſt *per confuſionem*, *confuſe*, ducta eſt metaphora a *lance* illa potius, quam a lege *Satura*. Hinc alia eſt lex *Satura*, alia lex per *Saturam* lata; illa enim eſt lex ſimpliciter, quæ multis legibus conſtat; hæc vero, quæ confuſe ferebatur, atque uno rogatu plura ſimul capita complectebatur, non ſingula nominatim. Vetitæ igitur non leges *Saturæ*, ſed leges *per Saturam* latæ, ut fuſe loc. cit. contendit doctiſsimus Mazochius, qui tamen adeo obſcure, & confuſe iſthæc ſcripſit, ut dedita opera, dum de lege *Satura*, & formula *per Saturam* agit, ſeſe argumento ipſi accomodaſſe videatur. Sollemne autem eſt Romanis Legislatoribus ea omnia abrogare, quæ *per Saturam* fierent, ut notum doctioribus: ita in *exheredatione liberorum*, qui filium in poteſtate habet, curare debet, ut eum heredem inſtituat, vel exheredem *nominatim*

fa-

faciat: quod etiam in poſthumis obſervari juſsit Juſtinianus, quos placuit non aliter recte exheredari, niſi *nominatim* exheredentur: ita ut, cum feminini ſexus perſonas vel *nominatim*, vel *inter ceteras* exhæredari in more fuerit, ſi tamen eas *inter ceteros* exhæredare vellent, aliquid ipſis legare debebant. *L.* 2. *inſt. t.* 13. §. quod tamen minime neceſſe erat apud veteres, qui eas perſonas exheredare poterant vel *nominatim*, vel etiam *inter ceteros* hoc modo: *Cajus filius meus hæres eſto, ceteri exhæredes ſunto:* Græci dicerent, *οἱ δε λοιποι παντες εςωσαν αποκληρονομοι*, ut legitur in teſtamento Gregorii Nazianzeni. Hinc & lex Fuſia Caninia ſervos confuſe, permiſte, ſeu *per Saturam* vetuit manumitti, ſed omnes nominatim, & diſtincte. Nolim hic aliena a propoſito, & noſtris ſtudiis, nam aridula mihi ſapiunt, percenſere Horatiani moniti ſat memor, *tractent fabrilia fabri:* non poſſum tamen, quin pauca patienter addam de *Lege Julia Miſcella.*

Non deſunt ex numeroſiſſima Juriſconſultorum familia, qui ut legis *Fuſiæ Caniniæ* a quodam *Fuſio Caninio*, ita *Miſcellæ* neſcio a quo *Julio Miſcello* originem deducunt. Hæc olim æquius ferebamus, cum Bartoli, & Baldi peruncti fæcibus ora Juriſconſulti regnum tenerent eloquentiæ: at nunc quis ferat elegantiſsimum Gravinam, qui *De legibus, & Senatus Conſultis c.* 56. legem *Juliam Miſcellam* multis contendit a nebulone quodam *Miſcello* ſic appellatam? Cujacius legem *Juliam Miſcellam* ipſius Papiæ aliquod caput fuiſſe rebatur ſic dictam, quod utrumque ſexum complecteretur, dum & maſculis cœlibatum, & feminis viduitatem imperaret: quam ſententiam haud ſcio an merito rejecerint viri docti,

cum

cum ſexcentæ in veteri jure occurrant leges, quæ ſexum utrumque comprehendant: alii, quod veteri juri Legis Papiæ, quæ cœlibatum, & viduitatem rejiciebat, aliqua ex S.C. moderatio inſita fuerit: Jacobus Gothofredrus, quod ex lege Papia, & Mutiana cautione ſimul conſtaret. Sed cum hæc lex Julia Miſcella minime exſtet, & vix aliqua ejus occurrat apud veteres mentio, quis umquam divinaverit, quot, quæve præterea capita contineret? Omnino legem *Saturam*, & *Miſcellam* idem unumque eſſe putandum eſt. Lex *Satura* eſt quævis lex, *quæ plures ſimul leges comprehendit*, eodem modo definiri poteſt lex *Miſcella*, cujus vocis notionem omnes ſciunt. Suetonius in *Calig.* c. 20. *miſcellos ludos Lugduni edidit*, ideſt ludos, in quibus *vària* ſpectacula *confuſe*, & nullo ordine exhibebantur, licet alii a confuſis conſeſſibus nomen repetant: Juvenalis Sat. 11. v. 20. eos ludos *miſcellanea* appellat: *veniunt ad miſcellanea ludi*: ubi *Ludi* poſuit Satyricus pro *Ludii*, ſeu *Ludiones*. Apuleius l. 3. c. 4. *Metamorphoſeωn* turbam hominum cujuſcumque ordinis, & conditionis *miſcellaneam* appellavit; hinc & *Miſcelliones* apud Feſtum, ideſt *qui non certæ ſunt ſententiæ*, *ſed variorum*, *mixtorumque judiciorum*, ut ipſemet explicat. Sic apud Gellium legere eſt *doctrinam miſcelleneam*, *variam*, *& quaſi confuſaneam* l. ult. c. 11. & *miſcellas columbas* apud Varronem l. 3. R. R. c. 7. ideſt *varii generis*, ſeu ex agreſti, & domeſtico miſtas. Sed hæc quidem vulgaria, & e trivio petita: aliud afferam, quod nemo adhuc, quem ſciam animadvertit. Frequentiſſimus librorum *Miſcellaneorum* titulus eſt apud Criticos noſtros, qui librum varias exercitationes, diſſertationes, obſervationes complectentem nun-

cu-

cupant *Miſcellaneum*: veteres Latini id doctius dicerent *Obſervationes per Satyram*, *Exercitationes per Satyram:* quod ne mirentur ii, qui hujus vocis vim adhuc minime inſpexerunt, teſtem locupletiſſimum afferam Peſcennium Feſtum, qui ſuos variæ hiſtoriæ commentarios inſcripſit: *Peſcennii Feſti Hiſtoriarum per Satyram libri:* ut colligo ex Lactantio, qui *Inſtit. div. l.* 1. *de fal. Rel. c.* 21. narrat Carthaginienſes Saturno humanas hoſtias ſolitos immolare, atque id refert ex Peſcennio Feſto in *libris hiſtoriarum per Satyram:* quod quidem male acceperunt viri docti, qui in indice auctorum ad Lactantium, inter alios *Feſtum Satyrum* collocarunt, ut *Julium Miſcellum* apud Gravinam. Idem igitur ſonat *lex Satura*, & *Miſcella*, atque utraque legem denotat plura complectentem. Ceterum quemadmodum *Saturæ* nomen peculiari legi cuidam veteres tribuerunt, ita etiam hanc Juliam, *Miſcellam* appellarunt, cum utraque plures ſimul leges comprehenderet: ita duabus legibus, *Saturæ*, & *Miſcellæ* nomen adoptarunt, quod omnibus dari poterat, quæ plura ſimul capita complecteretur.

Hæc habui, Jacobe doctiſſime, quæ dicerem de voce *Tityrus*: plura quidem corraſeram, ſed ſciens parco, ne videar ελεφαντα εκ μυιας ποιειν. Nam quot quæve de *Tityris* mutuari poſſem ex Aeliani interpretibus præſertim Perizonio, ex Caſaubono ad Theophraſti, & ad locos Athenæi quos ſupra attulimus? De *Siſyra*, & *Siſyrna* quid Pollucis interpretes, quid Valeſius & Lindebrochius ad Amman. Marcell. l. 16. c. 5. & Jungermannus in Longum l. 2. commodatum non dediſſent? De *Satyris* vero, ut mithologos taceam, ſelectiora quædam etiam præbuiſſet diſſertatio illa, quæ extat inter diſſerta-

ta-

tationes clariſſimæ Cortonenſis Academiæ Tom. IV. *ſopra gli Dei de' boſchi*. Nemo autem mihi moleſtus ſit, ſi cum de *birciformis* Bocharti *dæmonibus* agerem, lubens ſilentio involvi, quæ de *Satyro* illo dici poterant, quem cum Divo Antonio Monachorum primipilo locutum aſſerit Hieronymus: ſatis ſit dumtaxat id legere, quod ea de re appoſuit doctiſſimus, & acerrimi ingenii P. Zacharias in t. 1. par. 3. p. 481. ineſtque titulus: *ſaggio critico della Letteratura ſtraniera*: ſed Satyri, & Sileni eſſentne revera, & mortaleſne, an immortales, ipſi veteres ambigebant: Vide Pauſaniam l. VI. c. 24. qui teſtatur *Sileni* ſepulcrum eſſe apud Hebræos: adeatur Voſsius ad Melam p.48. & Kuhnius in Pauſaniam. Vir multæ lectionis Thomas Crenius in præfatione ſui *Muſæi philologici* agens de locis illis Levitici, & Iſaiæ, quos ſupra expendimus, tot varias affert interpretationes ex veteribus Patribus, recentioribus Theologis, Criticis, Philoſophis, ſacrarum litterarum interpretibus tam noſtris, quam heterodoxis, ut centum, aut plus numerare liceat auctorum opiniones. Illud autem mirabitur quiſque, inter tot variorum auctorum ſententias, quas ſollerti labore collegit ibi Thomas Crenius, deeſſe Thomæ Crenii interpretationem. Ita nimirum hujuſmodi homines *in craſſo Boeotorum aere nati* ſibi ipſi eruditiſſimi videntur, dummodo, congeſtis aliorum laboribus, librum faciant auctiorem, & proprio fronti olivam decerptam undique præponant. Ego vero Martorelli eruditiſſime, (a te ſiquidem occæpit ſermo, atque ad te demum ut redeat, res poſtulat) cum grande, & immortale tuum illud opus, Hebræis, Græcis, Latiniſque gazis locupletiſſimum, de *Theca Calamaria* ſæpe, & diligenter quidem evolverem, nec te

aliud

aliud in elaboratiſſimis illis commentariis ſpectaſſe animadverterem, quam aut ſemper nova, & antehac ignota doceres, aut lucem tenebricoſis adhuc, & male intellectis veterum locis, aut medicinam corruptis, praveque emendatis opportunam afferres: nil aliud in hiſce exercitationibus magis mihi in animo fuit, quam ut tuis ſemper veſtigiis inſiſterem, & magnorum virorum Spanhemii, Pauvii, d'Orvillii, Alberti, Weſſellingii, Raymari, ut Italos taceam, aliorumque, quos merito criticos appelles, non circumforaneos narratores, qui ingentia ſæpe per ſatyram volumina ex variis teſſellis, & emblemate velut vermiculato conferruminant. Defuerunt quidem mihi identidem vires, fateor, & auctorum locos forſitan obſcuriores reddidi, quibus lucem afferre conabar. Sed voluiſſe affatim eſt in arduis rebus: des veniam facilis, JACOBE doctiſſime, adoleſcenti, quem vix tertium luſtrum emenſum ad ignopugnam ſtatim ex privata umbra deſcendiſſe non ignoras. Nolo meam ipſe hic cauſſam agere: ſcio quanti apud te ſit Homeri auctoritas, ejus verſibus te mihi nunc patronum adſciſco, apud quem *Iliad*. 23. *v*. 589. ſic Antilochus adoleſcens ad Menelaum:

Ανσχεο νυν· πολλον γαρ εγωγε νεωτερος ειμι
Σειο, αναξ Μενελαε· συ δε προτερος, και αρειων·
Οισθ' ὁιαι νεου ανδρος ὑπερβασιαι θελεθουσι.
Κραιπνοτερος μεν γαρ τε νοος, λεπτη δε τε μητις.

VIRO DOCTISSIMO

BAPTISTÆ PASSERIO.

CUm primam harum Exercitationum Jacobi Martorellii nomine exornaſſem, ſedulo quærere inſtitueram virum, & Martorellio in litteris parem, & amicitia conjunctiſſimum, cui alteram hanc opportune nuncuparem. Ex tot autem bene multa amicorum copia, nemo aptior ſeligi poterat, quam tu, Præſul ampliſſime, cujus penitioris omne genus litteraturæ ſtudium, ingenium, & judicii acrimoniam vel ſat pauci, vel nemo ſatis æſtimare poterit, niſi qui tui in hiſce litteris fuerint quam ſimillimi. Nam ut cetera erudita, & critica opuſcula, variaſque diſſertationes ſub ſilentio prætereram, cuinam ſatis queant expleri corda pervolvendo grande, & divinum prope opus de *Gemmis Aſtriferis?* Quis tam lynceus perpetuos de *Lucernis veterum* commentarios inſpiciet, quin nimio ingenii tui late ibi micantis ſplendore perſtrictus hæreat, aut contra quis tam cæcus ad novum illud veterum lucernarum lumen, quin oculis nictet? Et quid præterea dicam de linguæ Hetruſcæ peritia, de qua conſulturi aliquid eruditi, te unum modo, ut Phœbi cortinam, adeunt?

Hæc certe tanta ſunt, ut alium præter te Martorellio noſtro adjungere piaculum fuiſſet. Quid ſi frequentiſſimus accedat amicitiæ uſus, ut ultro citro-

que

que datæ doctiſſimæ epiſtolæ teſtantur, in quibus quidem & de me quandoque fieri mentionem, tam mihi gratum eſt, quam grata ſolet eſſe a laudatis viris commendatio. Et nuper, etiam cum Jani Vincentii Gravinæ τȣ μακαριτȣ (cujus inſtitutis informatum te ipſemet lubens teſtaris) opuſculum *de Poetarum diſciplina* verſione elegantiſſima, & doctis adnotationibus auctum typis excudere in animo ſit, id Martorellii nomine exornaturum ultro ad ipſum datis litteris pollicitus es. Quæ quidem res non parva cauſſa fuit, ut ego, qui Martorellii noſtri μαθητην δεχομαι ειναι, hanc mearum Exercitationum alteram de *Ficu Ruminali*, *Alba*, *&* *Ara maxima* tibi, PASSERI doctiſſime, nuncuparem: quam eo gratiorem tibi futuram confido, quo eam a me maturius etiam ante editum Gravinæ opuſculum accipies. Age igitur, nec te morantem diem frangere aliquando, horamque noſtris opuſculis impendere pigeat. Quemadmodum enim mundæ cœnæ ſub parvo etiam pauperum lare ſine oſtro, & aulæis ſollicitam explicant frontem aliquando divitibus, quibus gratæ plerumque vices hujuſmodi eſſe ſolent: ita etiam ab Hetruſcis illis monumentis, quorum laborioſiſſimam moliris συλλογην, & ab clariſſimi Gorii Diptychis, quibus poſtremam manum jam es impoſiturus, ad noſtras nugas identidem divertere, non modo nullam id moleſtiam, ſed & non parvam etiam voluptatem tibi exhibiturum confido.

EXERCITATIO SECUNDA

De Ficu Ruminali, Alba, & Ara Maxima.

I. De ficu Ruminali *quam diverſa habeant veteres. Quo in loco fuerit. An eadem, ac ficus* Navia. *Scaligeri, Salmaſii, Dacerii ſententiæ. Ficus* Rumi nales *an plures. Plinius emendatur, atque explicatur. Ficum* Ruminalem, *&* Naviam *eamdem fuiſſe contra Salmaſium oſtenditur.*

II. *Ficus* Ruminalis *an exſtiterit Livii ætate. Tacitus notatur. Fuit in Palatio prope Lupercal, qua Tiberis olim alveus fluebat. Tiberis* Rumon *dictus, & inde ficus* Ruminalis. *Virgilius illuſtratur. Quid* rumor, *&* murmur; *An pro aquæ* ſtrepitu *uſurpentur. Auſonius, & Claudianus notantur: Voſſio, Heinſio, & Gronovio reſiſtitur. Scaliger defenditur.* Ruminalis *ficus an etiam* Romularis. *Ovidius emendatur. Veterum, & recentiorum etyma de ficu* Ruminali *rejiciuntur.*

III. Palatium *dictum* ארמנ: Palatium *an ſit* ακροπολις. Palatium *Virgilio, quod Pindaro* πρυτανειον. *Mons* Amron *quid ſit in Amos. Verſio* των LXX. *retinetur. Vox* ארמנ *frequens in ſacris litteris quid notet.* Roma *non a* Romulo, *ſed quaſi* רמה: *Tiberis non a* Tiberino, *ſed quaſi* חבר: *Numiſma, in quo ficus* Ruminalis, *illuſtratur.*

IV. *Numiſma cum* ilice, & ſue. *De* Alba. *An eadem, ac hodie* Albanum. *Livius illuſtratur.* Alba *an prope Tiberim.* Litus *quid. Lanuvium, Laurentum, Lavinium diverſæ urbes. Strabo emendatur.* Albam, *quis ædificaverit. Virgilius illuſtratur. Ex urbibus* Alba, Roma, Lavinio, Troja *quænam Æneæ in Italia promiſſa.*

V. *Ex dictis urbibus nullam Æneæ promiſſam fuiſſe oſtenditur.* Trojæ *nomen, cui loco datum in* Latio. *Ardea etiam* Troja *dicta. Stephanus explicatur, rejectis Holſtenii, atque aliorum conjecturis. Urbs ab Ænea prope Tiberim condita. Virgilius, & Livius illuſtrantur. Urbs prope Tiberim dicta* Alba. *Fabula de ſue alba expenditur. Lycophron ceteris accuratior.*

VI. *Inſulæ, urbes, montes multis in locis ex* Albo *nomen ſæpe traxerunt.* Alpus, & albus, *an idem ac* altus. Albi *epithetum, variis locis datum apud Homerum.* Albis *flumen Germaniæ* Albus, *&* Alba *dictus. Tiberis etiam* Alba. *Stephanus illuſtratur, rejecta Cluverii, & Berchelii emendatione. Multa de Tiberi,* Alba, Albula *obſervantur.*

VII. *De* Ara Maxima. *Locus*

Li-

Livii expenditur. Variæ veterum ſententiæ de Ara maxima. Baulis *unde dictus.* Ara, *quo in loco, cui dicata, & a quo: diverſa ab ara* Jovis Inventoris. *Ara* Herculi *dicata in foro* Boario; *& hæc* maxima. Ara Jovi *dicata ad portam* Trigeminam. *Dujatii error. Virgilius laudatur. Ovidio, Propertio, Virgilio reſiſtitur. Livius illuſtratur ex Strabone. Tacitus explicatur.*

VIII. *Ara* Herculis, & Jovis Inventoris *eadem Salmaſio viſa, ſed confutatur. Solinus illuſtratur. Ara Jovis inventoris an* maxima. *De* Caco *veterum diſcrepantia. Falconius notatur. Livius, & Tzetzes defenditur.* Aram *an ipſe ſibi erexerit Hercules.*Carmenta *an proprium Nicoſtratæ nomen.* Ara maxima *an intra Sacellum. Herculis* Victoris, *&* Triumphalis *ædes quo in loco.* Sacrificulus *quid Solino.*

IX. Viſceratio *quid ſit, &* perpetuus bos *apud Maronem. Livii locus obſcuriſſimus illuſtratur.* Sexcennaris *quid ſit. Dujatio, Gronovio, Facciolato reſiſtitur.* Sacena, ſcæna, Seſcena *quid. Feſti vetus lectio retinetur. Novus Mazochii conatus rejicitur. Veterum ſcribendi ratio* cs *pro* x *quot tenebras Livio offuderit. Vox* etaros *quid notet. Ætatis in victimis, veteres habuiſſe rationem oſtenditur ex Latinorum, Græcorum, atque Hebræorum conſuetudine. Jovi cur* quinquennalis *bos immolatus apud Homerum.*

X. *Salmaſii objecta de* Ara maxima *diluuntur.* Ara maxima *una. Ara maxima cui nomini inſtituta. Delrius defenditur contra Salmaſium.* Nomen *quid ſit. Velleji locus obſcuriſſimus illuſtratur, exploſis aliorum emendationibus. Ovidii locus contra Salmaſium expenditur. Salmaſii* συςημα *de* Ara maxima *quam importunum, & contra veterum ſententiam.* Aram *ab Hercule erectam* Jovi inventori *fuit prope portam* Oſtienſem. Ara maxima Herculi *erecta a Potitiis, & Pinariis* in foro Boario. *Dionyſii Halicarnaſſei præ ceteris diligentia.*

TUm multus de Græculorum fide ubique rumor, tum ille in ore omnium criticorum ſermo increbuit, Græcos in veteri ſuæ gentis potiſſimum hiſtoria tot mendacia effutiſſe, quot verba: unde illa inter veteres ſcriptores diſcrepantia, ut nec umquam fere inter ſe conciliari poſſint, & periculoſæ aleæ plenum opus ſit in tanta rerum varietate unum ſibi viæ ducem veluti, & comitem deligere, quem tutus per omnia ſequi poſſis. Quo jure hanc Græcis notam

tam

tam cenſores noſtri inurant, ipſi viderint. Non is ſum, ut quidquid e Græcorum prodiderit officinis, id tamquam Cælo delapſum cuſtodiam, & venerer: illud tamen multis hic docere poſſem Latinos in Romana hiſtoria longe magis canoras nugas identidem nobis venditaſſe, quam Græcos: quorum quidem in fingendis fabulis ſtudium cum vellent æmulari, nullo umquam pacto feliciſſimam illam Græcorum artem in excogitando aſſequi potuerunt. Vel conſulat quiſque primordia, & origines rerum Romanarum: quot deliramenta ab ingreſſu Æneæ in Italiam uſque ad Urbem conditam reperiet? Nil ſimile in tota Græcorum hiſtoria, qui licet & plura, & ſæpius fingant, id tamen & apte faciunt, & opportune, & in iis tantum, quæ ſibi, totique Græcanicæ genti decori ſint, atque ornamento: cum veteres Romani ea inconſulto ſæpiſſime obtrudunt, quæ nec hiſtoriam ornent, nec hilum ſibi proſint, imo & dedecus afferant aliquando, ut merito Caſſianum illud occentari poſſit, *cui id bono?* Hæc minime attigiſſem, niſi in ſecunda hac Exercitatione nodi aliquot ex Romana hiſtoria ſe nobis obtuliſſent, adeo inter ſe confuſi, atque implicati, ut cum vix me ſolvendo parem eſſe viderem, conſilium mutaſſem ſtatim, meque ad alia convertiſſem, niſi vetus illud admoneret adagium: *Tute hoc intriviſti, tibi eſt devorandum*. Sed nolo hic diutius προαυλίζειν. Unum moneo me eas tantum fabulas in ſcænam ſpectandas producturum, in quibus critico homini, & erudito priores partes demandari opus eſſet, hac enim perſona in medium prodire jam uſque ab initio ſatius duximus: eas autem conſulto ſelegiſſe, quæ & affiniores eſſent argumento, & eaſdem fere haberent πε-

ριπετειας, uti in *Ficu Ruminali*, quam ex duabus unam facimus, in *Alba*, quam duas ex una, nec diſſimili eventu ex una *Ara maxima* duas novo prorſus genere μεταμορφοσεως, quod vel invitos animum advortere cogat ſpectatores: hæc autem eo ordine diſponimus, & veluti conglutinamus inter ſe, ut jam non tres, ſed una tantum fabula videatur.

I. Livius de Romulo, & Remo l. 1. c. 4. ait: *In proxima alluvie, ubi nunc ficus Ruminalis eſt (Romularem vocatam ferunt) pueros exponunt*. Ficum *Ruminalem* prope Tiberim fuiſſe, præſertim in illa alluvie, & omnes auctores aſſerunt, & ex ipſa Remi, & Romuli hiſtoria ſatis patet: ſed non ideo cum imperitis Romanarum rerum ſcriptoribus locus nunc ad Tiberis ripas quærendus eſt, ubi *ficum* fuiſſe veteres memorant. Neque enim in eodem, quo Tiberis nunc, alveo fluebat, & Livii etiam ætate *Ruminalis ficus* non prope Tiberim, ſed media in urbe ſita erat. At quo in loco? vix veteres conveniunt, ne dicam recentiores, cum alii in Comitio, alii ad Germalum, alii ad Curiam, alii ad Lupercal collocent. Doctiſſimus Salmaſius in Solinum p. 1136. poſt multa, quibus utramque paginam implet, clare oſtendit veteres tot nugas de *Ficu Ruminali* tradidiſſe, ut prope inſaniſſe videantur: tandem omnem ipſe litem dirimens duas *Ficus Ruminales* agnoſcit, alteram in Germalo, alteram in Comitio, & primam quidem veram fuiſſe *Ruminalem*, quæ Romulum, Remumque texerat, alteram vero *Naviam*, ſic dictam ab Actio Navio Augure, qui eam ſponte in Comitium tranſire juſſit, ut narrant Feſtus, Plinius aliique; hanc autem in memoriam illius in Germalo *Ruminalem* quoque dictam eſſe: unde cum vete-

res auctores diſcrepent ſæpe inter ſe de ficu *Ruminali*, ideo factum hoc putandum eſſe, quod modo illam intelligant vere *Ruminalem*, modo hanc *Naviam*, quæ *Ruminalis* quoque fuit appellata. Contra Joſephus Scaliger in Feſtum pluribus contendit unam eandemque fuiſſe ficum, quæ ob varia eventa multis etiam nominibus fuerit inſignita: ſed hæc ægrorum ſomnia videntur Salmaſio, qui contra Scaligerum non modo ficum *Naviam* a *Ruminali* diverſam, ſed & *Naviam* dictam *Ruminalem*, ideoque duas *Ruminales* ficus oſtendere conatur. Andreas Dacerius, qui ſuis ad Feſtum adnotationibus colligens, quos ſibi ex uberrima ſegete manipulos Scaliger reliquerat, Feſtum pro virili juvare conatus eſt, ad trutinam utriuſque partis revocans argumenta, rejecta tandem Scaligeri ſententia, ſecundum Salmaſium decernit. Sed libet nunc ad te provocare, BAPTISTA eruditiſſime, neque enim hujuſmodi Dacerii hariolationibus ſatis acquieſco.

Magnum utriuſque partis argumentum, quo tota velut cardine volvitur ſummorum virorum controverſia, eſt corruptiſſimus locus Plinii l.15.c.18. qui ſic habet. *Colitur ficus arbor in foro ipſo, ac Comitio Romæ nata, ſacro ibi fulguribus conditis: magiſque ob memoriam ejus, quæ nutrix fuit Romuli, & Remi conditoris appellata, quoniam ſub ea inventa eſt Lupa infantibus præbens rumim (ita vocabant mammam) miraculo juxta ex ære dicato, tamquam in Comitium ſponte tranſiſſet. Adacto navigio aliquareſcit, rurſus cura ſacerdotum ſeritur*. Hæc Plinii corruptiſſima verba ſic acutiſſime Scaliger, & poſt eum Salmaſius reſtituit: *Colitur ficus arbor in foro ipſo, ac Comitio Romina* (ita Scaliger emendat τo *Romæ nata*, Salmaſius vero *ad Comitii aram enata*)

ta) *ſacro ibi fulguribus conditis: magiſque ob memoriam ejus, quæ nutrix fuit Romuli, & Remi conditoris, appellata, quoniam ſub ea inventa eſt Lupa infantibus præbens rumim* (*ita vocabant mammam*) *miraculo ex ære juxta dicato, tamquam in Comitium ſponte tranſiſſet, Actio Navio Augure: areſcit, rurſuſque cura ſacerdotum ſeritur*. Hinc Scaliger docte infert *ficum Ruminalem*, & *Naviam* unam eandemque fuiſſe ; quem tamen, quaſi Plinii verba minime intellexerit, notat Dacerius in Feſtum, & cum Salmaſio ita locum obſcuriſſimum explicat, veluti ſi Plinius diceret, in Comitio fuiſſe ficum *Naviam* (ideo τὸ *Rominam* Scaligeri ſedulo rejiciunt) quæ ob memoriam alterius ficus in Germalo *Ruminalis* appellatæ, ipſa quoque *Ruminalis* dicta eſt, licet *Navia* vocanda ſit ab Actio Navio Augure, cujus dicto audiens ficus ſponte in comitium olim tranſit. Piget ſummos viros hic adeo cæcutiſſe ut ne ea quidem viderint, quæ eſſent in propatulo. Non dicit Plinius Ficum *Naviam* appellatam eſſe *Ruminalem* ob memoriam ejus ficus *Ruminalis*, quæ erat in Germalo, ſed ob memoriam *ejus*, *quæ nutrix fuit Romuli*, ideſt *ejus nutricis*. Quod ſi ita eſt, plane hic auctor ineptivit: quid enim? Ficus *Navia* appellata eſt *Ruminalis* ob memoriam Lupæ nutricis Romuli: quid ad rem? ob memoriam ficus *Ruminalis* dicere debuerat, quod tamen contra eſt: quid tum? *ob memoriam nutricis*, *quoniam ſub ea inventa eſt lupa*, vellem inveniant viri docti, cuinam referri debeat τὸ *ſub ea*: ad ficum *Ruminalem* certe, ſed hic nulla mentio ficus *Ruminalis*, cum τὸ *ejus* ad *nutricem* referendum ſit: an igitur ad ficum *Naviam*, de qua agit in principio? Verum ſi ſub ficu *Navia* lupa mammam præbuit Ro-

 mu-

mulo, & Remo, certe ficus *Navia* eadem eſse debet, ac *Ruminalis*, quod tamen negant viri docti.

Hæc ſi vidiſſent Salmaſius, & Dacerius alio ſenſu accepiſſent Plinii verba, quibus nil aliud ipſe narrare videtur, quam *Ficum* illam, quæ erat in Comitio, vulgo *Naviam* appellari, quod illuc juſſu Navii auguris ſponte ſua tranſiſſe putabatur, ab aliis vero, & frequentius *Ruminalem* vocitari, quod ſub ea Romulum, & Remum Lupam aluiſſe fama erat: unde colligit *Ficum* illam jamdiu ante *Navium* fuiſſe, & falſam omnino de Navio augure fabulam: quam vix apud paucos fidem habuiſſe oportet, cum præter Feſtum, & Plinium cit. loc. veteres auctores ne γρυ quidem, ut dicitur, de illa: quod magis mirandum in Varrone, Cicerone aliiſque, qui etiam in iis locis, ubi de *Navio* agunt, & pluribus ejus geſta proſequuntur, de hoc maxime nota digno miraculo *Ficus Naviæ* omnino ſilent. Duas igitur veterum ſententias exponit Plinius, eorum alteram, qui Ficum illam *Ruminalem* appellabant putantes ſub ea *rumim* infantibus Lupam præbuiſſe, alteram eorum, qui tantam ei vetuſtatem denegantes ad Actii *Navii* tempora referebant, *Naviamque* ab hoc augure vocitabant. Plinii igitur locum poſt Scaligeri, Salmaſii, Harduini, aliorumque conatus corruptum adhuc, atque obſcurum ſic facile emendabis: *Colitur ficus arbor in foro ipſo, ad Comitii aram enata, ſacro ibi fulguribus conditis, magiſque ob memoriam ejus, quæ nutrix fuit Romuli, & Remi conditoris, Ruminalis appellata (quoniam ſub ea inventa eſt Lupa infantibus præbens rumim, miraculo ex ære juxta dicato) quam Navia, tamquam in Comitium ſponte tranſiſſet, Actio Navio Augure: areſcit, rurſuſque cura ſacerdotum ſeritur.*

tur. Una igitur eademque fuit *Navia* ficus, & *Ruminalis:* cujus tamen ſitum quis umquam invenire poterit, cum adeo inter ſe diſcrepent veteres, ut alii in *Comitio*, alii ad *Germalum*, alii ad *Curiam*, alii ad *Lupercal* collocent, quod quidem ſatis mirari non poſſum, cum Ficum *Ruminalem* ſuo ævo exſtare adhuc Livius, Varro, Tacitus, aliique diſerte teſtentur. Vide an veteres in partem conciliet inter ſe Pitiſci ſententia, qui in compito eam ponit, ſeu platea decuſſata, ubi duæ viæ IV, VIII, & X regionem diſpeſcebant. Ita in angulo IV Regionis *Vulcanale* fuit, & in angulo X, ſive Palatii boreali *Lupercal:* in altero autem ex duobus angulis Regionis VIII poſt Curiam, & e regione Lupercalis Ficus *Ruminalis* fuerit neceſſe eſt: quo in loco nunc ædem *S. Mariæ Liberatricis* collocant eruditi.

Ceterum hanc veterum diſcrepantiam non alio ex fonte originem ducere mihi plane perſuaſum eſt, quam ex eo, quod nulla eorum ævo prorſus eſſet Ficus *Ruminalis*. Nam quis tam bardus, ut Tacito fidem habeat narranti uſque ad annum DCCC. ab V. C. Romæ in Comitio fuiſſe *Ficum Ruminalem*? *Eodem anno*, inquit Annal. 13. c. 58. *Ruminalem arborem in Comitio, quæ ſuper octingentos, & quadraginta annos Remi, Romulique infantiam texerat, mortuis ramalibus, & areſcente trunco, deminutam prodigii loco habitum eſt.* In ſumma, cum *Ficus* illa *Ruminalis*, fortaſſe etiam ante Romuli obitum, jam diu quidem aruiſſet, nec verum ejus ſitum ſcirent Romuli nepotes, poſtquam novis ædificiorum molibus ornatus, & mutato præſertim fluminis alveo, Palatinus collis alia jam facie, & longe diverſiſſima apparuit: ideo in ejus *Ruminalis*

memoriam variis in locis ficus in Palatino ſerere cœperunt, quibus areſcentibus, ſtatim aliæ ſubſerebantur, ut Plinius loc. cit. diſerte habet de *Ficu Ruminali*, *areſcit*, *rurſuſque cura Sacerdotum ſeritur*; quod Tacito novum viſum eſſe prodigium valde miror. Hinc autem factum eſt, ut licet variis in locis *Ruminalem Ficum* veteres poſuerint, omnes tamen in Palatino colle eam collocarint. Neque hoc in dubium revocari poterit, ſiquidem ut Romulum, Remumque cupido inceſſit in iis locis, ubi expoſiti, atque educati erant, urbis condendæ, ſtatim Palatium primum muniri cæptum eſſe Livius teſtatur c. 6. expoſitos autem pueros ſub *Ficu Ruminali* idem c. 4. affirmarat; fuit igitur certe *Ficus* in Palatio, ſeu colle Palatino: quo tamen in Palatii loco juxta cum ignariſſimis ſcio. Adi quæ paulo ſuperius de ejus ſitu diſſerebam, quibus addo eorum vero propiorem videri ſententiam, qui non longe a Lupercali eam collocant: ad ripas enim Tiberis fuiſſe neceſſe eſt, aut certe quouſque Tiberis ſuper ripas effuſus in illa alluvie pervenire poterat.

Tiberim autem per Lupercal antea labi ſolitum teſtatur Honoratus ad 8. *Æneid.* v. 90. ubi etiam *Ruminalem* hanc *Ficum*, quaſi *Tiberinam* dictam eſſe contendit, eo quod prope Tiberim erat, quem *Rumonem* veteres appellabant: atque ita Virgilii illud explicat loc. cit.

Ergo iter inceptum celerant Rumone ſecundo.

quaſi diceret *favente*, & *ſecundo Tiberi*. Macrobius l. 6. Saturn. c. 1. legit:

Ergo iter inceptum peragunt rumore ſecundo.

Quam lectionem firmare conatur veterum exemplis, quæ quidem quantum ad rem faciant, infra oſtendam.

Vi-

Vides autem hinc jam uſque a Macrobii, & Servii ævo hunc Maronis verſiculum varie ſollicitatum a Grammaticis, nec veram tamen lectionem, atque interpretationem ex tot criticorum commentariis elici adhuc potuiſſe. Imo & adeo ſentibus plenus hic locus nonnullis viſus eſt, ut etiam poſt *inceptum iter* viſo illo *rumone*, ſeu *rumore* perterriti conſtiterint. Sed age nos ad απροσιτον iſtud μορμολυκειον propius accedamus.

Libri editi habent *rumore ſecundo*, quod Lacerda, aliique poſt eum explicant *fauſtis acclamationibus, bonis ominibus*, ut apud Horatium *efferre aliquem ad cælum rumore ſecundo*: quam ſententiam libenter amplexus eſt in ſuo Calepini Lexico Jacobus Facciolatus, in quo ſummam ne morum elegantiam, an penitiſſimum litterarum ſtudium prius commendem? Voſſius contra, aliique non pauci τo *rumore ſecundo* explicant *undæ remis proſciſſæ ſtrepitu*, *&* *fluore ſecundi amnis*, a ῥεω, vel κατα ῥουν φερομενω, ut ait Farnabius. Prima Facciolati interpretatio licet ſatis Latina, hic tamen minus ad rem facere videtur: ſecunda Voſſii expoſitio licet ſatis quidem ad rem, non eſt Latina. *Rumor* nil aliud eſt, niſi *ſermo*, *qui incerto auctore per populum diſpergitur*: unde ſæpe pro *fama* accipitur, ut apud Livium l. 27. c. 20. *Marcellus etiam adverſo rumore eſſe, quod male pugnaverat &c.* Et quod Horatius l.2. od.2. dixit, *illum aget penna metuente ſolvi Fama ſuperſtes*, ſic expreſſit Martialis l.10. ep.3. *Quos rumor alba gemmeus vehit penna*. Eandem ſignificantiam habet vox *murmur*, ut apud Maronem *magnoque virum ſe murmure tollit*, quod opportune Scaliger Poet. l.IV. c.16. explicat, *effert ſe ſecundo rumore*. Sed non idem utrique voculæ fatum: *murmur* enim pro *aquæ leni ſtrepitu* ſæpiſſime apud veteres acceptum,

ceptum, ita ut hæc prima ejus ῥήσεως notio habeatur non a Lexicographis modo, ſed ab ipſo Tullio 3. *de Orat.* cum contra τὸ *rumor*, nec pro aquæ ſtrepitu, nec pro quocumque fragore, unquam uſurpetur, ut vulgus nunc barbare abutitur. Hinc recte acerrimus Poetarum cenſor Cæſar Scaliger l. VI. *Poetices* canentem ſigillat Auſonium:

Subterlabentis tacito rumore Moſellæ.

Et Claudianum Epithal. Honor.

Nec non & variis vectæ Nereides ibant,
Audito rumore feris, &c.

Quod fruſtra conatur defendere doctiſſimus Joannes Fridericus Gronovius *Obſervat.* l. 2. c. 16. neque enim ad rem faciunt tot Græcorum, & Latinorum Poetarum, quæ ſedulo undeunde corraſit exempla, in quibus littora, maria, flumina *clamare*, *reclamare*, & βοάζειν dicuntur; neque enim clamorem iſtum, & ſtrepitum flumini tributum, ſed hac τὸ *rumor* ſignificatione male ab Auſonio acceptum queritur Cæſar Scaliger. Nec quidquam ſupra allatus Poetæ locus Auſonium juvat:

Ergo iter inceptum celerant rumore ſecundo.

hic enim vel *Rumone* cum Servio legi debet, cujuſmodi antiqua ex Pontificum libris eruta vocabula ſæpe gravitatis cauſa ſuo Poemati Virgilius inſeruit: vel ſi vulgatam lectionem retinere libet cum Facciolato ita explicandum erit, ut idem ſit, ac *fauſtis acclamationibus*, quam ſententiam non invitus amplectetur quiſquis ſciet in codice Mediceo pro *celerant* legi teſtante Pierio, *celebrant*, quod huic interpretationi quam maxime favet. Quam facilis autem ſit in antiquis libris harum vocum permutatio ſatis patet ex celebri contentione de Semilano lapide inter Fabrettum, & Mazochium, atque inde inter

ter Mazochium, & Martorellium ob vocem *celebris*, & *celeris*. Adi ipſum p. XXXIX. in additamentis ad *Thecam Calamariam*, atque huic litem adjudicandam fateberis.

His ſcriptis, conſului luculentiſſimam Virgilii editionem opera, & ſtudio V. C. Petri Burmanni, cujus copiam mihi fecit vir humaniſſimus, nec minus elegantiſſimis moribus, atque avita nobilitate commendandus Severus Carminianus. Ibi autem primus Fabricius occurrit, qui ſtatim admonuit: *Rumore ſecundo, quid ſit pauci intellexerunt*. Ipſum tamen Fabricium ex paucis iſtis non fuiſſe exiſtimo, dum explicat *fluore ſecundi amnis*, aut *fauſtis acclamationibus*. Catroæus interpretatur, *flumine placido, & nullum fere ſonitum edente;* cujus ſententia eadem in trutina ponenda eſt, ac Fabriciana. Importunior ceteris Venetus, qui, *rumore ſecundo*, inquit, ideſt *fama ſilente:* quod quidem quid ſit juxta cum Davo intelligo. Hanc Veneti ſententiam rejicit Pierius, & ſuam obtrudit de *plauſu nautico:* cui ut ceteros taceam (neque enim lectorem obtundere velim, ſi, quid ſinguli interpretes hic afferant, moroſa diligentia perſequi ſatagam) ſubſcripſit doctiſſimus Heinſius, & poſt eum eruditi omnes: ita ut quaſi firmum Senatusconſultum publicis tabulis conſignari curaverit eruditiſſimus Facciolatus. Vellem hic eos, qui alia omnia ſenſerunt, adducere, Servium, qui legit *Rumonem*, mss. Sprotianum, Hamburgicum, Moretanum, Excerpta Burmanni, in quibus *Rumone ſecundo*, uti & in Zulichemio, quod poſtea cum minime intellectum ſit, e manu ſecunda *rumore* cum gloſſa *omine* additum: ſed cum longe plures ſint in illam partem, vereor ne iſtis licet minime adſentientibus, ratum tamen Senatusconſultum habeatur. Satius igitur erit me ve-

veluti ex criticorum plebe Tribunum huic Senatus auctoritati intercedere, cum minime e litteraria Republica fore eam animadvertam.

Legendum igitur in Virgilio *Rumone ſecundo*, rejecto omnino *rumore* illo, cujus gratia tot clamores inter criticos excitati. Nam vel pro *aquæ leni ſtrepitu* (& quod nunc nautæ dicerent *eſſendo favorevole la corrente dell' acqua*) *το rumor* in Marone accipiatur: & jam ſatis paulo ſuperius obſervavimus hanc ſignificantiam neminem proborum auctorum huic voci tribuiſſe. Vel pro *fauſtis acclamationibus*, *&* *bonis ominibus* explicari libeat, & hac etiam notione *το rumor* Latinis auribus abſonum eſt, licet ſupra Facciolato imprudens ipſe de hac *τȣ rumoris* ſignificantia ſim adſtipulatus. *Rumor* (ut & diminutivum *Rumuſculus* ſatis manifeſte etiam oſtendit) nil aliud eſt, quam ſermo, qui incerto auctore per populum diſpergitur: quinam igitur *rumore ſecundo* interpretari poſſumus *bonis ominibus?* Afferunt viri docti ex Ciceron. 3. *de Divinat.* veteris Poetæ verſiculum: *Solvere imperat rumore ſecundo*, *atque adverſa avi*: ſed aſciam, ut ajunt, ſuis, cruribus illidunt: nam ſi *rumore ſecundo* eſt *bono omine*, quomodo ſolvere poterant *ſecundo omine*, & *adverſa avi*; cum *avis* ſit *ominis* hic *συνωνυμον*; Idem dicendum de Svevii verſiculo, & aliis veterum fragmentis, quæ collegit Macrobius 6. Satur. c. 1. ex quibus vix verus ſenſus illius voculæ expiſcari poterit: nec dubito, quin omnia referenda ſint ad Horatianam illam *φρασιν* ſupra adductam *efferre aliquem ad cælum rumore ſecundo*, ideſt *bona fama*, ut ſatis ex Martiale etiam oſtendimus. Nec pro *plauſu* nautico, & *acclamationibus rumor* accipi poterit; hæc enim notio ex eo originem tra-

trahit, quod *rumorem* pro *ſtrepitu* acceperint cadentis Latinitatis auctores, unde poſtea *rumorem ſecundum* fremitum plaudentium nautarum ſunt interpretati.

Nec quidquam ad rem facit Taciti locus, quem affert Heinſius ex III. Annal. 29. *Utque hæc rumore ſecundo, ita adverſis animis acceptum, quod &c.* hic enim *rumor ſecundus* eſt *bona fama*, & *quæ in bonam partem populus accepit*. Contrarius huic, licet ſimillimus, Livii locus l. 26. c. 20. *Marcellus etiam adverſo rumore eſſe, quod male pugnaverat*. Huc etiam referendum Claudiani illud Epithal. Palladii v. 62.

. . . . Quæ ſic impervia famæ
Seceſſit regio, quo non rumore ſecundo
Palladii penetravit amor?

Quod male torquet Heinſius ad 8. Æneid. Quis enim non ſtatim videt *rumore ſecundo* idem eſſe, ac *bona fama?* Hæc igitur tantum vera, & legitima τȣ *rumoris* notio eſt, qua veteres aureæ ætatis auctores uſi ſunt: atque hac quidem ratione intelligendus eſſet poetæ verſiculus, ſi *rumorem* legere vellemus. Sed quid, malum erit *peragere*, *celebrare*, *celerare iter bona fama?* Nullo igitur pacto τὸ *rumor* retineri poterit, cum ſi loci ſententiæ *rumoris* ſignificationem accommodare quis velit, obſtet Latinorum auctorum conſuetudo: ſi vero ex Latinorum auctorum conſuetudine explicare, obſtet loci ſententia, quæ de *bona fama* nullo modo intelligi poterit. Legas igitur meo periculo: *Ergo iter inceptum celerant Rumone ſecundo*: quod & doctum, & Latinum eſt, & loco aptiſſimum. *Incipiunt iter Trojani, quod celerant Tiberi favente*. Nihil clarius, aut manifeſtius.

Ceterum, ut ad propoſitum revertamur, *Ruminalem*

lem ficum a *Rumone Tiberi*, quaſi *Tiberinam* dictam etiam ante Romulum melius placet, quam a Romulo ejus nomen arceſsere, itaut prius *Romularis*, poſtea corrupte *Ruminalis* fuerit appellata, quod ſentit Livius loc. cit. *in proxima alluvie, ubi nunc ficus ruminalis eſt* (*romularem vocatam ferunt*) *pueros exponunt*. Ovidius 2. *Faſt.* v. 411. contra Livium ficum eam antea *ruminalem* poſtea vero *romularem* vocatam aſserit:

. . . . Quæque vocatur
Romula nunc ficus, rumina ficus erat.

Sed quis umquam præterea hanc ficum Ovidii ætate *Romularem* dictam aſſeveret? Legendum certe, atque emendandum:

. . . Quæque vocatur.
Rumina nunc ficus, Romula ficus erat.

Ruminalem ſcilicet arborem Livius, & Ovidius *Romularem* a Romulo dictam antea putabant, & corrupte poſtea *Ruminalem*: quam tamen ex eo nomen alii traxiſse opinantur, quod pecora ibi *ruminantia* umbram captarent, vel ob puerorum lactationem, quod mammam *rumim* priſci dicerent, & præſidem educationis infantium Deam *Ruminam*, & *Rumiliam*, ut Varro in *Catone*, ſive *de liberorum educatione* apud Nonium l. XI. p. 756. *Hiſce Manibus lacte fit non vino: Cuninæ propter cunas, Ruminæ propter rumam* (lege *rumim*) *ideſt priſco vocabulo mammam, ex quo ſubrumi etiam nunc vocantur agni.*

III. Hæc, atque alia hujuſmodi (neque enim in recenſendis aliorum ſententiis tempus terere opus eſt) præter Feſtum, Plinium, Livium, Ovidium, Varronem, legere eſt etiam apud Xiphilinum, & Halicarnaſseum in primordiis Romanæ hiſtoriæ, & Plutarchum

in

in Romulo, & quæſt. Roman. qu. 56. quæ tamen omnia ſunt certe λαιροι λαιρων, ut magis adeo noſtri ævi criticos mirer, qui cum diligentiſſime nominum origines ubique inveſtigent, hic tamen ridiculis iſtimodi veterum ſententiis acquieſcant. Sed ita vivam: oleum & operam amittunt, qui nulla Hebraiſmi cognitione inſtructi rem criticam tractant. Omnino Ficus *Ruminalis* dicta eſt, quaſi ficus *Palatina*, eſt enim Phalegis *Palatium* ארמן, unde & flumini, & arbori nomen eſt. Hic rideas quæſo eorum opiniones, qui *Palatini* montis nomen importune deducunt, vel a *Palantio*, ſeu *Palanteo* urbe Arcadiæ, vel a *Pallante* avo Evandri, vel a *Pallantia* ejuſdem matre, vel a *Pallante* filio, vel a *Palatia* uxore Latini, vel a *Pale* Dea paſtorum, vel denique a *Palatinis*, qui erant in agro Reatino: quas quidem gerras vere germanas legere eſt apud Virgilium, Livium, Varronem, Plinium l. 4. c. 6. Solinum, Feſtum, Servium, Stephanum, alioſque omnes, qui aut iſthæc, aut his longe ineptiora commenta produnt de Monte *Palatino*, ſeu *Palatio*. Veteribus Latinis *palatium* idem fuit, atque ακροπολις, ſeu *ſumma urbis pars*, unde prius dictum eſt veteri lingua *Rumon*, ſeu ארמן, quod idem eſt, ac *arx*, ακροπολις, poſtea antiquato *Rumonis* cognomini vox ισοδυναμος *Palatium* ſucceſſit, quod idem ſonat, ac veteribus *Rumon*, quod nomen *Palatii* vetuſtiſſimum inviderunt nobis Græci, & Latini auctores, niſi & ipſis quoque ignotum fuiſſe putemus.

Sed tum ex nominum ipſa congruentia, tum ex ficu *Ruminali*, tum ex *Rumone* Tiberi ſatis patet *Palatium*, & idem eſſe ארמן, & *Rumonem* quoque a veteribus appellatum. Hinc etiam falli eos manifeſte apparet, qui *Palatium* eo ſenſu, ac vulgo pro *Regia*

& *Principis Sede* nunc uſurpant, Latinum non eſſe contendunt: imo ex vetuſtioris, & purioris Latinæ linguæ conſuetudine merito το βασιλειον, ſeu *Principis Sedem*, quæ plerumque etiam arcibus munitæ, *Palatium* appellamus. Atque ideo, quæ Græcis πρυτανεια *publicæ* nempe in urbe *domus*, & *ſplendidæ* dicta ſunt, ea Poetarum principi *Palatia* nuncupantur *Georgic.* I. ubi verba illa Pindari *od.* XI. *Nem. Tenedio Arceſilæ filio ſtroph.* I.

Παι Ῥεας, ἁ τε πρυτανεια λελογχας, Ἑϛια.

Sic reddit loc. cit. v. 498.

. . . . . *Veſtaque mater,*

Quæ Thuſcum Tiberim, & Romana palatia ſervas.

Quemadmodum autem *Roma* dicta eſt, quaſi *excelſa*, *edita*, quod ſonat רמה (quis enim ſibi perſuaſerit ſic dictam a *Romulo* contra omnem etymi legem? *Romulea* eſset a *Romulo* non *Roma*, & potius a *Roma* eſt *Romulus*) ita mons ille, qui hujus excelſæ urbis *arx* velut erat, & pars omnium *altiſſima* (tunc certe cum adhuc alii colles vix habitari adhuc cœperant) *Rumon* vetuſtioribus, *Palatium* vero poſterioribus appellatur: unde ficus *Ruminalis*, ideſt *Palatina*, & Tiberis *Rumon* dictus, ut Servius teſtatur: quod non de integro flumine accipi velim, itaut ubique *Rumon* diceretur, ſed tantum, qua per *Rumonem*, ſeu *Palatium* labebatur, quemadmodum *Albula*, qua parte *Albulam* urbem alluebat, ut infra oſtendam: ita enim eadem flumina ſæpe ex locis, per quæ iter faciunt, varia cognomenta ſuſcipere notiſſimum eſt. Totum autem flumen, *Tiberis*, ſeu *Tibris* appellatur, non quod *Tiberinus* Rex, ſeu Albanorum, ſeu Thuſcorum, in eo ſubmerſus interiit, ut ſomniant Livius, Ovidius, Virgilius,

lius, Dionyſius, Stephanus: cui enim hoc perſuadero poteris Grammaticorum a *Tiberino* dictum *Tiberim*? potius a *Tiberi* eſt *Tiberinus*: longe ineptiores ii, qui ſic dictum putant, quaſi flumen *injuriæ* ex ὕβρις. Sed ſi poeticas fabellas comminiſci libuiſſet, melius Latini poetæ Tiberim dictum *Albulam* eo quod *Alba* Rex alter a Latino Sylvio ibi ſubmerſus ſit, quam Albulam dictum *Tiberim*, quod in ipſum ſubmerſus *Tiberinus*. Omnino dictus eſt *Tibris*, ſive תבר quaſi *taurus*, hoc enim eſt תבר: fluvii enim cornuta facie, & *tauriformes*, ut notum vel pueris ex Græcis Poetis, & Latinis.

Hanc autem τȣ *Rumonis* originationem ex Hebraicis fontibus criticos latuiſſe eo magis miror, quo frequentius hæc vox occurrit in ſacris litteris eodem fere ſenſu, quo *Palatium* apud Latinos. Septuaginta interpretes varie hanc vocem variis in locis reddiderunt, ſæpius vero Βαρεω interpretati ſunt, ut Paralipom. l. 2. c. 36. v. 19. ubi Vulgata: *univerſas Turres combuſſerunt*, & Pſal. 47. 4. εν Βαρεσιν· Vulgata, *Deus in Domibus ejus cognoſcetur*. Languidior hæc ῥησις eſt, quam ut ארמן hoc loco reſpondere poſſit, præſertim cum præcedant illa: *Fundatur exſultatione univerſæ terræ Mons Sion, latera Aquilonis, civitas Regis magna: Deus in Domibus &c.* Eodem Pſalm. v. 14. eandem verſionem animadvertere licet. Sic etiam Lament. 2. 5. *diſſipavit Munitiones ejus*, ideſt βαρεις, ut Septuaginta, qui etiam infra v. 7. quod vulgata *in turribus ſuis*, ipſi expreſſerunt εν πυργοβαρεσιν. Nolim hic de βαρει etiam verba facere: cum tot de hac voce veteribus, & recentioribus controverſiæ excitatæ ſint, ut peculiari diſſertatione ad hoc tantum opus eſſet. Nunc ſatis eſt monuiſſe uſque ad ipſum Hieronymi ævum domus ab

omni

omni parte concluſas, & in modum turrium, publicorumque mœnium ædificatas, *βαρεις* a Palæſtinis dictas eſſe, teſtante ipſo Hieronymo in *Pſal.*44. Adeantur ſcholia in ſeptuaginta, & ſcholiaſtes Lycophronis in v. 747. in primis Potterus, & quos ibi affert vir doctus: tum Joſephus *Antiqu. Judaic.* l. 4. c. 4. de βαρει Danielis εν Εκβατανοις, quem confutat Scaliger in prolegomenis in opus de *Emendat. temp.* p. 37. adeatur etiam idem Scaliger de hac voce in notis ad fragmenta veterum Chronologorum ad Nicolaum Damaſcenum in calce nobiliſſimi operis *de emendatione temporum:* ubi pauca quidem, ſed more ſuo ceteris accuratius, & κειπκωταρως habet vir incomparabilis. Quidquid ſit, βαρις eſt vox certe pura puta Orientalis ex Chaldæo בירה quod eſt *caſtrum*, *palatium*, aut quid hujuſmodi; neque enim Græca eſſe poteſt, cum primam ſyllabam producat, ut patet ex Propertio l. 3. el. 10. v. 44.

Baridos & contis roſtra Liburna ſequi.

Ubi navis Ægyptiacæ genus ſic dictum intelligit: vide Herodot. Euterp. p. 123.

Nota etiam dignum illud in Proverb. 18. 19. ubi verterunt βασιλειον, *regiam*. In Iſaia 23. 13. τειχος 25. 2. θεμελιον, ut & Jerem. 6. 5. & Oſeæ 8. 14. *Templum* quoque vulgata, & ναον Septuaginta reddiderunt Jerem. 30. 18. Imo & ad alia quoque latius extenderunt in Iſaia 34. 13. ubi πολιν, *urbem*, & Jerem. 17. 27. αμφοδα, *vicum*, *plateam* interpretati ſunt. Latiſſime vero in Amoſo 3. 9. & 3. 10. εν χωραις, *in regionibus*, & Micheæ 5. 4. επι την χωραν, qui tamen loci ad propriam etiam του ארמון ſignificationem facile reduci poterunt: præſertim cum Vulgata in Amoſo habeat *in ædibus terræ Ægypti*, ubi Septuaginta *in regionibus*, εν χωραις.

Ve-

Verum ut amice in dictis locis conjurant interpretes, ſic contra diſcrepant in Amoſo c. 4. v. 3. ubi cum vox ארמן occurrat, mirum eſt quot turbas excitaverint viri docti. Recentiores fere omnes critici *palatium* reddunt: ſed non uno omnes modo Prophetæ verba interpretantur. Munſterus: *Palatium Regis dejicietis, ut melius fuga conſulatis.* Vatablus: *In palatium, ſeu in arcem munitiſſimam metu hoſtium vos recipiemini.* Druſius: *abjicietis ſupellectilem palatii.* Livelleus: *projicietis filios veſtros in palatium:* nec quid novi præterea afferunt Clarius, & Grotius. Hujuſmodi verſiones, & interpretationes an quidquam ad rem faciant, expendant doctiores ex integro Prophetæ loco quem apponam: *Audite verbum hoc vaccæ Baſan, quæ eſtis in monte Samariæ, quæ calumniam facitis egenis, & confringitis pauperes: quæ dicitis dominis veſtris: afferte, & bibamus. Juravit Dominus Deus in Sancto ſuo: quia ecce dies venient ſuper vos, & levabunt vos in contis, & in ollis ferventibus reliquias veſtras. Et per aperturas exibitis altera contra alteram:* Tum illa: *& dejicietis palatium, projicietis, aut abjicietis ſupellectilem palatii.* Quid hæc quæſo cum ſuperioribus Prophetæ verbis? Divus Hieronymus τὸ ארמן hic ut proprium nomen accepit, vertitque *projiciemini in Armon*, uti etiam nunc habet vulgata: & putat loca eſſe in *Armenia* hoc nomine inſignita, quod late ita receptum, ut Jonathas verterit *deportabunt illos ultra montes Armeniæ*.

Sed hæc ex prava legendi Rabbinorum conſuetudine, quæ jam Divi Hieronymi tempeſtate paſſim increbuerat: quem quidem neſcio quid impulerit, ut hic a Septuaginta longius receſserit: qui licet nomen proprium hoc loco etiam agnoverint, nec *Armon* tamen nec *Arme-*

niam

niam reddiderunt, ſed απορρίφησεσθε εις το ορ☉ το Ρ῾εμμαν: *projiciemini in montem Remmam*. Ubi nonnulli purioris hebraiſmi imperitiſſimi pro Ρ῾εμμαν repoſuerunt Αρμονα ex vulgata, cum contra ſi locum emendare libuiſset, reponendum *Remina* ex Euſebio *de locis*: Ρ῾εμινα ορ☉ εν Ησαϊα· Ακυλας, ορ☉ Ρ῾εμωνα επι της Αρμενιας· εςι δε και κωμη Ρ῾εμμων εν τω Δαρωμα· εν τε Βασιλειαις, Ρ῾εμμα οικ☉ ειδωλȣ Δαμασκȣ, *Remina mons in Iſaiæ: Aquila interpretatur montem Remonem in Armenia: eſt & villa Remmon in Darma: in libris Regnorum Remma domus Idoli Damaſci*. Ubi cum recte doctiſſimus Jeſuita Jacobus Bonfrerius moneat hoc nomen nuſquam eſse in Iſaia, certe aut memoria lapſus eſt Euſebius, aut pro *Iſaia*, reponendum *Amoſo*, apud quem hic mons, de quo loquimur, occurrit. Legitur etiam apud Euſebium *Remma* pro *Remina* in aliquibus editionibus: ſed nihil moror. Certe melior verſio, quæ & nobis magis faveat, & Hebraicæ voculæ ſtrictius reſpondeat, eſt illa Aquilæ, quam affert Euſebius, qui vertit montem *Remonem*, quam lectionem ſi quis in Septuaginta quoque inferat, moleſte non feram. Male autem legitur *Armon*, cum το א non ſit radicale, præſertim quod aliquando cum ה ſcriptum occurrat, aliquando vero ſine ulla aſpiratione, ut opus non ſit Grotii conjecturis, qui illam vere Hebræam, hanc vero Chaldæam vocem exiſtimat. Legendum igitur απορρίφησεσθε εις το ορος το Ρ῾εμωνα *projiciemini in Remnem*, montem ita dictum in Samaria, quemadmodum Romæ Latino flexu collis ille *Romon* ſeu *Rumon* appellatus, unde ficus *Romina*, & *Ruminalis*.


Non omittenda, quæ notat Druſius ad hunc locum: vox illa quæ alibi ſæpe ארמן ſeu הרמן hic le-

legitur ארמנה : putat igitur hanc differentiam inter duas haſce ῥήσεις intercedere, ut altera ſit *palatium*, altera *palatii ſupellex*. Sed miror virum Hebraice doctiſſimum non vidiſſe illud ה additum, ut *motum ad locum* denotaret, ut Hebræis ſolemne eſt, & notum vel e Grammaticis rudimentis. Quo etiam ſatis confutantur ii, qui vertunt, *dejicietis palatium*, cum omnino vertendum ſit, *projiciemini in Palatium*, ſeu montem *Palatinum* (libet *Rumonem* in Samaria *Palatinum* appellare, ut Romæ *Palatinus* dictus eſt *Rumon*.) Mons autem hic, de quo loquimur, omnino infertiliſſimus fuerit neceſſe eſt, cum in eum vaccas deportandas fore Propheta minitetur: *Vaccæ Baſan*, inquit, ſeu *Vaccæ pingues* (*Baſan* regio Arabiæ fertiliſſima, atque armentis paſcendis aptiſſima, unde vaccæ quæcumque pingues, *Vaccæ Baſan* dicuntur a propheta, ut *tauri Baſan* a pſalmographo 22. 12.) *Vaccæ Baſan nunc eſtis in montibus Samariæ, & dicitis: afferte, & bibamus: veniet dies, cum in Rumonem projiciemini*. Ita etiam tota ſibi conſtat *de vaccis Baſan* αλληγορια, quam illæ de *palatio*, & *palatii ſupellectile* verſiones miſere depravabant.

Vides autem, quo nos duxerit unius voculæ originatio! contemnunt hæc tamen ſcioli, veluti ridicula Grammaticorum deliramenta: quaſi in tanta veterum antiquitatum obſcuritate lucem aliunde melius, quam ex hujuſmodi etymis ſperare fas ſit. Sed ita eſt, *ut videantur ſapere, Cælum vituperant* iſti, qui ea ſæpe contemnere gaudent, quo aſpirare non poſſunt. Miſeret me hujuſmodi hominum, qui ingentia volumina ſine ullis criticæ artis adminiculis confarcientes, ad hoc nati potiſſimum videntur, ut veteres auctores corrumpant fœde, atque depravent. Sed magis eo-

rum miſeret, qui ſacrarum litterarum interpretationem impudenter tractant vix mediocri Latinæ linguæ cognitione imbuti, parva Græcæ, Hebrææ autem nulla, vel ea tantum, qua nil præterea audent, quam quæ ab importuniſſimis vocalibus ſignis, quæ ſunt commenta Rabbinorum, didicerunt: ita ut longe melius ſit Hebraice neſcire, quam tam male ſcire, ut noſtri iſti Rabbinorum ſectatores.

Atque hæc quidem, quæ adhuc tam fuſe de *Ficu Ruminali* proſecuti hic ſumus, ſatis vel curioſis etiam eſſe quirent. Non poſſum tamen, quin *Ficus Ruminalis* σχημα hic apponam, quod exhibet numiſma gentis Pompejæ apud Urſinum, atque aliud incertum, rariuſque apud Spanhemium p. 337. t. 1. diſſert. 4. *de uſu, & præſtantia numiſmatum*, quod hic etiam e re noſtra imprimere viſum eſt.



Martium etiam picum arbori inſidentem exhibet præterea aliud numiſma apud Morellium in gente Pompeja, qui picus in hoc, quod ex Spanhemio attulimus, non apparet. Imo doctiſſimus Havercampus ad Morellium ſuo in denario clare tres aves conſpici affirmat, cum ceteroquin unius pici Martii mentionem faciant veteres Hi-

ſto-

ſtorici, & Poetæ. Plutarchus in Romulo: ενταυθα δε τοις βρεφεσι κειμενοις τήν τε λυκαιναν ἱϛορουσι θηλαζομενην, και δρυοκολαπτην τινα παρειναι συνεκτρεφοντα· νομιζεται δ' Αρεος ἱερα τα ζωα· τον δε δρυοκολαπτην και διαφεροντως Λατινοι σεβονται, και τιμωσιν· ὁθεν ουχ ἡκιϛα πιϛιν εσχεν ἡ τεκουσα τα βρεφη τεκειν εξ Αρεος φασκουσα: *pueris ibi jacentibus Lupam lactantem, & picum quemdam cuſtodientem, & nutrientem adfuiſſe narrant: Marti ea animalia ſacra habentur: picumque præcipue Latini colunt, & honorant: unde facilius fides puerperæ habita ex Marte ſe peperiſſe aſſeveranti.* Eodem modo Ovidius l. 3. Faſt.


Lacte quis infantes neſcit creviſſe ferino,
Et picum expoſitis ſæpe tuliſſe cibos?

Atque ita etiam paullo ſuperius, ubi Sylviæ Veſtalis ſomnum pluribus refert v. 37. Sed ſculptor, cum tres ramos in numiſmate incidiſſet, aves etiam ſingulis ſingulas ramis appoſuit.

Ceterum hanc Fauſtuli paſtoris, lupæ nutricis, & puerorum lactentium prope *ficum* effigiem ex eo tractam ſimulacro putaverim, quod Romæ in comitio ad *Ficum*, quam *Ruminalem* eſſe putabant, revera viſebatur: Plinius l. xv. c. 18. *Sub ea* (ficu) *inventa eſt Lupa infantibus præbens rumim, miraculo ex ære juxta dicato*; id autem ex multatis quorumdam fœneratorum bonis factum eſt anno Urbis conditæ CCCCLVII. Q. Fabio V. & P. Decio IV. Coſſ. ut teſtatur Livius l. x. 23. *Eodem anno*, inquit, *Cn. & Q. Ogulnii Ædiles Curules aliquot fœneratoribus diem dixerunt, quorum bonis multatis, ex eo, quod in publicum reductum eſt, ænea in Capitolio limina, & trium menſarum argentea vaſa in cella Jovis, Jovemque in cul-*

mine cum quadrigis, & ad ficum Ruminalem ſimulacra infantium conditorum Urbis ſub uberibus Lupæ poſuerunt, ſemitamque ſaxo quadrato a Capena porta ad Martis ſtraverunt:

IV. Eandem *Ruminalem Ficum* ære inciſam cum *ſue* multos enixa fœtus in hoc Adriani nummo ſignari credidit Ericius:



ſed immane quantum a veritate aberrat vir cetera non indoctus: quid enim ad *Ruminalem ficum* ſcroſa illa cum fœtibus? ut omittam hujus arboris σχῆμα longius a priori illo diſtare, ut unam eandemque arborem in utroque repræſentari credi poſſit. Melius igitur alii *ilicem* hanc eſſe exiſtimant, quam Helenus *l.* 3. *Æneid.* reperturum prope Tiberim Æneam, ibique Urbem erecturum olim præſagivit: & Tiberinus ipſe *Æn.* 8. ad Æneam v.42.

Jamque tibi, ne vana putes hæc fingere ſomnum,
Littoreis ingens inventa ſub ilicibus ſus
Alba ſolo recubans, albi circum ubera nati:

Hic

Hic locus Urbis erit, requies ea certa laborum:
Ex quo, terdenis Urbem redeuntibus annis
Aſcanius clari condet cognominis Albam.

Et paulo infra dum Nymphas, Tiberimque precaretur Æneas v.80.

Ecce autem ſubitum, atque oculis mirabile monſtrum,
Candida per ſylvam cum fœtu concolor albo
Procubuit, viridique in littore conſpicitur ſus.

Ubi recte quidem Servius admonet *littus Tiberis* hic eſſe intelligendum: ſed nemo adhuc, quem ſciam, animadvertit, quid Poetæ in mentem venerit, dum ait ibi urbem fore ædificandam, ubi ſus illa cum fœtibus inter ilices jacebat. Nam cum ſuem ad Tiberis littus nobis Virgilius obtrudat, *Alba* etiam eodem fuerit in loco neceſſum eſt: ſed quis *Albam* prope Tiberim umquam collocavit?

Plerique recentiorum eruditorum opinantur veterem *Albam* fuiſſe, ubi nunc oppidum *Albano* nuncupatum; quod quidem Servii, & Eutropii, aliorumque poſterioris ætatis auctoribus probare conantur. Hodie pro certo adeo habent *Albani* oppidi incolæ veterem illam *Albam* longam ſuum oppidum eſſe, uti etiam in porta, quæ Romam verſus ducit, lapidem imponi curaverint, in quo ſcrofam illam cum triginta porcellis incidere non dubitarunt. Ceterum ſi *Albam*, ubi nunc *Albano* fuiſſe dicemus, quinam in Tiberis littore eſſe poterit, cum duodecim millia paſſuum longe a Roma *Albanum* oppidum in via Appia ſitum ſit? Diligentiſſimus Cluverius in ſua Italia antiqua *Albam* nunquam fuiſſe, quo loco vulgus putat, quovis pretio contendit. Qui contrariam ſententiam tuentur, Livium potiſſimum anteſtantur, qui

l.1.

l. 1. c. 3. de Aſcanio loquens, *Florentem*, inquit, *jam (ut tum res erant) atque opulentam urbem matri, ſeu novercæ reliquit, novamque ipſe ſub Albano monte condidit, quæ ab ſitu porrectæ in dorſo urbis, Longa Alba appellata*. Sed Cluverius *urbem ſub Albano monte* merito *in iis tumulis* fuiſſe intelligit, qui inter Albanum montem, & lacum intercedunt, cujus ſententiæ favet præ ceteris Halicarnaſſeus, qui accuratiſſime urbis ſitum deſcribens l. 1. *Alba*, inquit, ἡνικα ᾠκιζετο, προς ορει, και λιμνη κατεσκευασθαι το μεσον επεχουσα αμφοιν· και ἦν ὥσπερ τειχη της πολεως ταυτα δυσαλωτον αυτην· τοτε γαρ ορος ἦν τοις πανυ οχυρον τε, και ὑψηλον εστιν, ἥ τε λιμνη βατεια, και μεγαλη· και αυτην δια κλεισιαδων ανοιγομενων ὑποδεχεται το πεδιον ταμιευομενων, ὁποσα βουλονται, των ανθρωπων το ὑδωρ· quæ ſic interpretaberis: *cum edificaretur, apud montem, & lacum exſtructa eſt, ita ut medium inter utrumque obtineret ſpatium, ac veluti muri uterque urbem tuebantur, ne facile caperetur: nam & mons admodum altus, ac natura munitus, & lacus profundus erat, ac magnus, ex quo reductis clauſtris in ſubjectos campos aquæ diſpenſantur, quantum ejus volunt incolæ*. Ubi cum inter montem, & lacum *Albam* ſitam dicat Hiſtoricus ita quidem, ut quaſi muris utrinque illis cingeretur, non alius certe urbi locus ſtatuendus eſt præter eos tumulos, qui montem a lacu brevi ſpatio interpoſiti ſecernunt. Ceterum an ideo propter Tiberim erit? imo longius fortaſſe hic locus diſtat, quam ille, ubi vulgo *Albam* fuiſſe opinantur. Quid igitur de Marone dicemus, qui ſuem prope Tiberim obtrudit, *Albamque* ibi etiam ædificandam cecinit?

Servius ad l. 1. *Æneidos* verſ. 2. *littus* pro *tota regione maritima* ſæpe a Poeta noſtro uſurpatum ob-

obſervat : ita Æneam appuliſſe dicit ad *Lavinia littora*, cum tamen Lavinium VIII. milliaribus a mari remotum conſtat : *Sic etiam*, inquit, *Eneid.* 8. *hic locus urbis erit*, *ideſt in ipſa regione*, *cum & Lavinium*, *& Alba longe à littore ſint*. Utinam hæc audiret M. Tullius, qui cum arbiter eſſet conſtitutus, *littus* illud tantum eſſe decrevit, *quouſque maximus fluctus pervenire poteſt.* (Celſus l. 25. Digeſt. & Javolenus 2. ex Caſſio l. 1. Digeſt. tit. 16. *de verb. ſignific.*) Quid diceret de Grammaticis noſtris, qui etiam *Albanos* montes, ſi diis placet, ſub *littoris* nomine contineri exiſtimant? Verum fac etiam, ut vult Servius, *littus* pro tota regione accipiatur, quid hic exemplum ex *Æneidos* primo de *Lavinio littore*, cum *Lavinium* re quidem vera non longe eſſet a mari? ſed *Lanuvium*, *Lavinium*, *Laurentum* ſæpe inter ſe confundit Servius, ut jam viri docti animadverterunt : cum tamen urbes diverſiſſimæ fuerint inter ſe, quidquid contra Salmaſius ad hiſtoriam Auguſtam afferre conetur : corrupti enim ſunt veterum auctorum loci, quibus firmari hæc ſententia aliquantulum videretur.

Nec juvat locus Strabonis l. 5. p. 239. ibi enim Λανȣβιον omnino pro Λαουινιον reponi debet : Geographi verba hæc ſunt : Μετα δε το Αλβανον Αρικια εϛι πολις επι τῃ ὁδῷ τῃ Αππιᾳ· ϛαδιοι δ᾽ εισιν εκ της Ῥωμης ρξ, κοιλος δ᾽ εϛιν ὁ τοπος, εχει δ᾽ ὁμως ερυμνην ακραν· ὑπερκειται δ᾽ αυτης το μεν Λαȣινιον πολις Ῥωμαιων εν δεξιᾳ της Αππιας ὁδου, αφ᾽ ἧς εποπτος ἡ τε θαλασσα εϛι, και το Αντιον, *ſecundum Albanum montem in via Appia urbs Aricia* 160. *ſtadiis* (errorem hic in numerorum notis agnoſcit Caſaubonus, cum Antoninus in ſuo itinerario ponat tantum XVI. m. paſſuum) *a Roma ſitu con-*

cavo

cavo, arce tamen natura loci munita: ſupra eam ſita eſt Lavinium urbs Romanorum in dextro viæ Appiæ latere, unde & mare, & Antium conſpici poteſt : hæc Strabo: ad quem locum bene Palmerius: *Lege*, inquit, *meo periculo* Λανυβιον, *nam Lavinium urbs non fuit in edito, ſed ad maris littus, at Lanuvium fuit ſuper Ariciam in edito*. Hoc autem vel Strabonis ipſius auctoritate confirmare poſſum: eodem l. 5. p. 232. de maritimis urbibus Latinorum: πολις δ' επι θαλαττη μεν εισι των Λατινων τα τε Ωστια .... εξης δ' εστιν Αντιον, αλιμενος και αυτη πολις: ιδρυεται δ' επι πετραις· διεχει δε των Ωστεων περι σζ σταδιους .... ανα μεσον δε τουτων των πολεων εστι Λαουινιον .... ειτα Λαυρεντον, *ad maris littus ſita eſt urbs Latinorum Oſtia: eam ſequitur Antium urbs & ipſa importuoſa ſaxis inſita diſtans ab Oſtia ſtadiis 260. in medio harum urbium eſt Lavinium, poſtea Laurentum*. Quod ſi inter *Oſtia*, & *Antium* Lavinium fuit, quinam ſupra Ariciam eſſe potuit, aut ſi jam ad maris littus, quid Strabo ineptiſſime adderet *e Lavinio, & Antium, & mare conſpici poſſe?*

Ceterum, ut ad propoſitum revertamur, fac etiam VIII. milliaribus a mari Lavinium remotum fuiſſe, quid inde ad *ilices littoreas l.8.* Æneidos? Mare ex vicinioribus oppidis nomen ſæpiſſime accipit: Lavinium etiamſi procul eſset a mari, cum propior mari tamen urbs nulla eſset, ex illa nomen trahens, Lavinium mare, ut & Lavinia littora merito dici poterat. Sed an ideo *ilices littoreæ* intelligentur etiam ilices natæ in ſummis montibus? Helenus l.3. Æneam apertiſſime licet vaticinans adloquitur v.389.

Cum tibi ſollicito ſecreti ad fluminis undam
Littoreis ingens inventa ſub ilicibus ſus

Al-

Alba ſolo recubans, albi circum ubera nati
Triginta capitum fœtus enixa jacebit:
Hic locus urbis erit, requies ea certa laborum.

Hic etiam, puto, Grammatici noſtri, quemadmodum *littus* pro tota regione, *undam fluminis* pro montium accipient ſummitate. Sed nolo cum Servio amplius ineptire, licet ejus ſententiæ doctus Maronis enarrator Lacerda, ceterique interpretes verbo adſenſi ſint.

Quid interim de Virgilio dicemus, qui *Albam* ad *undam Tiberis* locat? Certe eum excuſandi rationem nemo adhuc criticorum reperire potuit: ſed contra hunc Poetam, totius Romanæ antiquitatis promum condum negligentiæ, & inſcitiæ hic arguere quis audeat? præſertim cum aliud etiam, atque haud ſcio an longe importunius abſurdum ex allatis Maronis verſibus ſequi neceſſe ſit. Hanc enim urbem, quam ad *Tiberis ripam* ex inventæ ibi ſuis omine ædificandam canit, eam certo eſſe, quam Dii, oracula, vates Æneæ ſemper polliciti ſunt, nemo non videt: at hanc *Albam* Virgilius appellat, cum tamen *Albam* Aſcanius, non Æneas ædificaverit: Strabo l. 5. p. 229. Τουτου δε τελευτησαντος, και του πατρος, τον Ασκανιον Αλβαν κτισαι εν τῳ Αλβανῳ ορει διεχοντι της Ῥωμης τοσουτον, ὁσον και Αρδεας, *hoc autem, & patre mortuo* (Ænea, & patre Anchiſa) *Aſcanium Albam condidiſſe ferunt in Albano monte, qui tanto a Roma, quanto ab Ardea ſpatio abeſt*: hæc Strabo, cujus ſententia & vetuſtiorum ſcriptorum, & συγχρονων, & poſteriorum auctoritate confirmatur. Quonam igitur ore dormientem Æneam Hector ita adloquitur 2. *Æneidos* v. 294?

Sacra, ſuoſque tibi commendat Troja penates,
Hos cape fatorum comites, his mœnia quære,

Magna pererrato ſtatues quæ denique ponto.

Vana Hectoris vaticinia: quando *Albam* non Æneas condidit, ſed Aſcanius, & quidem mortuo Ænea.

Verum in Romana hiſtoria nemo Virgilio noſtro umquam accuratior fuit, qui licet & poeticas identidem fabellas admiſceat, adeo tamen apte & opportune hoc facit, ut veterem hiſtoriam illuſtret illis potius, quam obſcuret. Sed boni interpretes ridiculis ſæpe commentariis, dum aliorum ſcriptorum ſententias cum Virgiliana hiſtoria ſatagunt componere, adeo omnia miſcent & perturbant, ut nec lucem Poetæ aliquam afferant, & multas lectori tenebras offundant: ut in tota hac de *Alba* narratione factum eſt, de qua cum nihil fere habeat Virgilius, ipſi tamen tot tantaque undique congeſſerunt, ut novæ potius hiſtoriæ auctores, quam veteris enarratores eſſe videantur. Apponamus iterum Heleni vaticinium, quod paullo ſuperius retulimus; ex quo omnia iſthæc pendent, de quibus nunc tam fuſe diſputamus:

Cum tibi ſollicito ſecreti ad fluminis undam
Littoreis ingens inventa ſub ilicibus ſus
Triginta capitum fœtus enixa jacebit,
Alba ſolo recubans, albi circum ubera nati:
Hic locus urbis erit, requies ea certa laborum.

Hic certe *Albam* nullam video: ad littus Tiberis urbem ædificaturum Æneam præcinit, ſed non *Albam*. Nec juvat locus alter, quem & ſupra attulimus ex 8. *Æneidos*, ubi ſuem ſub *littoreis ilicibus* Æneæ oſtendens Tiberinus inquit:

Hic locus Urbis erit, requies ea certa laborum,
Ex quo, terdenis Urbem redeuntibus annis,
Aſcanius clari condet cognominis Albam.

Quis

Quis enim non videt urbem, de qua agit in primo verſu ab illa diverſam eſſe, quam *Albam* vocat in poſtremo? inventam ad ripas fluminis ſuem oſtendens Tiberinus, Æneam, ut ibi etiam urbem exſtruat hortatur, ſed eam *Albam* non appellat: addit poſtea Aſcanium *Albam* conditurum, ſed eam *ad ripam Tiberis* non collocat: diverſæ igitur urbes inter ſe fuerint neceſſe eſt, altera ab *Ænea* quidem *prope Tyberim* condita, ſed hæc non *Alba*: altera *Alba* ſcilicet ab *Aſcanio*, ſed non *prope Tiberim*. Interpretes male explicant illud, *ex quo terdenis*, &c. quaſi dicere velit, *tunc demum eum locum fore laborum requiem, poſtquam ibi Aſcanius Albam ædificaverit*: ſed infra pluribus vim voculæ ex quo explicabimus: nunc quocumque tandem ſenſu accipiatur, ægre efficies, ut urbes illæ ſtatim diverſæ inter ſe eſſe non appareant. Maro ipſe initio operis:

. . . . . dum conderet urbem,
Inferretque Deos Latio, genus unde Latinum,
Albanique Patres, atque altæ mœnia Romæ.

Ecce tibi ſtatim urbem, quam Æneas condidit, diverſam ab *Alba*, ſiquidem ab illa *Albani Patres*, ſeu ipſa *Alba* originem ducunt: alioquin quis diceret conditam *Albam*, ex qua orti ſenatores *Albani*, & *Roma*? nugæ, & Poeta indignæ præſertim in operis προαυλῳ. Quid de iis dicemus, qui urbem *Romam* intelligunt, atque illud *unde* referunt ad Æneam? mirificam ſane locutionem! *Romam condidit Æneas*, ex quo orta *Alba*, *& Roma*. Quis talia fando temperet a riſu? adeat, ſi cui eſt otium, ineptiſſimam Dathi declamationem, quam inſtituit adverſus eos, qui urbem hic *Albam* intelligunt, cum pro Roma certo accipienda ſit: ego certe tan-

ti eum non facio, ut in ejus confutandis argumentis vel minimum temporis momentum incaſſum teram.

Doctus & accuratus interpres Lacerda hæc commentatur ad 1. Æneidos v.5. *Urbem Albam alii capiunt, male: nam hanc Aſcanius condidit, non Æneas: ſunt qui Romam, peſſime: intelligit certe Lavinium: hanc enim Æneas condidit, ut Livius, Dionyſius, & Æneas ipſe l.12.*

. . . . mihi mœnia Teucri
Conſtituant, urbique dabit Lavinia nomen.

Hæc Lacerda: atque omnes inde libentiſſime in hanc partem interpretes; neque ullus adhuc, quem ſciam, interceſſit. Sed me alia omnia cenſentem non parva quidem cauſa movet, ut abeam in diverſa. Urbs, quam tot Dii, & Deorum interpretes Æneæ in Italia polliciti ſunt, non alia certe intelligi poteſt, quam quæ prima in Italia ab Ænea fuerit ædificata. At *Lavinium* poſt longum contra Rutulos bellum conditum fuiſse perhibetur: non igitur *Lavinium* fuit prima Trojanorum urbs in Italia: neque enim tam longo temporis ſpatio Trojanos urbe caruiſse vero ſimile eſt: vix enim Thraciam *fatis ingreſſus inquis* Æneas l. 3. ſtatim *in littore curvo mœnia prima locat*: vix Curetum allabitur oris, etiam antequam naves ſubducerentur, muros optatæ urbis avidus molitur: quid feciſse putemus in Italia, poſtquam locum vere ſibi promiſsum adiit, & a Tiberi ipſo in ſomnis certus factus eſt? Sed & aliud, & longe majus hinc incommodum oritur, falſa ſcilicet omnia eſse oracula, quæ Æneæ hanc urbem ſæpe pollicentur: Hector 2. Æneid. v. 294.

. . . . . . his mœnia quære,
Magna pererrato ſtatues quæ denique ponto.

At

At pererravit pontum, nec condidit *Lavinium*, niſi prius quam longum cum Rutulis bellum confecit: ita Arpyæ 3. *Æneidos*: v. 255.

Sed non ante datam cingetis mœnibus urbem,
Quam vos dira fames, noſtræque injuria cædis
Ambeſas ſubigat malis abſumere menſas.

Ergo poſt tam diram famem, tandem urbem condent miſeri Trojani: at hoc ſtatim, ac ad Tiberim appulerunt, eveniſse patet ex *Æneid.*7. v.115. cum ne bellum tunc quidem eſset, quo confecto, conditum Lavinium. Helenus quoque 3. *Æneid.* v. 384.

Ante & Trinacria lentandus remus in unda eſt &c.
. . . Quam tuta poſſis conſidere terra.

Poſt hæc autem ſequitur, ut urbem tandem Æneas ædificarit: quod tamen, cum falſum ſit, debuit certe Helenus bellum etiam non minus longo itinere laborioſum commemorare: *ante & longum iter, & bellum conficietis:* at Dii, vates, homines, ſtatim ac ad Italiam perveniſſet, urbem conditurum præcinerunt: aliam igitur urbem quærere opus erit, cum nullo unquam modo *Lavinium* eſse poterit.

Vir multæ lectionis Philippus Cluverius *Ital. antiq.* aliam urbem *Trojam* ſcilicet nomine comminiſcitur, idque ex plurimis ipſius Poetæ locis firmare conatur: ita *Æneid.* x. v.25. Venus ad Junonem:

. . . . . muris iterum imminet hoſtis
Naſcentis Trojæ.

Sed quis non videt hanc eſse familiarem Poetæ locutionem, qua *Pergamum*, *Trojam*, *&c.* pro regno Trojanorum uſurpat? Infra eadem Venus:

Dum Latium Teucri, recidivaque Pergama quærunt.

Et Iuno ibidem:

In-

Indignum eſt Italos Trojam circumdare flammis.
Sod nolo hic omnia recenſere, quæ fruſtra congerit Cluverius, cum conſtet hæc eadem ratione dicta eſſe, ac alibi, *Ilium in Italiam portans, victoſque Penates*, & l.1.v.71. *Trojanam ex hoſtibus urbem, Qui revehis nobis* l.x.v. 36. cujuſmodi loquendi genera in Maronis opere uſque ad faſtidium occurrunt.

V. Ceterum miror non parum fatalis iſtius urbis nomen ſilentio Virgilium involviſſe, cum aliarum urbium, quas alibi Æneas erexerit, nomen diligentiſſime ſemper adnotarit. Sed quod Virgilius conſulto præteriit, explicare conatur Servius ad 7. v.158. Æneid. *Sciendum*, inquit, *civitatem, quam primo fecit Trojam dictam ſecundum Catonem, & Livium, quod & ipſe indicat: nec te Troja capit.* Hæc verba ex 9. *Æneid.* v.644. petita eodem modo explicanda ſunt, ac ſuperiora illa, quæ male Cluverius intellexerat. Livius autem (quod & Catonem ſenſiſſe exiſtimo) non primam Trojanorum urbem, ſed totum Laurentem agrum *Trojam* fuiſſe appellatum narrat c. 4. l. 1. *Ab Sicilia Æneam claſſe Laurentem agrum tenuiſſe: Troja & huic loco nomen eſt.* Non igitur novæ ab Ænea urbis conditæ *Troja* nomen eſt: ſed totus Laurentis agri tractus *Trojæ* nomine inſignitus, quod & ad Livii tempora adhuc manſerat.

Hinc Stephanus Byzantinus refert *Ardeam* quoque *Trojam* dictam eſſe: Αρδεα, και Τροια ελεγετο· ὡς Χαραξ: *Ardea etiam Trojæ nomine dicebatur, ut refert Charax*: cui loco utpote nimis ſuſpecto nemo tam imi lecti conviva exſtitit, quin ſuam quoque ſymbolam præbuerit. Ingenioſa præ ceteris Holſtenii conjectura, qui putat multa, ut ſæpe accidit Stephano,

no, mutilata, ſed hanc tamen eſſe loci ſententiam, ut ſcilicet *Troja* dictus ſit ager ille, in quo χαρακα εθεντο, *caſtra* Trojani *poſuerunt*; hæc autem ex Halicarnaſſeo hauſiſſe Stephanum: ſic enim ille in primordiis Romanæ hiſtoriæ: Τελδωντες δε αφικνουνται της Ιταλιας Λωρεντον· ενθα πλανης πανσαμενοι χαρακα εθεντο, και το χωριον, εν ω κατεστρατοπεδευσαντο εξ εκεινου Τροιη καλειται: quæ verba uſque adeo ab imperitis amanuenſibus in Stephano corrupta fuiſſe, ut etiam το χαραξ in nomen proprium tranſierit. Verum enimvero cum ſæpe *Characis* teſtimonio utatur Ethnicographus, non temere innovandum aliquid cenſeam: mens Stephani, niſi vana me lactet ſpes, hæc erit, *Trojæ* nomen datum toti Laurenti agro, atque ita ut etiam *Ardeam* uſque ſe ſe extenderit: nec alium ſenſum recipere poſſunt verba illa, licet ſatis, fateor, mutilata. Favet nobis etiam non parum Appianus, cujus ævo adhuc hoc *Trojæ* nomen in uſu erat: ſic autem ille apud Photium p. 49. de Ænea: Καταπλει ες τινα της Ιταλιας αιγιαλον Λωρεντον επικαλουμενον, ενθα και στρατοπεδον αυτου δεικνυται, και την ακτην απ᾽ εκεινου Τροιαν καλουσιν· *ad Italiæ quoddam littus Laurens dictum appulit, ubi & caſtra illius oſtenduntur, & ab eo oram illam maritimam Trojam dicunt.*

Cum igitur nec *Troja*, nec *Lavinium*, nec *Alba Longa* urbs primum condita fuerit ab Ænea, quærenda certe eſt alia ad ripam *Tiberis*, ubi ſuem ſub ilice invenit. Hanc autem, de qua omnes & Græci, & Latini hiſtorici ne γρυ quidem, ut dicitur, non omiſit Geographorum diligentiſſimus Strabo, qui l. 5. p. 229. de illa urbe a *Lavinio*, & *Alba* diverſiſſima hæc habet: Φασι δε Αινειαν μετα του πατρος Αγχισου, και του παιδος Ασκανιου καταραντα εις Λαυρεντον, πλησιον των

Ωστι-

Ὠστιων, και του Τιβερεως . . ηιονος μικρον ὑπερ της θαλαττης, οσον εν τετταρσι, και εικοσι σταδιοις κτισαι πολιν· επελθοντα δε Λατινον τον των Αβοριγινων βασιλεα των οικουντων τον τοπον τουτον, ὁπου νυν ἡ Ῥωμη εστι, συμμαχοις χρησασθαι τοις περι τον Αινειαν επι τους γειτονευοντας Ρουτουλους τους Αρδεαν κατεχοντας (σταδιοι δ᾽ εισιν απο της Αρδεας εις την Ῥωμην ρξ) νικησαντα δ᾽ απο της θυγατρος Λαουινιας επωνυμον κτισαι πλησιον πολιν· παλιν δε Ρουτουλων συμβαλοντων εις μαχην, τον μεν Λατινον πεσειν, τον δε Αινειαν νικησαντα βασιλευσαι, και Λατινους καλεσαι τους ὑφ᾽ αὐτῳ· τουτου δε τελευτησαντος, και του πατρος, τον Ασκανιον Αλβαν κτισαι εν τῳ Αλβανῳ ορει διεχοντι της Ρωμης τοσουτον, οσον και Αρδεα, *fama eſt Æneam cum patre Anchiſa, & filio Aſcanio Laurentum appuliſſe prope Oſtiam, & ad Tiberis ripam ad 24. ſtadia parum ſupra mare urbem condidiſſe: ſuperveniſſe Latinum regem Aboriginum, qui tum ea loca tenebant, ubi nunc Roma eſt, Æneæque auxilio uſum contra vicinos Rutulos, qui Ardeam habitabant (ſtadia ſunt ab Ardea Romam 160.) partaque victoria, Lavinium urbem Laviniæ ſuæ cognominem poſuiſſe. Rurſus autem Rutulis acie congreſſis Latinum cecidiſſe, Æneam victorem regno potitum, ſubditis ſuis Latinorum nomen feciſſe. Ænea porro, Anchiſaque mortuis, Aſcanium Albam condidiſſe in Albano monte, qui tanto a Roma, quanto ab Ardea abeſt ſpatio*: hæc Strabo: vides autem hic urbem ſtatim conditam ab Ænea, & quidem ad ripam Tiberis, ubi ſus littoreis ſub ilicibus inventa. Hanc Maro certe intelligebat, quod tamen non viderunt viri docti, licet non Geographus modo, ſed Poeta ipſe *Æneid.*7.v.157. Æneam ſtatim, ac ad Tiberim appulit, urbem exſtruxiſſe teſtetur:

. . . ipſe humili deſignat mœnia foſſa

Mc-

Moliturque locum, primaſque in littore ſedes
Caſtrorum in morem pinnis, atque aggere cingit.

atque hanc quidem indicat Tiberinus Æneid. 8. v.46.

Hic locus urbis erit, requies ea certa laborum.

Scio quid contra naſutuli objicient, urbem ſcilicet jam conditam *Æneid.* 7. quinam ergo condendæ illius locum deſignari potuiſſe *Æneid.* 8. a Tiberino? qua fieri id potuit, paucis jam docebo. Vix Tiberina littora tetigit Æneas, ſtatim molitur urbis locum, & primas ſedes in ipſa ripa fluminis ponit: ecce autem omnes contra novos hoſpites inſurgunt, & magna vi hominum collecta, bello Italia eos expellere conantur. Tunc ſane dubitare Æneam, an regio quidem illa ſit, quam Dii, eorumque oracula ſibi polliciti fuerant. Ita eum διανδυχα μερμηρίζοντα levis ſopor oppreſſit: & ecce in ſomnis Tiberinus, Æneas, inquit, hic tibi certa domus, ne belli terrere minis, jam enim Dii propitii ſunt: perſiſte igitur, & perge, quam occæpiſti, urbem exſtruere: hunc enim locum eſſe ſæpius a Diis tibi promiſſum illa ſus oſtendet, quam ſub ilice invenies: ne dubita, *hic locus urbis erit, requies ea certa laborum*, ideſt, omnino neceſſe eſt, ut hic ſit locus tibi fato deſtinatus, quemadmodum *τὸ erit* explicari debet. Hæc eſt vera Tiberinæ ad Æneam orationis enarratio, ut ſtatim omnibus manifeſtum fiet, qui integrum locum attente perlegerint.

Sed quod, malum, huic urbi nomen erit? Equidem cum nec Strabo, nec Virgilius, nec veterum ullus illud adnotaverit, quod plane fuerit, juxta cum ignariſſimis ſcio. Quod ſi tamen conjecturis agendum, non aliud eam, quam *Albam* nomen habuiſſe ſuſpicarer, ut ex male adhuc intellectis Tiberini verbis plane mi-

hi videor collegiſſe 8. Æneid. v. 42.

Jamque tibi ne vana putes, hæc fingere ſomnum,
Littoreis ingens inventa ſub ilicibus ſus
Triginta capitum fœtus enixa jacebit,
Alba ſolo recubans, albi circum ubera nati,
Hic locus urbis erit, requies ea certa laborum,
Ex quo, terdenis urbem redeuntibus annis,
Aſcanius clari condet cognominis Albam.

Cujus loci ſententia hæc certe eſſe debet: jam ſus alba ſub ilice inventa eſt: hic urbem ſtruere debes ex ſuis omine *Albam*: *ex quo* (ideſt *ob cujus rei memoriam*), Aſcanius novam urbem triginta poſt annis conditurus, eam *Albam* etiam nuncupabit. Animadverte, quænam voculis illis, *clari cognominis* vis inſit. Andromache 3. *Æneid.* de Heleno ad Æneam v. 333.

Morte Neoptolemi regnorum reddita ceſſit
Pars Heleno, qui Chaonios cognomine campos,
Chaoniamque omnem Trojano a Chaone dixit.

Eodem l. 3. v. 132.

Ergo avidus muros optatæ molior urbis,
Pergameamque voco, & lætam cognomine gentem
Hortor amare focos.

ideſt gentem lætam, eo quod nomen cum Troja commune haberet. Et l.6. v.382. de Palinuro, cui Æneas promontorium ſuo nomine decoraturum pollicetur:

His dictis curæ emotæ, pulſuſque parumper
Corde dolor triſti, gaudet cognomine terræ.

ideſt terra, cui nomen cum Palinuro commune foret. Ubi alii legunt *cognomine terra*, ut ſit ex adjectivo *cognominis*, nihil moror; illud tantum monuiſſe ſat eſt *cognomen* apud Virgilium præſertim, non ſemper eſſe ſimpliciter *nomen ab eventu impoſitum*, ut putant Lexico-

xicographi: ſed *cognomen* ſæpe intelligi *nomen*, *quod cum alio commune habetur*, ut adjectivum *cognominis* eſt, qui *ſuum nomen cum alio habet commune*, ideſt ὁμώνυμος· atque ita τὸ *cognomen* in adductis Virgilii locis explicandum erit: nec aliter apud Livium l. 1. c. 3. de Regibus Albanis: *Sylvius Æneam Sylvium creat, is deinde Latinum Sylvium: manſit Sylvius poſtea omnibus cognomen, qui Albæ regnarunt.*

Hæc profecto vero quam ſimillima eſſe videntur, & totam hanc ridiculam de *Alba* fabellam excuſare poterunt: quam audi, ſodes, nunc non quidem a Poeta aliquo, ſed ab ipſo togatorum doctiſſimo Varrone de R. R. l. 2. c. 4. *Sus Æneæ Lavinii xxx. porcos peperit albos: itaque quod portenderit factum xxx. annis, ut Lavinienſes condiderint oppidum Albam*. & de L.L. c. 4. *Oppidum Lavinium a Latini filia Lavinia appellatum: hinc poſt annos xxx. oppidum alterum conditur: id ab ſue Alba cognominatum. Hæc e navi Æneæ, cum fugiſſet Lavinium xxx. peperit porcos: ex hoc prodigio poſt Lavinium conditum annis xxx. hæc urbs facta propter colorem ſuis, & loci naturam, Alba longa dicta*. Hæc atque alia hujuſmodi legere eſt etiam apud Dionyſium Hal., & alios rerum Romanarum Scriptores: quo tamen commento quid inſulſius, aut inficetius umquam excogitari poterat? prudentius Maro, qui ſuem ad ripam Tiberis Æneam reperiſſe narrat; ita tamen ut & multa etiam abſurda ex hac licet veroſimiliori narratione ſequi neceſſe ſit. Suem nempe *albam* ad undam Tiberis invenit Æneas: triginta poſt annis Aſcanius urbem condit in monte *Albano*, & *Albam* ex ſuis omine appellat, quam triginta ante annos Æneas ad ripam Tiberis invenerat; quinam hæc, malum, inter ſe

conſtare queunt? Ut recto igitur talo ſtet hæc fabula; ſic agendum erit, ut ſue *alba* prope Tiberim inventa, urbem ibi Æneas ædificarit, *Albamque* e ſuis omine appellarit: poſtea novam urbem exſtruxerit uxoris nomine Lavinium: ex qua creſcente in dies multitudine, coloniam ducturus Aſcanius novam urbem erexerit, quam memor primæ urbis a patre conditæ *Albæ* etiam nomine, addens διακριτικον *Longæ*, decorarit. Ita igitur hæc omnia componenda ſunt, vel certe ita veteribus Latinis diſponenda fuerant: qui ceteroquin, licet parcius, quam Græci, fabulas ſuis annalibus immiſceant, eas tamen & longe ineptiores, & vero minus ſimiliores ſæpe, quam Græcorum ſatis adhuc experti ſumus.

Nam certe & hoc malevolenti genio a Romanis Poetis excogitatum fuit, urbem ſcilicet *Albam* appellatam, eo quod ibi *albam* ſuem invenerit Æneas: quod ineptiſſimum commentum miror Virgilium tam libenter amplexum eſſe, cum alii id tantum narrent, urbem nempe conditam, ubi ſus inventa eſt, non etiam dictam *Albam*, quod ſus *alba* cum fœtibus fuerit. Hinc non poſſum, quin magnopere læter doctiſſimum Poetarum Lycophronem in Caſſandra v. 1256 dum de hac *ſue* loquitur, ex tot Græcorum epithetorum copia conſulto κελαινὴν ſelegiſſe, & *ſuem nigram* appellaſſe: quod fruſtra a Tzetze, Meurſio, ceteriſque reprehenditur, cum id dedita opera fecerit Poeta. Integrum Lycophronis locum de hac re omnium obſcuriſſimum male a Tzetze, Meurſio, ceteriſque omnibus intellectum facile, & erudite explicare conatus eſt vir doctus Theodorus Rychius in ſua διατριβῇ *de primis Italiæ colonis*, quæ in calce Stephani Byzantini in nobili Berchelii editione excuſa

eſt,

eſt, quem tamen miror hoc quod agimus, argumentum intactum nobis reliquiſſe. Sed tota hæc de *Alba* fabula omnino iratis Diis ex Romanorum prodidit officina.

VI. Nam quot per totum terrarum orbem loca occurrunt, urbes, montes, flumina, promontoria, hoc nomine inſignita? Jam primum obvius ſe fert nobis a Syria uſque celeberrimus non minus ob magnitudinem, quam amœnitatem mons *Libanus*, qui ex Palæſtini idiomatis notione idem eſt, ac mons *Albus*, hoc enim ſonat לבן: parem fortunam nacti montes Cretæ notiſſimi, qui eodem modo λευκα ορὴ, *albi montes* Græcis dicti ſunt. Theophraſtus *l.* 4. *c.* 1. *Hiſtor. Plant.* Εν Κρητῃ γενιω φασιν εν τοις Ιδαιοις ορεσι, και εν τοις Λευκοις καλουμενοις επι των ακρων, ὑπερ ουδεποτε επιλειπει χιων, κυπαριττον ειναι: quæ verba tranſtulit Plinius *l.* 76. *c.* 33. *Maximeque in Idæis montibus, & quos Albos vocant, ſummiſque in iis, unde nives nunquam abſunt*, ut legit e veteri codice Salmaſius in Solinum *c.* XI. quem adeas multis Solinum refellentem, qui putavit *Albos* montes fuiſſe *Dictynnæum*, & *Cadiſtum*. Ob nivium candorem, quæ nunquam illinc abſunt, etiam *Alpes* ita appellatas vult Feſtus: idem enim fuiſſe veteribus *alpum*, quam poſteris *album*. Georgius Buchananus in primordiis ſuæ Anglicæ Hiſtoriæ arbitratur antiquis *album*, ſive *alpum* non colorem tantum, ſed altitudinem quove denotaſſe, atque hinc *Alpibus* nomen, unde in Gloſſis legitur: *Alpes*, ορη ὑψηλα, & apud Iſidorum *l.* 14. *c.* 8. *Gallorum lingua Alpes vocantur montes alti*, hodieque Belgæ eas *Blik*, vel *Blic* appellant, ideſt *albos*: *albicare* enim eſt iis *ablichen*, Voſſio teſte in etymologico: qui verius putat *Alpes* ſic dictos quaſi *alberg*, ideſt *omnino montes*: a cujus

ſen-

ſententia me diſcedere cogit, tum etymi durities, tum *albi* nomen, quod cum tot aliis locis apud omnes nationes tributum fuerit, his quoque montibus eadem ratione inditum facile ſibi quiſque perſuadebit.

Sed & legimus vicum Αλπιον apud Lacones celeberrimum ob templum Αθηνας οφθαλμιδος, *Minervæ oculatæ*, a Lycurgo dedicatum, poſtquam ei alterum oculum excuſſit Alcander, cui leges a Lycurgo latæ minime placebant: adeatur Pauſanias l. 3. c. 19. Britannia etiam veteribus *Albion* dicta eſt, non ab *Albione* Neptuni filio, ut vulgus fabulatur, ſed eadem ratione, ac לבן, & Αλπια ορη, & *Alpes*, & *Alba*; quod clarius ex eo patet, quod Orpheus in Argonanticis Angliam λευχαιον χερσον, *albam inſulam*, appellat: hodie etiam Scoti ſe vocant *Albinik*, ſuamque regionem *Albin*.

Sed qua potiſſimum de cauſſa *alba* hæc loca veteres nuncuparint, juxta cum Davo intelligo, niſi verum ſit, quod contendit Buchananus *album* antiquis non colorem tantum, ſed altitudinem quoque denotaſſe: qui licet nulla veterum auctoritate, nullo præterea aliorum locorum exemplo eam ſententiam firmet: ſatis tamen id evincere ego potis eſſem ex ſupra allatis aliorum locorum nominibus, atque aliis etiam, quæ ne tædium legentibus afferant potius, quam utilitatem, conſulto prætercam. Illud autem ad rem faciet, quod me in Homero deprehendiſſe lætor, eum ſcilicet montibus ſæpe hoc *albi* epithetum tribuiſſe, ut clare vel ex ſola Bœotia apparet, ubi v. 154.

> Οἱ Κνωσσον τ' ειχον, Γορτυνατε τειχιοεσσαν,
> Λυκτον, Μιλητον τε, και αργινοεντα Λυκαςον.
> *Qui Cnoſſumque tenebant, Gortynaque bene cincta mœnibus,*

Ly-

Lyctum, Miletum, & albicantem Lycaſtum.

Quod oppidum in edito ſitum cum ſit ad *Dyctinnæum* montem, haud temere cum Salmaſio Solinum reprehenderim, qui *c.* XI. de Creta loquens, *albet*, inquit, *jugis montium Dyctinnæi, & Cadiſti, qui ita excandeſcunt, ut eminus navigantibus magis putentur nubila*, quaſi hoc *Dyctinno*, & *Cadiſto* imprudenter tribuerit, cum diverſi ab his fuerint *albi montes* appellati. Eodem libro v. 163. *Camirum albicantem* habemus:

Λινδον, Ιηλυσσον τε, και αργινοεντα Καμειρον.

Et v. 241.

Οἱ τ' εχον Ορμενιον, οἱ τε κρηνην Υπερειαν,
Οἱ τ' εχον Αςεριον, Τιτανοιο τε λευκα καρηνα.

Quique tenebant Ormenium, quique fontem Hyperium,
Quique tenebant Aſterium, & Titani albos vertices.

Paullo infra v. 245.

Οἱ δ' Αργισσαν εχον, και Γυρτωνην ενεμοντο,
Ορθην, και Ηλωνην πολιν τε Ολοοσσονα λευκην.

Qui vero Argiſſam tenebant, & Gyrtonam colebant,
Orthen, Elonemque, urbemque Olooſſona albam.

Quid de *Leucate*, *Leucoſia*, *Leucopetra*, *Leucogæis* dicam, aliiſque hujuſmodi, quæ a λευκος nomen deduxerunt? Quid de φαληρος voce, quæ cum *album* denotet, tot locis ideo nomen dedit, ut ſi omnia hic enumerare vellem, dies eſſet? De Neapolitanis *Leucogæis* collibus, & *Phalero* monte omnia occupata ſunt ab eruditiſſimis viris αυτοχθοσι, quæ brevi proferuntur in lucem.

Huc etiam revocandæ *columnæ albæ* ſeu λευκαι ςηλαι dictæ apud Herodotum in Terpſichore p. 118. Πυθομενοι δε οἱ Καρες συνελεγοντο επι λευκας τε ςηλας καλιο-

καλεομενας, ϗ ποταμον Μαρσυην, *certiores facti Cares conveniunt ad columnas albas dictas, & flumen Marſyam*. Idem auctor in Thalia p. 91. memorat apud Perſas λευκον τειχος, *album murum* dictum, & in Polymnia p.25. λευκην ακτην καλεομενην της Θρηΐκης, *albam dictam maritimam Thraciæ oram* teſtatur. Sed & *Album* Africæ promontorium Plinio in proœm l. 3. quod a Melliaria Hiſpaniæ vico fretum 15.m. paſſ. ſecernit, & *Album* etiam promontorium in Phœnicia apud Ecdippan urbem inter Tyrum, & Ptolemaidem, nunc dictum *Capo Scandalio*, & Alburnus, *monte della Perina* in Lucania, aliaque non pauca ejuſdem nominis, quæ ſilentio hic involvam, ſatis habens monuiſſe *albi* nomen non Tiberino tantum flumini attributum, ſed & nobili Germaniæ fluvio, nunc *L'Elba* vulgo nuncupato, quem veteres *Albim* appellabant. Solinus c. 20. *De internis ejus partibus Albis, Guthalus, Viſtula amnes latiſſimi præcipitant in Oceanum*. Aliter inflectit hanc vocem *Albim* Spartianus in vita Juliani: *Germaniæ populis, qui Album fluvium accolunt*: diverſe etiam Vopiſcus in Probo: *Reliquias ultra Nicarum fluvium, & Albam removit*: ita enim in veteribus libris, & mss. conſtanter legi teſtatur oculatus teſtis Salmaſius ad cit. loc. in Solin. non *Albim*, ut vulgatæ editiones poſuerunt. Quibus locis multa lux Stephano Byzantino infertur, qui Tiberim *Albam* appellatum dicit: Εςι ϗ ποταμος Αλβας, ὁ νυν Τιβερις λεγομενος, Τιβερινȣ του βασιλεως εν αυτῳ θανοντος· λεγεται ϗ Αλβη, *eſt & fluvius Albas, qui nunc Tiberis dicitur a Tiberino rege ibi mortuo: dicitur & Alba*: qui locus omnibus Criticis ſuſpectiſſimus habitus eſt, eo quod nemo *Albam* Tiberim vocarit, ſed omnes ſemper

per

per *Albulam*, præter Stephanum, in quo ideo Αλβȣλαν reponendum eſſe contendit poſt Cluverium doctiſſimus Berchelius, & verba illa λεγεται ϗ Αλβη, *dicitur etiam Alba*, ad urbem, non ad Tiberim refert importunius Αλβιυλος aliqui excuderunt, quod nec Græcum, nec Latinum eſt, & ita legitur apud Euſtathium in Dionyſii periegeſin. v. 350. Και ὁ Τιβερις Αλβουλος ποτε καλουμενος· verum in notis ad Euſtathium teſtatur Henricus Stephanus in pluribus codicibus legi Αλβας, uti apud Ethnicographum Byzantinum. Quibus auctoritatum momentis adductus nihil temere innovandum in Stephano præcipio: etenim in tanta veterum librorum jactura quis ſe nobis vadem ſiſtat, neminem præter Stephanum hoc uſurpaſſe? Omnino ut *Alba*, & *Albis* Germaniæ flumen dictum eſt, ita etiam Tiberis *Albas*, & *Alba* dici potuit unde legendum, Τιβερις λεγομενος Αλβας· λεγεται ϗ Αλβη. Ovidius, Virgilius, aliique Tiberim olim *Albulam* nuncupatum referunt, contra Stephanus *Albam*: utroque enim nomine inſignitum fuit. Condita nempe urbe *Alba* ad ripas Tiberis, flumen illac tranſiens *Alba* etiam dictum eſt: ſed poſtquam nova jam urbe, & longe ſplendidiori ab Aſcanio *Albæ* quoque nomine ædificata, prima illa urbs *parva Alba*, ut fieri ſolet, & *Albula* appellari cœpit, tunc Tiberis nomen ex illa quoque *Albulæ* ſumſit. Quæ noſtra quidem conjectura, & Stephanum juvat, & ab illo viciſſim adjuvatur, & mire cum iis congruit, quæ ſupra de *Alba*, & *Albula* fuſe diſputavimus.

Sed quid in noſtris conjecturis immoramur, cum aperte etiam Diodorus Siculus apud Syncellum *Venet. edit.* p. 194. Tiberim *Albam* dictum aſſeveret? En verba optimi polyhiſtoris: Την δ' αρχην διαδεξαμενος Α-

σκανιος ὑιος εκτισεν Αλβαν την νυν καλουμενην Λογγαν, ἡν ωνομασεν απο τȣ ποταμου του τοτε μεν Αλβα καλουμενου, νυν δε Τιβερις ονομαζομενου, *imperium ſuſcipiens Aſcanius filius Albam condidit, cui nunc cognomen Longa, quam ſic appellavit ex flumine, quod tunc quidem Alba, nunc vero Tiberis appellatur*. Nec de hujus loci lectione dubitandum, cum ipſemet Syncellus p. 147. eadem habeat, ac Diodorus: Λατινων ι. εβασιλευσε Τιβεριος ετη να' του δε κοσμου δφνα' αφ' ου ποταμος Τιβερος προσηγορευθη, ὁ πριν Αλβας καλουμενος, *Latinorum Rex X. Tiberius annis* 51. *mundi vero* 4581. *ab eo fluvius Tiberis appellatus, qui prius Albas dicebatur*. Doctiſſimus, & κριτικωτατος vir Petrus Weſſellingius in ſuis ad Diodori fragmenta adnotationibus, tum in exaratis, tum in mss. libris omnibus, etiam apud Euſtathium in citat. loc. Dionyſ. conſtanter legi *Albam* affirmat: unde acriter Cluverium, & Berchelium reprehendit, qui Αλβουλαν in Stephano reponendum cenſent: neque enim ſtatim mendum librariorum judicandum, quod rarum in aliquo ſcriptore occurrat. Subdit autem vir incomparabilis: *Id vero unde Diodorus acceperit, Albam Longam a Tiberi, cui tunc Albæ nomen, fuiſſe cognominatam, neſcio: præſertim cum urbs illi fluvio non accubaret, ſtadiis ferme* CXX *ab eo diſtincta, teſte Dionyſ. l.* 1. *p.* 65. Hæc certe non adeo admiraretur Weſſellingius, ſi noſtrum de *Alba* συςημα ſuboluiſſet. Omnino *Albam Longam* dictam *Albam* ex *Alba* flumine, quod CXX ſtadiis ab ea diſtabat, ridiculum eſt. Male igitur Diodorus, licet Latinis longe hac in fabula accuratior, male inquam hæc ex vetuſtis annalibus expoſuit, in quibus cum *Albam* ita dictam ex *Alba* flumine inveniſſet, putavit hoc de *Alba Longa* intelligendum, cum tamen

men *Alba* illa eſſet urbs, quam Æneas ad ripam *Albæ*, ſeu *Tiberis* condidit : inde alia urbs ab Aſcanio condita in memoriam prioris *Albæ*, etiam *Alba Longa* dicta eſt. Veteres ſcriptores brevitati nimium, quam par erat, conſulentes, tot tenebras hac in hiſtoria pepererunt : ajunt enim *Albam Longam* ita dictam ex Tiberi tunc *Alba* nuncupato, cum dicere debuiſſent *Albam Longam* appellatam in memoriam alterius *Albæ* ab Ænea conditæ, quæ quidem prior *Alba*, cum eſſet ad ripas *Albæ* fluminis condita, ex illo nomen traxit. Quod ſi noſtrum hoc συστημα vulgatiori & receptiori de *ſue alba* fabulæ accommodari velit, non urbem ex fluvio, ſed contra ex urbe flumen nomen accepiſſe opinandum eſt : inventa ſcilicet Æneas ſue *alba* ad Tiberis ripas, ibi urbem ex ſuis omine ædificatam, *Albam* appellavit : flumen autem, quod integrum *Tiber* quaſi טבר erat, qua parte hanc *Albam* urbem alluebat, *Alba* etiam dictum eſt, quemadmodum qua per *Rumonem* labebatur, *Rumon* appellatum : de quo, licet hic importunius, non poſſum omittere, quæ ſero didici ex Holſtenio, nominibus ſcilicet propriis additum ſæpe, & ablatum quandoque το α, ut Μοργος ϗ Αμοργος, Παιστος ϗ Απαιστος, Ταρνα ϗ Αταρνα, Μηνδοι ϗ Αμηνδοι, atque alia, quæ ille in Stephanum voce Μοργος. Unde non mirum ſi Hebræum רמונ *Rumon* alii, alii *Armon* reddiderunt, & culpanda potius vulgata, quòd alteram e medio litteram abſtulerit & pro *Rumon* poſuerit *Rumon*, quam quod αλφα addiderit in principio, & illud *Armon* effinxerit, quod melius vertiſſet *Arumon*.

Hæc dum prælo ſubjiciuntur, en ſeptimum volumen quatuordecim Academicorum *Cortonenſium* diſ-

ſertationes complectens , Romæ proximo anno excuſum , in lucem prodit : continuo ſibi eas parare ſatagit vir harum cupediarum , ſi quis umquam , amantiſſimus, privata licet umbra ſemper quieſcere , alioſque hac in arena certantes ſpectare ſatius duxerit , Agnellus , inquam , Piſcopus , qui ſtatim quæ ſua humanitas eſt, ſponte illud nobis afferri jubet , monens etiam , ut octavam diſſertationem Petri Lucatellii , viri in Litteraria Republ. ſatis noti , & cui merito Muſæi Capitolini cuſtodiam mandatam omnes συγχαιρουσι , diligentius evolverem , ſi quid forte inde in rem meam depromere opus eſſet . Vix lemma opuſculo appoſitum inſpicio *Dell' antica Città di Lavinio* , cum avidiſſime in illud feror , totumque brevi devorandum ſuſcipio , ſperans certe tot nodos , qui in hac veteri hiſtoria occurrunt, felicius a tam docto & ſpectato viro , quam a parvæ lectionis adoleſcente ſolvi potuiſſe . Sed vanam , quæ me lactaverat , ſpem fruſtratam tandem invitus agnovi , ut totam viri docti Exercitationem attente perlegi , non quod minus quidem ibi , quam ſolet, accurate rem tractaverit Lucatellius , ſed quod vix ſummis labris hanc , de qua agimus , quæſtionem delibans , in eo totus eſt , ut veteris *Lavinii* ſitum inveſtiget . Quod quidem argumentum , longius licet a noſtræ diſſertationis ὑποθεσει diſtet , tamen cum paullo ſuperius , dum forte Strabonis locum illuſtrare pergeremus , nos etiam e re nata pauca de *Lavinii* ſitu commentati ſimus , & noſtris nunc contraria doceat in ſua diſſertatione Lucatellius : operæ pretium me facturum arbitror , ſi paucis hic ea ediſſeram , quæ mihi in ejus opuſculo majori adhuc probatione indigere viſa ſunt. Quæ quidem ſi vero ſimilioribus conjecturis , ſolidioribuſque

que

que auctoritatibus firmaverit Lucatellius, haud ægre in ejus ſententiam pedibus me iturum ſpondeo.

Primum quidem *Lavinium* in colle 24 ſtadiis a mari remotum ponit: inde eo in loco fuiſſe decernit, quo nunc *Patrica*, quæ & ipſa 24 ſtadiis, ſeu tribus paſſuum mill. a mari diſtat: tum multa, quæ de *Lavinio* habent veteres, *Patricæ* accommodare conatur. Hæc, atque alia quæ ibi affert vir doctus, falſa eſſe omnino neceſſe eſt, cum falſum illud ſit *Lavinium* fuiſſe in colle 24 ſtadiis longe a mari, unde totum συστημα pendet Lucatellianum. Miror multæ lectionis virum dum γεογραφουμενα hæc tractat, minime Geographorum oraculum Strabonem conſuluiſſe, qui *Lavinium* collocat *ad maris littus*, uti & Oſtiam, & Antium, quarum in medio urbium *Lavinium* fuit: locum Strabonis paullo ſuperius a nobis relatum habes p. 96. Non poteſt igitur *Lavinium* eſſe *Patrica*, quæ 24 ſtadiis a mari diſtat, ipſomet fatente Lucatellio: ſed unde nam hauſit vir doctus *Lavinium* a mari remotum tribus paſſuum millibus fuiſſe? Fortaſſe ductus eſt a verbis Strabonis l. 5. p. 229. quæ ſupra attulimus p. 103. ubi urbem, quam primus Æneas in Italia ædificavit, 24 ſtadiis longe a littore fuiſſe narrat: Φασι δε Αινειαν μετα του πατρος Αγχισου, ϗ του παιδος Ασκανιου καταραντα εις Λαυρεντον πλησιον των Ωστεων, ϗ του Τιβερεως ηιονος μικρον ὑπερ της θαλαττης, ὁσον εν τετταρσι ϗ εικοσι σταδιοις, κτισαι πολιν, *fama eſt Æneam cum Patre Anchiſe, & filio Aſcanio Laurentum appuliſſe prope Oſtiam, & ad Tiberis ripam ad 24 ſtadia ſupra mare urbem condidiſſe*: ita hæc vertunt Strabonis interpretes, ſed quam recte, ipſi viderint: locutiones illæ ὑπερ θαλαττης apud Græcos, & *ſupra mare* apud Latinos non eam vim

vim habent, ut *longe a mari* denotent, ſed *urbs ſupra mare*, & ὑπερ θαλαττης eſt *urbs immines in æquor*, quæve in mare etiam brachia tendat: contrarium eſt απο της θαλαττης, *longe a mari*, ut videre licet in his etiam Strabonis locis, quos ſupra attulimus, ubi de *Lanuvio*, & *Lavinio* agebamus p.95. Nolim hic pro certo aſſerere vocem ὑπερ nunquam apud Strabonem *longe* denotare: ſat enim memini, quæ in contrarium docet Salmaſius in Plinianis: quæ quidem licet facile confutari poſſint, cum tamen nec me nunc id facere locus patiatur, nec alius adhuc confutaverit, habeat certe ὑπερ duplicem notionem, donec aliquis exſtiterit, qui hanc ſignificantiam, quo jure quaque injuria τῳ ὑπερ tributam eripiat. Illud certe inficiari nemo poterit ſæpiſſime ὑπερ θαλαττης eſſe apud Strabonem idem ac *imminens in mare*, & plus quam επι θαλαττης, quod eſt ſimpliciter *ad littus*. Sic igitur Geographi verba intelligenda ſunt Æneam condidiſſe urbem μικρον υπερ της θαλαττης *parum mari imminentem*, tantum autem ſpatium hanc urbem occupaſſe, ὁσον εν τετταρσι κ, εικοσι ςαδιοις, *quantum vigintiquatuor ſtadia comprehendunt*. Aliorum ab hac diverſa interpretationes ſatis confutat illud, urbem ſcilicet fuiſſe prope *Oſtiam*, tum μικρον illud, quod, ſi ὑπερ *longe* explices, ægre cum 24 *ſtadiis* componas, tum ὁσον εν, quod alium ſenſum vix recipere poterit.

Miror autem non parum noſtri ævi decus eruditiſſimum Mazochium ex eo quod legerit apud Strabonem *Heracleam* fuiſſe μικρον ὑπερ της θαλαττης, ſtatim invitis omnibus auctoribus, decreviſſe urbem illam fuiſſe longe a mari *duobus ferme millibus*, cum Strabo non ſolum *Heracleam* ad maris littus collocet, ſed etiam plurimam

ejus

ejus partem *in æquor imminentem*, ὑπὲρ θαλάττης. Hæc quidem veluti in eleganti corpore nævos æquiori animo ferrem, niſi in commentariis in Heracleenſes tabulas pag. 110. occurrerent, quibus quidem quam lucem veteri Heracleæ afferre potuit vir doctus, cum etiam poſt tot ejus labores Heracleæ adhuc ſitus ignoretur?

Verum ut ad propoſitum noſtrum redeamus, ſive *ad littus maris*, ſive a mari 24 ſtadiis remota fuerit urbs primum condita ab Ænea: certe multis ſuperius evicimus urbem primum in Italia ædificatam *Lavinium* non fuiſſe, & Strabo ipſe urbem illam ſatis a Lavinio diſtinguit, dum narrat Æneam urbem ὑπὲρ θαλάττης primum, poſtea bello cum Rutulis confecto, Lavinium condidiſſe. Vide integrum Strabonis locum, quem adduximus ſupra p. 103.

Sed fons, unde omnia hæc abſurda manarunt, patuit mihi ſtatim atque animadverti doctum virum, ut *Numicium* prope *Lavinium* fuiſſe oſtenderet, adducere Plinii locum l. 3. c. 5. *Oppidum Laurentum*, *amnis Numicius &c.* quaſi *Laurentum*, & *Lavinium* idem fuerit. En igitur quod impoſuit Lucatellio: putavit cum Servio, ceteriſque, quos ſuperius exploſimus *Laurentum*, & *Lavinium* idem fuiſſe: ideoque quæcumque de *Laurento* veteres habent, ipſe ad *Lavinium* torquet: cum hoc prius oſtendere debuiſſet communia eidem urbi nomina fuiſſe *Lavinium*, & *Laurentum*. Sed vellem moneret ſaltem Lucatellius ſe pro his ſtare in illo opuſculo, qui *Lavinium*, & *Laurentum* idem putant, atque hoc quidem, ut ὑπόθεσιν proponere, ſi libet nunc ὑποθέσεις etiam in Litterariam Rempubl. inferre, ut latius inde luxuriantia ingenia exſpatiari poſſint. Nunc autem ne γρῦ quidem de hoc ſyſtemate monens,

nens, ita de *Lavinio* verba facit, quaſi *Laurentum*, & *Lavinium* idem fuerint, ac nemo id adhuc in dubium revocaverit. Quid vero ſi ſibi ipſe contraria frontibus adverſis componere conatur? veſtibulum ante ipſum Diſſertationis, *Laurentum* fuiſſe etiam antiquius Latino rege, & Æneæ in Italiam adventu evincere contendit: at ſi *Laurentum* fuit ante Latinum, & Æneam, quinam poſtea Æneas, ipſomet fatente Lucatellio, *Lavinium* exſtruere potuit, cum *Lavinium* idem fuerit, ac *Laurentum*, quod jam etiam ſi Diis placet, ante lacrymoſa Trojæ funera exſtiterat? An igitur *Lavinium* cum *Lanuvio* confundit, quod certe fuit ſupra Ariciam in edito loco?

Sed magis veroſimile eſt *Laurentum*, & *Lavinium* miſcuiſſe, cum omnia fere quæ de *Laurento* habent veteres, *Lavinio* ipſe tribuat, atque inde *Patricæ* pergat accommodare. Quid plura? non tanti res quidem eſt, ſed vide ſodes, & conſule accuratiſſimum Lexicon του πανυ Jacobi Facciolati: ibi autem invenies *Lavinium* eſſe *Città Lavinia* (male autem ejus ſitum deſcribit ex Servio, qui γεογραφουμενα hæc vix ſummis labris deguſtaverat, ſed quis plura in Lexicis requirat?) *Lanuvium* autem eſſe *Città Indovina*, *Laurentum* demum ubi nunc *Patrica*: rem certo jucundiſſimam, qua nos beavit doctiſſimus Facciolatus. En tibi totum Lucatellii συστημα quo fulcro potiſſimum nitatur. *Patrica* eſt *Laurentum*: quæ vero de *Laurento* habent veteres, ipſe quo jure quaque injuria tribuit *Lavinio*: *Lavinium* igitur, & *Laurentum* ſi unum fuerit, & *Patricam Lavinium* eſſe neceſſum eſt: certe nihil argutius, & preſſius dici poterat. Sed antequam *Lavinium Patricam* fuiſſe fateamur, doceat nos oportet Lucatellius,

lius, *Laurentum*, *Lavinium*, *Lanuvium* idem eſſe: quod ſi fecerit, libenter herbam porrigam viro docto. Verum amice moneo clariſſimum Lucatellium, ne Latium iſto modo populare urbibus pergat: quid enim binas ex una *Alba* facere nos juvat, ſi contra ex tribus unam ipſe urbem componere conatur? Nunc autem, donec *Lavinium*, *Laurentum*, & *Lanuvium* idem, unumque eſſe oſtendet, ipſam opuſculi επιγραφην in melius mutari velim, & pro illa, *Dell'antica Città di Lavinio* aptius, & opportunius apponere, *Dell' antica Città di Laurento*.

Atque hæc quidem de *Lavinio*. Miror autem virum clariſſimum, dum multa vetuſtiora affert monumenta, quæ ſuem cum fœtibus exprimunt, pulcherrimi numiſmatis oblitum, quod ſupra pag. 92. accurate nos effingi curavimus. Quod autem affert ex Montfauconio *Antiq. Expl.* p. 159. vol. 2. ſemper mihi vel ſuſpectiſſimum eſt habitum: *ædificium* ξεϛοισι λιθοισι πυχομενον exhibet numiſma; & ſuperiori portæ limini cum fœtibus *ſuem* inſidentem. Quid hoc quæſo? an ſuis imaginem illam repræſentat, quam Lavinii in publico fuiſſe monumento quam plurimi teſtantur, & jam prædixerat Lycophronis Caſſandra v. 1258. ſed vide ſodes: novo architectonices ordine, ædificio illi in arcis modum extructo *templum* impoſitum eſt, ante fores templi *ara*, inde *Æneas* cum patre *Anchiſa* filii humeris innixo, quid tum? non aliter ac pictor ille Horatianus cupreſſum etiam in mediis fluctibus, ſic ibi ſcalptor *Laurum* effinxit. Hæc ediſſerat velim Lucatellius, & eſto mihi vel magnus Apollo. *Lavinium*, *ſus* ſuper Lavinii porta, *Templum*, *ara*, *Æneas* importuniſſime hic cum Patre *Anchiſa*, & *Laurus*, & ſi quæ

Q præ-

præterea ſunt, quæ ibi ſimul conjuncta cernere erit. Heu! *quid non ſperemus amantes? jungentur jam gryphes equis:* exſpecto ut etiam aliquando

Cum canibus timidi veniant ad pocula damæ.

Atat *Laurus* illa συμβολον eſt *Laurenti*: ſed quid hic *Laurentum* quæſo? an ſuem *Laurento* in urbe inventam ullus adhuc pronuntiavit? Ego certe quid dicam præterea neſcio, niſi ſi monumentum iſtud ad extremum Latinitatis cadentis ævum libeat amandare, cum *Lavinium*, *Lanuvium*, *Laurentum*, quorum vix tunc memoria exſtabat, promiſcue inter ſe confundere ſolebant.

Verum hic ultra immorari non patitur Lucatellius, meque ad pulchriorum numiſmatum adſpectum pertrahit, in quibus (certe Sulpiciæ gentis numiſmatibus, ut patet vel ex epigraphe *C. Sulpicius C. F.*) cum *ſus* in averſa parte impreſſa ſit, hoc ideo factum putat, quod ſui generis vetuſtatem ad Æneam uſque extenderent Sulpicii. Hoc ridiculum commentum ab Ericio primum excogitatum, miror Vaillantium, alioſque poſt eum libenter amplexos, vel quia naſus illis nullus erat, vel quia meliorem interpretationem afferre deſperabant. Sed ut omittam hoc ineptum συμβολον ad vetuſtatem gentis oſtentandam, ſus illa, quam invenit Æneas vel in iis, quæ affert monumenta Lucatellius, ſemper multos fœtus enixa conſpicitur, cum hic ſus ſola appareat inter duos hinc inde haſtatos milites, ut bene obſervat ad Sulpiciam gentem Havercampus. Non poteſt igitur hæc ſus aliud συμβολιζειν, quam fœdus inter Roman. populum, & exteros, opera fortaſſe alicujus ex Sulpiciis, quod quidem an Albanum fuerit, an aliud, locus hic non eſt inveſtigare:

&

& ſatis mihi eſt, ſi ſuem, non illam quidem Lavinienſem, aut Albanam, ſed ut fœderis ſignum agnoſcamus, ut pueri etiam ſciunt vel ex noto Maronis verſiculo:

Stabant, & cæſa firmabant fœdera porca.

Cetera vide ſis apud Havercampum in Morellium in gente Sulpicia: quem miror minus hanc ſententiam amplexum, eo quod in aliis numiſmatis ſus, quæ fœdus συμβολιζει, vel aræ impoſita, vel in alicujus manibus conſpicitur, hic autem ſimpliciter inter duos milites: quaſi ante ſacrificium ſuem intactam adhuc exprimere in numiſmate non liceret. Omiſſos autem in præſentia velim eos, qui ut characia aliqua priorem de ſue Lavinienſi opinionem firment, addunt Sulpiciam gentem dictam ita, quaſi *Suiſpiciam*, eo quod ex comite illo Æneæ originem duceret, qui ſuem primus adſpexerit, quaſi aut Latine tunc temporis loquerentur, aut ex Latina lingua origo petenda ſit Hetruſcis fortaſſe iſtis vocibus, quarum magnus in Romanis familiis numerus, quæque, ut *Numa*, *Tullius*, aliaque id genus, vel nihil notant, vel ſi quid notant, ex Hetruſca lingua petendum eſt.

Illud autem factum nollem a viro doctiſſimo, totam ſcilicet de alba ſue fabulam, quam *Albæ* urbi omnes poetæ, & hiſtorici accommodant, ipſum ita *Lavinio* tribuiſſe, ut ne ullam quidem *Albæ* fecerit mentionem; cum Virgilius, cui quidem in hac veteri hiſtoria accuratiſſimo haud reperire eſt parem, nihil prorſus habeat de *Lavinio*. Haud ego inficias iverim Varrone auctore ſuem *Lavinii* triginta porcos albos peperiſſe: ſed ipſemet l. 2. c. 4. de R. R. hoc factum nil aliud portendiſſe affirmat, quam quod *Lavinienſes*

triginta poſt annos *Albam* urbem forent condituri. Nequaquam vero ait Varro ſuem illam ibi *Lavinium* ædificandum indicaſſe: imo ex ejus verbis id colligi poterit, Varronem in ea fuiſſe ſententia, ut *Lavinium* etiam ante Æneam exſtitiſſe putarit. Sed hanc Varronianam oſtenti hujuſce interpretationem ſatis ineptam agnoſcet quiſquis nihil ſue illa indicatum ex ejus ſententia animadvertat, quam quod triginta poſt annis (quos συμβολικως triginta capitum fœtus exprimebant) Lavinienſes condiderint *Albam*. At videſis ut omnia recte procedant in Marone: ſuem *albam* invenit Æneas, & eodem loco ſtatim *Albam* erexit: triginta fœtus enixa fuerat, triginta poſt annis Aſcanius aliam urbem exſtruxit: hanc autem in illius memoriam *Albam* nuncupavit, & quidem *Albam Longam*. Prior autem illa *Alba*, quæ ad ripas Tiberis poſita, ipſi *Albæ* quoque nomen dederat, mox reſpectu *Longæ Albæ* cum *Albula* dici cœperit, Tiberis quoque *Albula* dictus eſt. Hæc ſunt, quæ de hoc *duplicis Albæ* συςηματι commentari potui: ſi quid rectius iſtis noverit Lucatellius, candide impertiri non pigeat: interim his mecum utatur.

VI. Sed jam peracta eſt fabula, & nil aliud fortaſſe *reliquum relinquitur*, *quam datè plauſum poſtrema in Comœdia*: ſed cum alteram *de Ara Maxima* fabulam ejuſdem etiam περιπετειας, alio die differre non liceat, nunc quoque (modo audientiam nobis faciatis) ſpectandam ipſam proponere opus eſt. Satis autem ex *Ficu Ruminali*, & *Alba* patet, quam ignari Romanarum rerum ipſi eſſent Romani, quantoque Latinorum hiſtoria magis quam Græcorum incerta ſit, atque confuſa. Sed quid dicemus de *Ara maxima*, de qua ipſi, qui ſuo ævo

ex-

exſtare eam adhuc affirmant auctores, adeo nihilominus diſcrepant inter ſe, ut nec quis aram illam erexerit, nec quonam urbis loco fuerit, adhuc decerni potuerit? Nolim hic calamiſtris inurens Romanorum Scriptorum incuriam oſtentare: quare, ne in ſcribendis prologis operam abutamur, age jam ſine ullo προαυλῳ, aut προοιμιῳ, fabulam ipſam aggrediamur. Prodeat autem primus in ſcænam Livius, apud quem l. 1. c. 4. poſt Caci internecionem ſic Herculem Evander alloquitur. *Jove nate Hercules ſalve, te mihi mater veridica interpres Deum aucturum Cæleſtium numerum cecinit: tibique aram hic dicatum iri, quam opulentiſſima olim in terris gens maximam vocet, tuoque ritu colat. Dextra Hercules data, accipere ſe omen, impleturumque fata, ara condita, atque dicata ait.* Hucuſque apud Livium Evander, atque Hercules. Joannes Dujatius in ſuis ad uſum Delphini adnotationibus hæc habet ad hunc locum: *Ita melius, quam ut Sigonius, dextra Herculi data. Hunc locum Turnebus interpretatur, ut Hercules porrecta Evandro manu, divinitatis omen acceperit: ſeque fata, quæ Carmenta cecinerat, impleturum, aramque maximam dicaturum oſtenderit. Et ſane dicavit non ſibi opinor (quod abſurdum Sigonio viſum, quamvis ita velit cum Ovidio Solinus) ſed Jovi Inventori, cui juvencum ob receptas de Caco boves mactavit. Aram vero illam maximam vocarunt: & quoniam in ea Hercules decimam Jovi obtulerat, Romani Herculi poſtea ipſi facultatum ſuarum decimas ibi offerebant.* Hæc Dujatius: ſed neque eum, neque Turnebum quid ſibi velint intelligere poſſum: nam ſi Herculem ſibi ipſum aram dedicaſſe abſurdum iidem eſſe cenſent interpretes, quanto hic abſurdius eſt Herculem cum Evandro loquentem in

inducere , quaſi thraſonem aliquem , aut pyrgopolinicem , qui ſe impleturum fata , aramque dicaturum ſibi ipſe jactet ? Scio Turnebum ſimpliciter aram dicaturum maximam expoſuiſſe , quaſi de *Jovis Inventoris* ara loqueretur : verum ſi ita eſſet , fata impleri non poterant: neque enim *Jovi*, ſed tibi *Hercule*, inquit Evander, hic aram dicatum iri Carmenta genitrix cecinit. Sed fac etiam ita Livium intellexiſſe, ubinam invenit Turnebus aram *Jovis Inventoris* maximam dictam eſſe ? ubi Dujatius , in ara *Jovis Inventoris* decimas Romanos perſolviſſe ? cedo unam veterum auctoritatem . Sed de hoc loco Livii dicam poſtea , ubi aliorum ſententias de hac ara Herculis maxima attulerimus . Ovidius Faſtor. 1. collocat aram,

Hic ubi pars Urbis de bove nomen habet:

ideſt in foro *Boario* , quod etiam a *bobus* Herculis, qui ibidem paſcebantur dictum vult Propertius , aliique. Eodem ex fonte *Baulis* loco inter Miſenum, & lacum Bajanum nomen repetunt Servius, & Symmachus l. 1. ep. 1.

Huc Deus Alcides ſtabulanda armenta coegit,
Eruta Geryonis de lare tergemini:
Inde recens ætas corrupta Boaulia Baulos
Nuncupat occulto nominis indicio.

Sed hoc, prout ſolent veterum ſcriptorum etyma, ſatis ridiculum : illud certe veroſimilius , quod conjicio, *Baulos* ſic dictos quaſi *locum fructiferum* ex Phænicio בול vel יבל quod idem eſt, unde & menſi *Octobri* יבל nomen datum apud Hebræos , non ſecus ac Horatius *pomiferum annum* appellat *Autumnum*. Verum e diverticulo in viam.

Dio-

Dionyſius Halicarnaſſeus *aram*, de qua loquimur, ad portam *Trigeminam* ſtatuit, ſeu *Oſtienſem*, quam a foro *Boario* certe non parum diſtare ſciunt omnes, qui vel levi aliqua Romanarum rerum cognitione fuerint imbuti. Marlianus enim, qui portam eam ad *Scholam Græcam* fuiſſe putabat, immane quantum eruditis omnibus a vero aberrare viſus eſt. Vide Roſin. 11. 5. Nard. 7. 3. &c. Dionyſii Halicarnaſſei verba in primordiis Urbis Romæ pag. 31. hæc ſunt: Ἡρακλης δε αλοιων αυτον τῳ ροπαλῳ κτινει, και τας βοας εξαγαγων, επειδη κακουργων υποδοχαις ευθετον εωρα το χωριον, επικατασκαπτει τῃ καλαυροπι το σπηλαιον; και ιδρυεται πλησιον του τοπου Διος Ευρεσιου βωμον, ός εςι της Ῥωμης παρα τῃ Τριδυμῳ πυλῃ, quæ ſic interpretaberis: *Hercules autem baculo ipſum percutiens interfecit, & boves abigens, ut locum aptum eſſe maleficis receptaculum deprehendit, ſpeluncam clava diruit, & prope locum inſtituit aram Jovis Inventoris, quæ ad Trigeminam portam Romæ conſpicitur.*

Præterea Ovidius aram ſibi ipſum dicaſse Herculem dicit, Dionyſius *Jovi Inventori*: Propertius, Ovidius, & alii fere omnes *maximam* hanc aram appellant, cum nihil tamen hujuſmodi habeat Halicarnaſſeus. Adnotanda etiam, quæ Tacitus ſcribit Annal. 15. *Magna ara, fanumque, quæ præſenti Herculi Arcas Evander ſacraverat*: quod certe in aliis auctoribus nunquam occurrit. Quid ſi Virgilius aram a *Pinariis*, & *Potitiis* Herculi erectam affirmat, quos Herculem aræ ab ipſo erectæ ſacerdotes conſtituiſſe ſcriptores omnes alii aperte teſtantur?

Hæc tam varia apud veteres auctores, atque diſcrepantia facile ut componas, duas aras adgnoſcas opor-

portet; alteram *Jovis Inventoris*, quam Hercules *Trigeminam* prope portam erexit: alteram, quam Evander, Potitii, & Pinarii, quibus Hercules ſuæ aræ ſacerdotium mandaverat, ipſi *Herculi* in foro *Boario* dedicarunt. Has autem male Ovidius inter ſe confundit 1. Faſtor.

Conſtituitque ſibi, quæ maxima dicitur ara,
Hic ubi pars Urbis de bove nomen habet.

Neque enim ſibi, nec in foro *Boario* aram umquam Hercules erexit: nec Propertium auſim excuſare, apud quem ſic ipſe Hercules loquitur:

Maxima, quæ gregibus devota eſt ara repertis,
Ara per has, inquit, maxima facta manus.

Ubi cum aram Herculi dicatam intelligat, importune Herculem ibi loquentem inducit, jactantemque ſibi ipſum aram maximam erexiſſe: neque enim de illa, quam Hercules ad *Trigeminam* portam *Jovi Inventori* dicavit, Poeta intelligi poteſt; cum ex Livio, Virgilio, Dionyſio, imo omnibus Scriptoribus ſit exploratiſſimum, aram *Herculis* nomini ab aliis erectam, *maximam* apud veteres fuiſſe nuncupatam: unde ſatis ſe imperitum oſtendit Dujatius, ceterique Liviani intepretes, qui cum *aram maximam* memoret hiſtoricus, ipſi aram *Jovis inventoris* intelligant, quæ *maxima* nunquam dicta fuit. Quanto igitur melius 8. *Æneid.* Maro, qui *aram Herculi* dicatam a Potitiis, & Pinariis refert, & eam quidem *maximam* appellat? Audi ſis Evandrum ad Æneam:

Ex illo celebratus honos, lætique minores
Servavere diem: primuſque Potitius auctor,
Et domus Herculei cuſtos Pinaria ſacri
Hanc aram luco ſtatuit, quæ maxima ſemper

Di-

Dicetur nobis, & erit quæ maxima ſemper.

Vides, ut duas hic aras innuat Poeta, *Herculis* alteram, ſeu quam Hercules Jovi erexit, cujus ſacri cuſtos erat *Pinaria*, & *Potitia* domus, alteram, quam Pinarii, & Potitii *Herculi* poſtea ſtatuerunt? Et tamen nemo adhuc, quod ſciam, interpretum hoc animadvertit.

Illud autem ingenue fateor in Evandri oratione non placet apud Virgilium: *quæ maxima ſemper*

Dicetur nobis, & erit quæ maxima ſemper.

Sane Evandri ipſius genitrix Carmenta cecinerat apud Livium, aram illam non tunc quidem, ſed olim a gente opulentiſſima, a Romanis ſcilicet, *maximam* appellandam: qui tum ob aræ admirabilem vetuſtatem, tum quod Herculi dicata eſſet, quem fere ſemper magnum, maximumque appellare ſollemne fuit, tum præſertim, quod a Romulo ipſo magnis fuerit honoribus culta, *Maximæ* nomine decorarunt. Prima etiam fortaſſe ara fuit, quam veteres Romani coluerunt: in Palatino enim monte erat, ubi Pallanteum, & poſtea prima Romæ veteris incunabula; Aram enim illam, quam Jovi ipſe Hercules extruxit extra veteris Romæ mœnia in ultimo *Aventino* prope ſpeluncam Caci fuiſſe teſtatur Halicarnaſſeus. Hinc non parum miror, quid Evandro in mentem venerit apud Poetam, dum de hac Caci ſpelunca ad Herculem inquit:

Jam primum ſaxis ſuſpenſam hanc aſpice rupem, &c.

Etenim cum hæc ſpelunca ad *Trigeminam* fuerit portam, ubi & Herculis ara, ad ultimum ſcilicet *Aventinum*, neſcio an ante ipſum Pallanteum, in luco non procul a Tiberi, Æneæ, Evandro, ceteriſque ſa-

cra ibi Herculi ferentibus ita rupes illa, ubi Caci ſpelunca fuerat, ob oculos foret, ut, *aſpice hanc rupem* Evander dicere potuiſſet. Sed de Marone plura loqui equidem vereor,

Cujus ſacra colo ingenti perculſus amore.

Verum, ut e ſemita in viam, ſatis ex his, quæ diximus, patere exiſtimo, ut ſupra adductus Livii ille locus debeat explicari: neque enim ulla ratione intelligi poterit, niſi vulgatam explodamus lectionem, & cum Sigonio *dextra Herculi data*, pro *Hercules* legamus. Nam Dujatius, Turnebus, aliique, qui vulgatam lectionem retinere conantur, quibus in ſcopulis nec opinantes illidant, ſatis viſum eſt. Nunc quam bene omnia collineant, ſi lectionem Sigonianam admittamus, quæſo animadverte: *Jove nate Hercules ſalve,* (ita Evander ad Herculem) *te mihi mater veridica interpres Deum aucturum cæleſtium numerum cecinit, tibique aram hic dicatum iri, quam opulentiſſima olim in terris gens Maximam vocet, tuoque ritu colat. Tum dextra Herculi data, accipere ſe omen, impleturumque fata, ara condita, atque dicata, ait.* Ita totus orationis tractus unius Evandri erit, qui matris omen ſe accipere, ſeque, ut fata implere poſſit, aram conditurum ipſique Herculi dicaturum pollicetur. Similis eſt locus Strabonis lib. 5. p. 230. Λεγονται . . . πυθομενον δη της μητρος Νικοστρατης τον Ευανδρον (ειναι δ' αυτην μαντικης εμπειρον) ὁτι τῳ Ἡρακλει πεπρωμενον ην τελευτησαντι τους αθλους θεῳ γενεσθαι, φρασαι τε προς τον Ἡρακλεα ταυτα, και τεμενος αναδειξαι, και θυσαι θυσιαν Ἑλληνικην· ἡν και νυν ετι φυλαττεσθαι τῳ Ἡρακλει· quæ ſic interpretor: *Fama eſt Nicoſtratam matrem Evandro perſuaſiſſe* (*erat ipſa divinandi artis, ut ajunt, peritiſſima*) *quod fato jam deſtina-*

natum eſſet, Herculem poſtquam labores omnes exantlaverit, in Deorum numerum referendum: hæc ipſum Evandrum ad Herculem retuliſſe, fanumque ipſi dedicaſſe, rituque Græco ſacra celebraſſe, quod nunc quoque in Herculis ſacris obſervatur. Ex his Strabonis verus etiam ſenſus verborum Livii l. 1. de Romulo intelligitur: *Sacra Diis aliis Albano ritu, Græco Herculi, ut ab Evandro inſtituta erant, facit*: neque enim placet, quod Liviani interpretes, & vir doctus etiam in Plinium commentatur, legendum ſcilicet. *Sacra Diis aliis Albano ritu Græco; Herculi, ut Evandro inſtituta erant, facit*. Nam ſi ceteris Diis Græco ritu ſacra faciebat, quid adderet *Herculi, ut ab Evandro inſtituta fuerant*, quaſi Græco illa ritu non fierent? Sed omnino, ut diximus, legendum eſt, cum θυσαι θυσιαν Ἑλληνικὴν dixerit Strabo loc. cit. qui etiam ea ibidem addit, quæ maxime opinionem noſtram firmare videntur, καὶ ὁ Κεκιλιος, inquit, ὁ των Ρωμαιων συγγραφευς, τουτο τιθετο σημειον, του Ἑλληνικων ειναι κτισμα την Ῥωμην το παρ᾽ αυτῃ την πατελον θυσιαν Ἑλληνικὴν ειναι τῳ Ἡρακλει, ideſt, *& Cæcilius quidem Romanarum rerum ſcriptor hoc potiſſimum argumento Romam a Græcis conditam oſtendit, quod ibi patrio, & Græco more ſacra Herculi fierent*.

Sed, ut ad propoſitum redeamus, Tacitus etiam annal. xv. quemadmodum & Livius, Evandrum Aram Herculi erexiſſe affirmat, *magna ara*, inquit, *fanumque, quæ præſenti Herculi Arcas Evander ſacraverat*. Ubi tamen numquam Tacitum innuiſſe illis verbis crediderim, Evandrum aram, fanumque Herculi ſacraſſe, dum ipſe illic adeſſet: ſed τo *præſens*, ibi, *propitius*, *utilis*, *juvans* Hercules, interpretandum eſt, uti apud Virgilium 2. Georg. 126.

. . . . . *quo non præſentius ullum*
Auxilium venit.

& Georgic. I. 10.

Et vos agreſtum præſentia numina Fauni.

ideſt Fauni *propitii*, & quaſi *agreſtum* patroni, non, ut plerique interpretes habent, *propria agreſtum* numina, & in *terris degentia*. Itaque *præſens* etiam ἐπιφανὴς explicari poterit, quo nomine notiſſimum eſt deos apud veteres, & omnes fere poſt Antiochum Perſarum Reges fuiſſe inſignitos; quos quidem laborantibus, afflictiſque ſolatium, & auxilium μετ᾽ ἐπιφανειαν afferre putabant. Romanos etiam Imperatores deorum propria hæc nomina aſſumſiſſe, *præſenteſque*, & *præſentiſſimos*, *conſpicuos*, & *manifeſtos* fuiſſe nuncupatos, nemo vel ex obviis ubique numiſmatis ignorare poteſt. Vide, quæ nos in prima Exercitatione, ubi de *Ecphanto* p. 51.

VIII. Atque hæc de *Ara Maxima* commentabar, cum ecce in Salmaſii Plinianas incido exercitationes, in quibus pag. 3. vir ſummus aram *Jovi Inventori*, atque aram *Herculi* dicatam unam fuiſſe, eamdemque probare conatur. Vix dici poteſt, quantum id moleſtiæ primum mihi exhibuerit: prope animum deſponderam, meaſque lucubrationes tranſverſo calamo delere ſtatueram, aut παλινωδειν omnino potius, quam tanto cum viro in certamen venire, quem quidem quantus in clypeum aſſurgat, quo turbine torqueat haſtam, paulo ante in *ficu Ruminali* expertus fueram. Sed vires iterum ſumere, animumque priſtinum protinus revocare, ut ea, quæ ad Solinum de hac re ille ſcripſerat, attente perlegi: licet enim multos ibi veterum afferat locos, multa in veterum locis acutiſſime animadvertat; nunquam tamen mihi aliqua ra-

ratione perſuadere potuit aram *Jovis Inventoris*, & *Herculis* unam, eamdemque fuiſſe, niſi aut omnes inſaniſſe veteres, aut contra eorum fidem proprias cujuſque conjecturas conſiſtere etiam poſſe exiſtimemus. Ceterum, ut quam propior noſtra veritati ſit opinio, quam contra longe Salmaſiana ab illa recedat, omnes videant: libet hic e re nata, quæ ille in Solinum adnotavit; accuratius expendere, & pro virili etiam confutare, ſi prius Solini integrum locum apponamus; a quo cum amentatas ſæpe haſtas Salmaſius acceperit, experiri juvat an & eaſdem noſtris viribus, lacertiſque in ipſum retorquere poſſimus. Sic igitur Solinus in Polyhiſtoris ſui c. I. *Aram Hercules quam voverat, ſi amiſſas boves reperiſſet, punito Caco, Patri Inventori dicavit.*

Hæc ara fuit ad Trigeminam portam, ut ſupra collegimus ex Halicarnaſſeo, ubi Caci ſpelunca: ſed hæc non erat *maxima*: poſteri *maximæ* nomen aræ illi tantum tribuerunt, quæ Herculi a Potitiis, & Pinariis in foro *Boario* erecta fuit, non vero huic, de qua hic loquitur polyhiſtor, quamque ipſe Hercules Ζηνὶ Εὑρησίῳ dicavit, ſeu ut Solinus ait, *Patri Inventori*, ideſt *Jovi Inventori*, vel quod revera Herculis *Pater* eſſet, vel ſimpliciter *Patrem* pro *Jove* poſuit Solinus: quem ideo *Patrem* ſæpe appellatum vult Porphyrius, quod ad eum omnes gentes referantur. Hæc facile ſub ſilentio præterirem, niſi Grammatici ineptiſſimi Maronem arguerent, quod ſæpe *patrem* Æneam in ſuo Poemate obtrudit, cum eadem tamen in Jove ratio ſit, atque in Ænea:

. . . . . Genus unde Latinum
Albanique Patres, atque altæ mœnia Romæ.

quod

quod Virgilius ipſe clarius etiam oſtendit illo verſu:

At Pater Æneas Romanæ ſtirpis origo.

Sed de hoc του patris epitheto adeatur Julius Scaliger 5. Poet.c.3. Sequitur autem Solinus: *Qui Cacus habitavit locum, cui Salinæ nomen eſt, ubi Trigemina nunc Porta. Hic ut Gellius tradit, cum a Tarchonte Tyrrheno, ad quem legatus venerat miſſu Marſiæ Regis, ſocio Megale Phryge, cuſtodiæ foret datus, fruſtratus vincula, & unde venerat redux, præſidiis amplioribus occupato circa Volturnum, & Campaniam Regno, dum attrectat etiam ea, quæ conceſſerat in Arcadum jura, duce Hercule, qui tunc forte aderat, oppreſſus eſt. Megalem Sabini receperunt, diſciplinam augurandi ab eo edocti.*

Miror hic Solinum, poſtquam aram *Jovi inventori* Herculem, ob receptos *Caco punito* boves, dicaſſe narrat, poſtea Cacum alia de cauſſa oppreſſum dicere., quaſi ſui ipſe fuerit oblitus. Sed hoc ſæpe accidit Solino, qui ex tam diverſis auctoribus ſine delectu ſuum opus quaſi variis teſſellis conferruminavit. Hæc autem fortaſſe vera eſt Caci, & Herculis hiſtoria, quam Poetæ inde tot fabellis ornarunt: adeantur Ovidius Faſt. I. Propertius I. IV. Virgilius VIII. Livius &, & Halicarnaſſeus in primordiis Romanæ hiſtoriæ, aliique quamplurimi. Eadem retulerat Dio Caſſius, ut colligo ex Tzetze Chiliad. 5. c. 21. quem tamen vir plurimæ lectionis Carminius Falconius in Dionem (ejus copiam fecit mihi amicorum φιλτατος Salvator Spiriti, quem, præter natalium ευγενειαν, moreſque elegantiſſimos, juriſne peritia an bonæ litteræ, an Poeſeos cultioris ſtudium reddat clariorem, ignoro) is Falconius in ſuis in Dionem adnotationibus Tzetzem notat, qui Chiliad. 5. c. 21. τους βοας maſculino genere dixit, cum Chiliad. 2.

c. 30.

c. 30. de eodem furto loquens fœminas expreſſerit τὰς βᾶς. *Livius etiam*, inquit ille, *fluctuat:* etenim primo ait *averſos boves*, *eximium quemque*: mox *cum quædam ad deſiderium relictarum mugiſſent*. Non fluctuat Livius in hac tam nota Caci hiſtoria, ſed Falconii cymba tam fluctuoſum ingreſſa pelagum aliquando naufragii periculum ſubit. Cacus & *juvencas*, & *boves* rapuit, ut diſerte habet Maro:

Quattuor a ſtabulis præſtanti corpore tauros
Avertit, totidem forma ſuperante juvencas.

Hinc mutant, ut libet, ſæpe genera Auctores, dum modo ad *tauros*, modo ad *juvencas* referunt. Et conſultiſſime Livius, & Virgilius, cum de mugitu in ſpelunca loquuntur, fœmineum tantum genus uſurpant, non quod fœminæ ſolæ illic eſſent, ſed quod ipſæ facilius matrum diſceſſu mugiri poterant, ut matres filiorum abſentia: quas quidem mugiſſe teſtari videtur Livius illis verbis *cum actæ boves quædam ad deſiderium relictarum mugiſſent*, illas vero e ſpelunca contra reſpondiſſe Virgilius:

Reddidit una boum vocem, vaſtoque ſub antro
Mugiit, & Caci ſpem cuſtodita fefellit.

Sed neſcio quid ſibi velit vir doctus loc cit. dum Caci boves, *ſi perſonam detrahes fabulæ*, *fœminas* fuiſſe dicit, teſtemque adducit Dionyſium. At nihil hujuſmodi Halicarnaſseus, qui id habet tantum, Cacum nempe regulum fuiſſe, qui in caſtra Herculis irrumpens magnam inde *prædam* retulit. Verum ſi ideo boves *fœminæ* eſſe debuerant, quod veram militarem λείαν, ſive *prædam* exprimerent: nullus dubito, quin, ſi pro *præda* veteres ſcriptores *ſpolium*, aut aliud hujuſmodi nomen hic uſurpaſſent, *boves neutras* tunc no-

bis

bis etiam Falconius obtruderet: præfiſcine! quid acutius excogitari potis fuerat?

Ceterum veram Caci hiſtoriam aliter narrat loc. cit. Dionyſius, & Servius ad 8. Æneidos, qui Cacum Evandri nequiſſimum ſervum a ſorore ejuſdem nominis proditum teſtatur, *Caca* ſcilicet, ſiquidem Lactantius l. 1. de fal. Rel. *Colitur*, inquit, *& Caca, quæ Herculi fecit indicium de furto boum, divinitatem conſecuta, quia prodidit fratrem*. Sed redeamus ad Solinum, qui poſtquam de *Ara Jovis inventoris* verba fecerit, addit nunc de *Ara Herculis maxima*, quæ ſequuntur: *Suo quoque numini idem Hercules inſtituit Aram, quæ maxima apud Pontifices habetur, cum ſe ex Nicoſtrata Evandri matre, quæ a vaticinio Carmenta dicta eſt, immortalem comperiſſet fore.*

Idem ſenſiſſe videtur Ovidius; ſed abſurdum eſt Herculem ſibi aram dedicaſſe: adi, quæ nos in principio hujus Exercitationis. Excuſandi tamen veteres auctores, qui hæc ſcribebant, cum jam in Deorum numerum Hercules fuerat relatus: unde aliquid hac in re ſibi licere exiſtimarunt: ita etiam multa ævo noſtro de magnorum virorum pueritia, & adoleſcentia narrantur, quæ minus a veritate ab horrere putamus, eo quod eos jam ætate provectos mira nunc, & magna in diem gerere videmus. Ceterum hoc fecit olim pater Herculis Jupiter, quem Sacra Hiſtoria apud Lactantium l. 1. de Falſ. Relig. narrat *in tantam inſolentiam veniſſe, poſtquam rerum potitus eſt, ut ipſe ſibi fana multis in locis conſtitueret*. Porro Nicoſtratam dictam Evandri matrem teſtatur etiam Strabo l. v. p. 230. πυθομενεν δε της μητρος Νικοστρατας τον Ευανδρον, ειναι δ' αυτην μαντικης εμπειρον, nec dubium, quin a vatici-

ticinio dicta fuerit *Carmenta*, cum hoc nomen & aliis fatidicis tributum ſit. Ita in celebri marmoreo monumento Rodulfi Cardinalis Carpenſis apud Pighium in ſua *Themis Dea* in Gronovii *Theſaur. Græcar. antiq. T. IX.* legitur, *Themis Carmenta*, ideſt *Themis fatidica*, ut & Ovidius appellat *Metam.* 2. *v.* 370.

Corycidas Nymphas, & numina montis adorant,
Fatidicamque Themin, quæ tunc oracla tenebat.

Sed iterum Solinus in ſcænam: *Conſeptum etiam, intra quod ritus ſacrorum factis bovicidiis docuit Potitios, Hercules inſtituit. Hoc ſacellum Herculi in foro Boario eſt, in quo argumenta & convivii, & majeſtatis ipſius remanent*. Nullus dubito, quin *Ara Maxima* fuerit intra hoc ſacellum, quod in foro *Boario* collocat Solinus, ubi ara Herculi dicata, quam *maximam* appellarunt. Hoc autem fanum ſive ipſe ſibi Hercules, ſive ei Evander, & Potitii cum ara ipſa poſuerunt, collapſum tandem vetuſtate fuiſſe crediderim; ita ut, cum M. Octavius Herennius Tibicen, ut habet Maſurius Sabinus apud Macrobium *l.* 3. *Satur.* 1. 6. *Herculi Victori* ædem in foro *Boario* poſuiſſe dicatur, eodem in loco hanc ædem erectam, ubi olim ſacellum illud, facile mihi perſuadeam. Contra, cum aram *Jovi Inventori ad portam trigeminam Herculis dicaverit*, ibi etiam ſacellum erexiſſe, & lapſu temporis dirutum exiſtimarim, cum ad trigeminam portam *Victori Herculi* ædem poſuerit idem Herennius, Plinius *l.* 34. *c.* 8. meminit etiam Herculis Triumphalis: *Herculem ab Evandro ſacratum in foro Boario, qui Triumphalis vocabatur, quique per triumphum amiciri ſolitus erat habitu triumphali*. Sed *Hercules Triumphalis* quem Plinius in foro Boario collocat, ideſt in VIII. Urbis regione, ſtatui-

tur ad XI. ad portam trigeminam cum *ara maxima* Feſto Victore; & ab Aur. Rufo cum *ara maxima* in regione circi maximi: quod mirum Salmaſio videri minime debuerat, quippe qui prudenter Herculem *Victorem* eundem, ac *Triumphalem* eſſe ſtatuit. Herculis autem *Victoris* duas fuiſſe ædes, in foro alteram Boario, alteram ad *portam trigeminam*, jam vidimus ex Macrobio. Atque hoc etiam manifeſte oſtendit duas aras fuiſſe & diverſas, Herculis alteram in foro Boario, alteram Jovis ad portam Oſtienſem. Una autem tantum iſtarum maxima fuit: ſed quænam? illa nimirum *Herculi* in foro Boario dicata, ut ſupra vidimus, non illa Jovis ad portam trigeminam, ut male Victor, & Rufus.

Addit Solinus: *Divinitus in Sacellum illud, neque canibus, neque muſcis ingreſſus eſt: etenim cum viſcerationem ſacrificulis daret, Myjagrum Deum dicitur imprecatus, clavam vero in aditu reliquiſſe, cujus olfactum refugerent canes: id uſque nunc durat.* In quibuſdam editionibus *muſcarum Deum* antea legebatur, quod a gloſſemate aliquo videtur irrepſiſſe. Recte igitur Salmaſius ex M. SS. *Myjagrum* reponit, cujus & Plinius meminit, cui non Aegyptii modo, ſed & Græci multis in locis ſacra ſæpe facere conſueverunt. Vide quæ in hunc locum eruditiſſime Salmaſius congeſſit. Illud autem in præſenti non parum adfert admirationis, Lucianum ſcilicet, qui muſcæ laudes elegantiſſima oratione eſt proſecutus, hoc tamen prorſus omiſiſſe, quod certe multum illic ei prodeſſe poterat. Porro pro *Sacrificulis* Salmaſius reponit *Sacriculis* in Solino. *Sacrificulus* enim niſi eo ſenſu, quo *Regem Sacrificulum* veteres appellant, hoc eſt, qui Sacris præeſt, & Sa-

& Sacra certis ritibus ordinat, Latinum nunquam fuiſſe contendit: ſed quam recte, ipſe viderit. *Sacrificulus*, & *Sacrificus* quiſque eſt, qui ſacra faciat, & Sacerdotes omnes jure hoc nomine appellari poſſunt, quod vel unus Suetonii locus ſatis oſtendere poterit in Domit. *c.* 1. *mane Iſiaci celatus habitu, interque Sacrificulos vanæ ſuperſtitionis*. Ubi cum *Sacrificulos* dicit, certe Sacerdotes quoſque intelligit, cum unus *Rex Sacrificulus* eſſet, quod nomen nil aliud latinis auribus ſonat, quam *Rex Sacerdos*, *Rex Sacerdotum*, *Rex Sacrorum*.

IX. Hanc autem viſcerationem, quam ſacrificulis Herculem dediſſe Solinus auctor eſt, Evandrum in iiſdem Herculis Sacris dediſſe narrat Virgilius *l.* 8.

Tum læti juvenes certatim, Aræque Sacerdos
Viſcera toſta ferunt taurorum, onerantque caniſtris,
Dona laboratæ Cereris, Bacchumque miniſtrant,
Veſcitur Æneas ſimul, & Trojana juventus
Perpetui tergo bovis, & luſtralibus extis.

Ubi opportune Servius monet viſcerationem epulum eſſe, non quod ex *viſceribus* tantum, ut vulgus putat, ſed ex qualibet carne fieri ſolebat in Sacrificiis: *viſcus* enim, & viſcera quidquid ſub corio eſt Latinis appellatur, ut multis ibi docet optimus Grammaticus: qui & alia ad Herculis ſacra pertinentia affert *loc. cit.* dum *perpetuum bovem* apud Maronem explicare conatur: *Aut*, inquit, *ſecundum Homerum intelligendum, quod dicit carnes dorſi apponi ſolitas honorabilioribus, ut ſit ſenſus talis: Poſuit ante eos magni bovis carnes eas, quæ apud majores in honore fuerunt: aut revera perpetui: nam de hoc bove immolato Herculi carnes carius vendebantur cauſa religionis, & inde redimebatur, qui ex illius precio comparatus quaſi perpetuus videbatur:*

Haſce germanas gerras unde hauſerit bonus Grammaticus ignoró. Illud ſcio *perpetuum tergum bovis* idem eſſe apud Maronem, ac *perpetua palus*, *&* *perpetuæ munitiones* apud Cæſarem *l. 6. cap.* 57. *Bel. Gal. & l.* 3. *Bell.civil.* ideſt *non interruptæ*, *longæ*, *continuæ*, ut & apud Ciceronem ſæpe *viæ perpetuæ*, *perpetui montes*, *perpetua hiſtoria*, atque alia id genus innumera, quæ ſingulis paginis occurrunt: & ne a Virgilio abeam, *Æneid.* 5. *v.* 178.

Perpetuis ſoliti Patres accumbere menſis.

Quas quidem venditas, & iterum redemptas ne ipſe quidem Servius dixerit.

Haud temere prætereunda, quæ idem Servius ibidem animadvertit, *luſtralia exta* ſcilicet apud Maronem *pinguia* intelligenda: *Moris enim fuit completo luſtro pingues victimas offerre Cenſores, aut certe de quinquennali bove, ideſt perfectæ ætatis*. Hinc enim multa lux Livio offunditur, apud quem *l.* 41. *c.* 15. vox *Seſcennaris* occurrit adeo obſcuræ ſignificationis, ut Delio natatore opus eſſe crediderint interpretes, quorum tamen nemo adhuc unus veram hujus ῥήσεως notionem animadvertit. Livii ipſius verba hæc ſunt loc. cit. *Dum de his rebus in Senatu agitur, Cn. Cornelius evocatus a viatore, cum templo egreſſus eſſet, paullo poſt rediit confuſo vultu, & expoſuit Patribus, bovis Seſcennaris, quem immolaviſſet, jecur defluxiſſe*. Quid hæc velint ſibi verba, explicare conatur ſanctioris Latinitatis promuſcondus diligentiſſimus Jacobus Facciolatus in ſuo Lexico: *Seſcenar, vel Seſcenaris vox antiqua: videtur eſſe a Sacena, quæ vox apud Feſtum exponitur dolabra pontificalis: itaque Seſcenarem bovem poſſumus intelligere, qui hujuſmodi dolabra percuſſus, mactatuſque eſt*: hæc

ille:

ille: ubi & *Seſcenarem* ſimplici littera *n* ſcribere Facciolatum animadvertes, ut facilius a *Sacena* deducat. Audacius adhuc Joannes Dujatius, cujus hæc verba ad Livium: *An a Sacena, quæ & Scena, & fortaſſe Seſcena (quo nomine appellatur dolabra Pontificalis apud Feſtum) dictus bos Seſcenaris eo cultri genere percuſſus a victimariis?* Hæc Dujatius, qui cum Facciolato amice conjurare videtur: ſed nimis longe petitum etymon, & durius, quam ut eruditiores aures ferre poſſint a *Sacena* Seſcennaris: & levis nimium Dujatii ſuſpicio *Scenam* non modo *Sacenam*, dictam eſſe, ſed etiam *Seſcenam*, cum nulla veterum auctoritas afferatur. Imo & vox ipſa *Sacena* ſuſpecta nimis eſt eruditiſſimo Mazochio, qui in exaſciato de Aſcia commentario *p.* 158. Feſti verba, *Scena ab aliis, a quibuſdam Sacena appellatur dolabra Pontificalis*, ſic reſtituit, *Scena ab aliis: a quibuſdam Scæna appellatur, &c.* Haud temere adſtipuler viro doctiſſimo: etenim ſi ita eſſet, diceret Feſtus *Scena ab aliis, a quibuſdam Scæna ſcribitur* potius, quam *appellatur*, quod verbum vocem a priori diverſam indicare videtur. Jam vero & aliam conjecturam affert Dujatius: *an legendum*, inquit, *Sagenaris quaſi opimi, & publici ſaginati bovis quod Gronovio non diſplicet? Varro certe ſagenantur pro ſaginantur dixit*. Felicior certe poſtrema hæc Dujatii expoſitio, quam prima illa de *Sacena*, licet eam potius amplexus ſit doctiſſimus Facciolatus.

Ego vero *bovem Seſcennarem*, idem ac *Sexennalem* eſſe cenſeo. Veteres CS pro X uſurpaſſe, & inde per methateſin SC pro CS aliquando etiam occurrere nemini latet, qui modo veterem ſcribendi rationem vel per tranſennam adſpexerit. Verum & *Sexennalem* pro *Se-*

ſcen-

ſcennarem levi admodum mutatione legere apud Livium poteris, & *Secſennarem* etiam ſi libet unius litterulæ tranſpoſitione, ſic enim antiqui loquebantur, præſertim cum Livius verba, quæ ad ſacra pertinent, eadem ratione, ac in Pontificum libris eſſent, ſemper fere nobis obtrudat. Eadem ſcribendi ratio eidem Livio tenebras offudit *l.* 4. *c.* 3. *dec.* 3. *Flumen, quod medio oppido fluxerat, extra frequentia tectis loca præterfluebat etaros procul iis, quæ inhabitabantur*. Laurentius Valla legit *præterfluebat muros*; Sigonius, aliique *præterfluebat & agros*, Gronovius *præterfluebat Æſaros*. Sed omnino legendum cum Salmaſio: *Flumen, quod medio oppido fluxerat extra frequentia tectis loca præterfluebat: & arx procul iis, quæ inhabitantur &c.* Scriptum fuit vetuſto more & *arcs*, inde factum *etaros*, ab iis, qui CS pro X poſitum ignorabant. Lege igitur meo periculo apud Livium *ſeſcennaris*, vel *ſecſennaris*, vel ut nunc ſcribimus *ſexennalis*. Nec mirabitur Livium bovis immolati ætatem tam diligenter adnotaſſe, quiſquis ſciat veteres in eligendis hoſtiis, victimiſque ætatis quoque rationem habuiſſe, ut vel ex Poetis manifeſtum eſt, apud quos *horna*, *biennis*, *bima* hoſtia, atqua alia id genus uſque ad faſtidium occurrunt. Hebræos etiam, & Græcos religioſe id admodum obſervaſſe comperimus. *Numeror.* 15. 27. *Quod ſi anima una neſciens peccaverit, offeret capram anniculam pro peccato ſuo. Et Levit.* 14. *a* 10. *die octavo aſſumet ovem anniculam*. Sic etiam *Exod.* 29. *v.* 38. *Levit.* 23. *&* 18. atque alibi ſæpius: *triennem quoque vaccam, & trimam capram* in *Geneſi* legimus: *Sume*, inquit Dominus ad Abram, *mihi vaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium, turturem*

quo-

quoque, *&* *columbam Geneſ.* 15. *v.* 9. atquæ hæc apud Hebræos: Græcis etiam eamdem fuiſſe in ſacrificiis religionem vel Homerus teſtari poterit, quem id imprimis in animo habuiſſe deprehendi, ut ætatem animalium immolandorum ſemper peculialiter notet, eaque aliis alia ætate Diis mactata oſtendat. Ita *Iliad.* *D.* *v.* 403. Jovi Agamemnon immolat βȣν ηιονα ϗ πενταετηρον. Contra *Iliad.* Z. *v.* 274. Hector matrem monet, ut duodecim anniculas boves Minervæ ſe ſacrificaturam voveat:

Και ὁ ὑποσχεσθαι δυο δεκα βουν ενι νηῳ
Ηνις ἠκεστας ἱερευσεμεν.

Et v. 305. Theano ad Palladem:

. . . . τοι αυτικα νυν δυο ϗ δεκα βους ενι νηῳ
Ηνις, ηκεστας ἱερευσομεν.

At Iliad. H. v. 313. ubi de Jovis agitur Sacrificio bovem ut ſupra Iliad. 3. quinquennem obtrudit:

Τοισι δε βȣν ἱερευσεν αναξ ανδρων Αγαμεμνων
Αρσενα πενταετηρον ὑπερμενεει Κρονιωνι.

Semper igitur Jovi *quinquennalem* bovem divinus vates aſſignat, ita ut merito Servius in ſacrificiis, quæ Jovi expleto luſtro fieri apud Romanos conſueverat, quinquennalem bovem mactatum eſſe dixerit, eo quod perfecta hæc eſſet ætas, ut ipſemet explicat. Bene igitur Livius ait Jovi immolatum bovem *ſeſcennarem*, ſeu *ſexennalem*, quemadmodum *quinquennalem* apud Homerum; utrumque enim eſt perfectæ ætatis indicium.

X. Sed quo me unius voculæ abripuit interpretatio? Longum nimis επισοδιον, & quod juſtæ fabulæ partem implet per ſe ipſum vix æquis ſpectatoribus ferendum videretur, niſi quod cum in Solinum, & quidem contra Salmaſium commentemur, hæc aliter tractare non

licuit,

licuit, quam eo ſcribendi genere, quo ipſe in Solinum potiſſimum uſus eſt. Quid vero? ſi hanc de voce *ſeſcennari* διατριβὴν excipias, cetera omnia quæ interfati adhuc ſumus, exodia quidem, ſed adeo τῷ δράματι neceſſaria, ut ſine iis fabulam peragere omnino foret indecorum. Sed jam tempus eſt, ut ad Salmaſii objecta propius accedamus: qui cum ſciret unam fuiſſe apud veteres *Aram Maximam*, & e contrario *Aram Jovis Inventoris*, atque *Herculis* veteres memorarent, ne duas *Aras Maximas* induceret, unam utramque fuiſſe oſtendere conatur. Hæc autem cum nimis vetuſtum fuerit negotium, ideo Scriptores cuinam Deorum dicata ipſa eſſet ignorantes, alii *Herculi*, alii *Jovi* erectam narrant. Hoc eſt totum de *Ara Maxima* Salmaſii σύστημα: quod quantum a veritate abhorret, ſatis ſupra viſum eſt tot veterum adductis auctoritatibus, qui alteram in foro Boario, alteram in ultimo collocant Aventino. Quænam ergo in Scriptoribus de hac *Ara* eſt diſcrepantia? Eccillam: Duæ erant aræ eadum vetuſtate inſignes, *Jovis* altera, altera *Herculis* nomini dicata: neſciebant quænam earum eſſet *Maxima*: ideo alii *Jovis*, alii *Herculis* aram *Maximam* nobis obtrudebant. Sed hinc potius duas *Aras Maximas* exſtitiſſe, quam unam utramque fuiſſe ſequeretur: cum aperte veteres ſcriptores eas ſecernant, Dionyſius præſertim, qui alteram in Aventino, alteram in foro collocat Boario. Omnino igitur diverſa ab *Ara Jovis Inventoris*, *Ara Herculis* fuit: ſed una tantum earum *maxima* dicta eſt. Sed quænam illa? Ara certe Herculi erecta a Potitiis & Pinariis, ut ſupra luculenter oſtendimus. Neque enim ex tot veteribus auctoribus ullus aram *Jovis Inventoris Maximam* nuncupavit, præ-

ter

ter poſterioris ævi auctores Feſtum, & Victorem, ductos fortaſſe ex neſcio cujus incerti de Romanorum origine auctoris fragmentis, quæ an ipſa Victorem, Feſtumque in errorem induxerint, an ex Feſto, & Victore potius ad nos derivata fuerint, ignoro.

Nunc autem vide ſodes, quam tranſverſum ſæpe agat virum doctum male hoc excogitatum de *Ara Maxima* σύστημα. *Aram Hercules, quam voverat, ſi amiſſas boves reperiſſet, punito Caco, patri inventori dicavit*, inquit Solinus. Hic autem primum Camertem Salmaſius objurgat, quod *Aram* hanc Solini, quam Jovi Inventori Hercules dicavit, ab ea diſtinguit, quam ſibi ipſum dedicaſſe, & *Maximam* appellatam Solinus narrat. Sed eo potiſſimum nomine illum reprehendit, quod de hac *Ara Jovis Inventoris* Livium lib. I. Virgilium VIII. Ovidium *Faſt.* I. ceteroſque Auctores loqui exiſtimavit, dum *Aram Maximam* commemorant. Sed ipſe tamen Salmaſius paullo infra Propertii illud illuſtrat ex lib. 4. eleg. 9.

Maxima, quæ gregibus devota eſt Ara repertis,
Ara per has, inquit, Maxima facta manus.

atque ait hanc eſſe, quam Solinus Herculem voviſſe narrat, ſi boves reperiſſet. Sed ſi ita eſt, ubi hic Camertis error? *Ara*, quam *Jovi inventori* voviſſe, & erexiſſe tandem Herculem Solinus affirmat, nunquam, Salmaſio ipſomet teſte, *Maxima* dicta fuit: quinam igitur de *Ara* illa Poeta intelligendus eſt, cum *Maximam* appellat? Vel *Ara Jovis Inventoris* etiam *Maxima* appellatur, & nunquam erraſſe Camertem putandum eſt, quod de *Jovis Inventoris Ara* Livium, Virgilium, alioſque Auctores loqui exiſtimavit, cum de hac *Ara* verba faciunt: vel *Maximam* eam veteres

T nun-

nunquam vocitarunt, & in eodem Camertis errore Salmaſius verſatur, qui ita Propertii allatos explicat verſus, ut *Aram Jovis* Poetam ibi *Maximam* vocaſſe crediderit.

Addit Salmaſius auctores non duas *Aras*, ſed unam tantum *Maximam* numerare, in hoc vero ſolum diſſentire, quod hanc *aram maximam* alii *Jovi Inventori* ab Hercule, alii ab Evandro *Herculi*, alii autem ab ipſo Hercule *ſibi* poſitam narrant: gerræ germanæ. Duas *Aras Maximas* fuiſſe nemo, nec veterum, nec recentiorum unus dixit. Sed non ideo, quod una erat apud veteres *Ara Maxima*, ſequitur inde *Aram Jovis Inventoris* ab Hercule, & *Aram Herculi* ab Evandro dicatam unam eamdemque fuiſſe; cum diſerte eas ſecernant auctores, Solinus præſertim, qui primam *Jovi* ab Hercule, alteram ab ipſo *ſibi Hercule* poſitam ſcribit: quem tamen falſi arguere Salmaſius auſus eſt: ſed qua de cauſſa, cum nec veterum ullus ſit, qui Solino adverſatur, & iis, quæ ipſe narrat, aliorum Auctorum loci clarius explicentur? Parem præſefert audaciam, dum Panvinium notat, quod in undecima regione Urbis *aram maximam* Herculis, & Aram Jovis quaſi diverſas recenſeat. Sed mirum, quantum in tota hac de Ara Maxima diſputatiuncula vir doctiſſimus cæcutit.

Suo quoque Numini idem Hercules inſtituit aram) Delrius *ſuo nomini* legebat, quem arguit Salmaſius, quod Ara illa Herculis nomini inſcripta non erat, ſed ſimpliciter *Ara Maxima*. Quod ſi Herculis etiam nomen exſtitiſſet, non adeo veteres inter ſe diſcreparent, dum alii Jovi, alii Herculi dicatam aſſerunt, λῆροι λήρων. Exciditne tanto viro *nomen* ſæpe *famam*, *celebritatem*, *nobilitatem*, *honorem*, atque alia hujuſmodi ſignare apud veteres? Ita ut

A-

Aram ſuo nomini inſtituit, aliter Salmaſius explicare non poterit, niſi *Aræ ſuum nomen inſculpſit*? Dii boni! ut luſciniolæ quoque aliquando deeſt cantio!

Sed *aram ſuo nomini inſtituit*, ſimpliciter intelligere poſſumus *ſibi ipſi*: nihil frequentius apud veteres. Livius *Romanum nomen*, & *Cæninum nomen*, pro Romanis, & Cæninenſibus, atque alia id genus ſæpiſſime: ita etiam *meum nomen*, *ſuum nomen* pro *me* pro *illo* dici poteſt: *Aram Hercules ſuo nomini*, ideſt *ſibimet ipſe inſtituit*: notum vel iis, qui non dum ære lavantur; quod tamen ignoraſſe videntur Velleji interpretes, qui cum *n. 69. Vatinium nulli nomini non eſſe poſtferendum*, dixiſſet, crucem Grammaticis fixit. Puteanus conjiciebat *nulli minimo*: alii *nulli homini*. Manutius autem præ ceteris argutatur: putat Vellejum ſcripſiſſe ſimpliciter, *Vatinium nulli non poſt ferendum*: unde gloſſema *nulli*, ideſt *nemini*, quod codici inſertum tandem *nomini* ſcribi cœpiſſe amanuenſium imperitia. Sed omnino *nullum nomen*, idem eſt ac *nemo* apud Paterculum, ut *Romanum nomen*, Romani ipſi apud ceteros Scriptores. Tam parva res tantos viros potuit impedire.

Quæ Maxima apud Pontifices habetur) Salmaſius legit *maximi*, atque ideo *Aram Maximam* fuiſſe contendit, quod *maximi* apud omnes haberetur. Haud reprehenderim: ſed illi tamen vulgata lectio magis prodeſſe poterat: cum enim *Aram Herculis* hic *maximam* dictam eſſe Solinus, ut ceteri, affirmet, contra vero incertus Auctor de Romæ origine apud Salmaſium *Aram Jovis maximam* vocet, facile inde colligere poterat Herculis, Joviſque *Aram* unam, eamdemque fuiſſe, cum tantum unius veteres *Aræ Maximæ*

 fa-

faciant mentionem. Sed ne hæc quidem vidit Salmaſius, quæ ad rem ſuam maxime faciebant: quantominus illa, quæ ſibi hac in re potiſſimum adverſabantur?

Hoc Sacellum in Foro Boario eſt) Hic iterum de Ara diſſerit Salmaſius, & nihil tot veterum locos ſibi adverſos, quos ſupra nos in partem attulimus, animadvertens, unum affert Ovidii, quem ſuæ in ſpeciem opinioni contrarium ipſemet eſſe fatetur. Is eſt Faſt. 1.

Immolat ex illis taurum tibi Jupiter unum
Victor, & Evandrum, ruricolaſque vocat:
Conſtituitque ſibi, quæ Maxima dicitur Ara,
Hic ubi pars Urbis de bove nomen habet.

Nam cum *Jovi* immolaſſe dicat, antequam ſibi *Aram* conſtitueret, aperte oſtendit Ovidius, ut Salmaſius obſervat, aliam fuiſſe *Aram* illam, in qua Hercules *Jovi* immolavit, ab illa, quam *ſibi* erexit. At dum ſe expedire non poteſt, ὕϛερον πρότερον Poetis non inſolens in allatis verſibus commentatur, quaſi prius ceciniſſet Ovidius

Conſtituitque ſibi, quæ Maxima dicitur Ara

poſtea vero: *Taurum tibi Jupiter unum immolat, &c.* Sed quid unquam ad Scriptorum ita locos depravandos Salmaſium impellit? cedo unam tandem veterum auctoritatem, quo ſuam opinionem defendere poſſet: æquiori animo feram. Sed cum omnes refragentur Auctores, quorſum ad firmandas inutiles conjecturas tanta moliri opus eſt? Præterea ſi ipſo Salmaſio etiam adſtipulante, veteres non duas *Aras Maximas*, ſed unam fuiſſe commemorant, in hoc tantum inter ſe diſcrepantes, quod hanc alii *Herculi*, alii *Jovi* dicatam ſcribunt, nemo tamen utrique, quod ne

Sal-

Salmaſio quidem unquam in mentem venit: quid illorum carminum ſollicitat ſenſum, quæ ſi ita, ut ille vult, accipiantur, illud omnium quam maxime abſurdum ſequeretur, Herculem ſcilicet ſibi eamdem, & *Jovi Aram* dedicaſſe? Sed nimius eruditionis ardor tranſverſum ſæpe agit ſummum virum.

Jam vero hic Salmaſius neſcire, cui potiſſimum credat, Ovidio ne, qui in *Foro Boario* illam collocat, an aliis, qui ad *circum maximum*. Tandem eam non *in foro boario* ſed alio in loco potius quovis pretio fuiſſe contendit, Solinumque præ ceteris anteſtatur, qui cap. 1. pag. 2. *idem Hercules*, inquit, *ſibi Aram conſtituit &c.* . . . . *Sacellum quoque intra quod ritus Sacrorum factis bovicidiis docuit Potitios: hoc Sacellum Herculi in Foro Boario eſt*, *&c.* uti ſupra recenſuimus. Ex quibus jam allatis verbis Aram in *Foro Boario* nunquam fuiſſe colligit: quod cum de *Ara Maxima* ſimul, & *Herculis Sacello* loquatur Solinus, atque hoc in *Boario Foro collocat*, *palam eſt*, inquit, *Aram Maximam ibi non fuiſſe*: quaſi vero intra *Sacellum* illud eſſe non poſſet, aut ſi extra foret, *Aram*, *&* *Sacellum* eodem in Foro Boario eſſe non liceret. Verum ſi eo quod ſacellum, & aram diviſerit Solinus, colligitur aram non fuiſse ubi ſacellum, contra eodem loco fuiſse ſimiliter inferri poterit, quod Tacitus utrumque conjunxerit: *magna ara fanumque, quæ præſenti Herculi Arcas Evander ſacravit*. Sed vide hominis ingenium: paullo ſuperius Solinum, ut falſum & ineptum rejecit, quod *Aram Herculis* ab illa *Jovis Inventoris* diſtinguat, cum tamen omnes idem Veteres ſenſiſſent: nunc male intellecta Solini verba eadem in περιοδῳ, contra omnem veterum auctoritatem de ſitu *Aræ Maximæ* opponit.

Tan-

Tandem Dionyſii verbis rem conciliare, quod ille prope *Forum Boarium*, non *in Foro Aram* fuiſſe narrat: unde ſuſpicatur hujuſmodi erectam in loco, ut & ad *forum*, & ad *Circum maximum* referri poſſet. Sed integrum Dionyſii locum legiſſe Salmaſius non videtur; qui in primordiis Urbis Romæ apertiſſime *Aram Iovis Inventor s* ab ara *Herculi* dicata ſecernit, atque hanc quidem; prope *Forum boarium*, illa vero ad *Portam Trigeminam* collocat, quæ a *Foro boario*, longius diſtat, quam ut locum Salmaſius inveniat, ubi ſi *Ara* fuerit, ad forum ſimul, & *Portam Oſtienſem* pertineret. Hinc iterum in Solinum, alioſque invehitur, qui male hæc inter ſe confuderunt, duaſque *Aras* Herculis admittit, minorem alteram dictam, alteram majorem, aut maximam: ſed utramque *Herculi* erectam affirmat: & quæ Auctores de *Jovis Inventoris Ara* narrant ad alteram iſtarum eſſe referenda: cum ſi diverſam eam fuiſſe putemus tres inde *Aræ Maximæ* evadant neceſſe eſt. Nolo amplius hic immorari, cum ſatis ſuperque pateat quantum hæc & inepta ſint, & nulla veterum firmata auctoritate, quantumque ſibi ipſa invicem opponantur. Unum addo Salmaſium eo potiſſimum a veritate hic longius aberraſſe, quod male Auctorum locos intellexerit, quos, dum *Jovis Inventoris Aram* ab illa *Herculis* diſtinguunt, *duas Aras maximas* continuo induxiſſe putavit. Ideo in unam reducere utramque conatus eſt, ſed quam infelicibus auſpiciis, omnes vident.

Quæ vero, PASSERI eruditiſſime, ex tam variis Auctorum ſententiis certiora, & veriſimiliora colligere potui; ut paucis rem abſolvam, hæc ſunt. Ara ubi Hercules ſacra fecit, Potitiis, & Pinariis Sacerdotibus electis, fuit ad *Tri-*

ge-

geminam portam, prope *Caci ſpeluncam*, παρα τριδυμῳ πιλῃ, πλησιον του σπηλαιου, atque hæc fuit Διος Ευρεσιου βωμος, ſeu *Ara Iovi Inventori* dicata. Ara vero, quæ *maxima* a Romanis dicta, fuit *in Foro Boario*, quam Potitii ipſi, & Pinarii Herculi erexerunt. Quod autem ſolus Tacitus narrat *Aram* ab Evandro erectam eſſe, de hac poſtrema intelligendum eſt quam Potitii & Pinarii una cum Evandro poſuerunt: quamvis melius Dionyſius, qui hanc ab illis diverſam oſtendit, parvulamque, & tumultuario opere extructam hanc *Aram* fuiſſe docet, ut *Herculi* Evander ſacra faceret. Ita & veteres auctores conciliantur inter ſe, & *Aram* Herculis *Maximam* diverſam ab illa Jovis Inventoris habemus: quam quidem Urbe expellere cupiens Salmaſius, tandem Aram, quæ tot annorum ſpatio pleno jure Romana civitate fruebatur, in barbarorum inſulas amandavit. Nunc autem videant doctiores, tuque in primis, BAPTISTA doctiſſime, an poſt tot quæ in medium attulimus argumenta, æquum ſit, ut de integro Romanam Civitatem, ſtatumque priſtinum ſaltem jure poſtliminii per omnia recipiat.

INDEX AUCTORUM,

QUI IN HOC OPERE RECITANTUR, NOTANTUR, VINDICANTUR, ILLUSTRANTUR, EMENDANTUR.

A

Aben Ezra laud. p. 20.
Aelianus 25. 28. not. 31.
Aetnæ auctor illuſtr. 57.
Agaſthenes 44.
Alberti Joannes laud. 65.
Amerias Macedon 29.
Amos Propheta illuſtrat. 86. bis 88. 88. 89. 90.
Anacreon emendat. 53.
Andreas Elias not. 53.
Andriſcus 44.
Antoninus 95.
Appianus illuſtrat. 103.
Apulejus 62.
Aquila laud. 19. 86.
Arabs Paraphraſtes ſacr. litter. not. 19.
Aretæus illuſtr. 31.
Ariſtides 25.
Ariſtophanes illuſtr. 10. 11. 16. 17.
Ariſtoteles notat. 45.
Arnobius 10.
Artemidorus 29.
Athenæus illuſtr. 29. 37. 44.
D. Auguſtinus 10.
Auſonius notat. 78.

B

Balſamon Theodorus 10.
Barneſius Joſua notat. 53.
Benedictus notat. 6. 7. 8. 9. 10. 11.
Berchelius Abrahamus laud. 108. not. 113. 114.
Bochartus Samuel confut. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. laudat. 55.
Bonfrerius Jacobus laud. 88.
Buchananus Georgius laudat. 109.
Burmannus Petrus 79.

C

Cæſar Julius illuſtr. 140.
Camers vindic. 145.
Capella Martianus not. 58.
Carminianus Severus laud. 79.
Carpenſis Rodulphus 137.
Carrucius confutat. e p. 6. uſque ad 11.
Caſaubonus Iſaacus laud. 10. 30. not. 59. 95.
Caſſius Ictus illuſtr. 95.
Cato explic. 102.
Catroæus not. 79.
Celſus laud. 95.
Chaldæus Paraphraſtes not. 19.
Charax 103.
Cicero M. Tullius illuſtr. 57. 78. 80. 95.
Clarius not. 87.
Claudianus not. 78. explic. 81.
Cleophon vindic. 45.
Cluverius Philippus laudat. 35. 93. not. 101. 102. 114.
Corſinius Eduardus laudat. 47. confutat. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54.
Cortonenſes Academici laudant. 64. 116.

Crenius Thomas not. *64*.
Critici Sacri notant. 21. & ſequent.
Cujacius Jacobus *61*.

D

Dacerius Andreas confut. 72.73. 74. 75.
Damaſcenus Nicolaus laudat. 8*6*.
Dathus Carolus notat. *99*.
Demoſthenes illuſtr. 10.
Diodorus Siculus illuſtr. 113.114. 115.
Dionyſius Alexandrinus laudat. 113.
Dioſcorides laud. 31.
Druſius Joannes notat. 87. 88.
Dujatius Joannes not. 125. 12*6*. 128. 141.
Dio Caſſius 134.

E

Ennius illuſtr. 55.
Eratoſthenes 15.
Ericius Sebaſtianus notat.*9*2. 122.
Eumæris 12.
Euſebius illuſtrat. , & emendat. 88.
Euſtathius laud. 113.
Eutropius not. *9*3.
Exodus illuſtr. 142.

F

Fabrettus Raphael notat. 78.
Fabricius Joannes notat. 7*9*.
Facciolatus Jacobus laud. *6*0.77. 78. 7*9*. notat. 80. 120. 140.
Falconius Carminius not. 134.
Farnabius Thomas notat. 77.
Feſtus Peſcennius illuſtr. *6*3.
Feſtus Rufus Sextus notat. *6*0. *6*2. 10*9*. 138. illuſtr. 141.
Firmianus Lactantius *6*3.
Florus emend. , & illuſtrat. 20.

G

Galianus Berardus laudat. 4*9*.
Gellius *6*2.
Geneſis illuſtr. 1*6*. 54. 5*6*. 142.
Gorius Antonius Franciſcus laud. *67*.
Gotofredus Jacobus notat. *6*2.
Grævius Georgius laud. 20.
Gravina Vincentius laudat. *67*. confut. *6*1. *6*2. *6*3.
Gronovius Jacobus laud. 45.
Gronovius Joannes Fridericus notat. 78. 142.
Grotius Hugo laud. 87. not. 88.

H

Halicarnaſſeus Dionyſius illuſtr. *9*4. 103. 127. 128.
Havercampus Sigebertus laud. *9*0. 122. 123.
Heinſius Nicolaus laud. 7*9*. notat. 81.
Heinſius Daniel laud. 28. 30. 5*9*.
Herculanenſes Academici laudan. 31.
Herodotus illuſtr. 111. 112. ter. 8*6*. 25.
Heſiodus illuſtr. 48. 4*9*.
Heſychius defend. 20.
Hieronymus not. 22. *6*4. 8*6*. 87.
Hipponax illuſtr. 44.
Holſtenius Lucas 102. laud. 115.
Homerus 2. 3. *6*5. emendat. *9*. illuſtrat. 48. 4*9*. 110. 111. quater. 143. ter.
Horatius illuſtr. 27. 34. 77. 12*6*.
Hyginus 3*6*.

V Javolenus

I

Javolenus Iℂtus laud. 95.
Jeremias illuſtr. 85. *86.* ter.
Inſcriptio in veteri columna illuſtr. 47. 47. 49. 50. 51. 52. 53. 54.
Joſephus Hebræus *86.* notat.
Iſaias illuſtr. *19.* 20. 21. 22. 23. *86.* ter.
Iſidorus laud. 109.
Jungermannus Gothophredus *63.*
Junius Franciſcus laud. 52. not. 32.
Juſtinianus illuſtr. *61.*
Juvenalis illuſtr. 58. *62.*

K

Kuhnius Joachimus laudat. *64.*
Kuſterus Ludolphus confut. 14. 15. 16. 17.

L

Lacerda laud. 71. not. *97.* 100.
Leviticus illuſtr. *16.* 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. *26.* 142.
Livius illuſtr. *62.* 76. 77. 81. 82. *91.* 94. 102. 107. 125. 140. 141. 142. 143.
Longus Sophiſta laud. *63.*
Lucatellius Petrus laud. *116.* confut. 117. 118. *119.* 120. 121. 122. 123. 124.
Lucianus not. 138.
Lucilius illuſtr. 58.
Lucretius illuſtr. 43.
Lycophron illuſtr. 23. 108. 121,

M

Macer notat. *9.*
Macrobius 4. 137. not. 31. 32. illuſtr. 41. not. *76.* 80.
MSS. Mediceum 78.
Sprotianum *79.*
Hamburgicum ibidem.
Moretanum ibid.
Burmannianum ibid.
Zulichemium ibid.
Manutius Paulus not. 147.
Martialis 34. illuſtr. 77.
Martinius Mathias not. 55.
Marlianus Bartholomęus not. 127.
Martorellius Jacobus laud. 1. 2. *3.* 32. *46. 79. 65. 66. 67.*
Maſurius Sabinus 137.
Matthæi Joſephus 39.
Mazochius Symmachus Alexius notat. 33. 34. 35. *36.* 37. 38. *39.* 57. *60.* 78. 118. *119.* 142.
Mela Pomponius *64.*
Meurſius Joannes not. 108.
Michæas illuſtr. *86.*
Morellius Andreas *90.*
Montfauconius Bernardus 53. 121.
Moſes v. Geneſ. & Levit.
Munſterus Sebaſtianus not. 87. & ſequ.

N

Nævius illuſtr. 43.
Nanius Bernardus laud. 47.
Nardinus Famianus 127.
Nazianzenus Gregorius explic. *61.*
Numeri illuſtr. 142.

O

Oppianus laud. 32.
Orpheus illuſtr. 51. 110.
D' Orvillius Philippus laud. *65.*
Oſeas illuſtr. *86.*
Ovidius illuſtrat. 42. 43. ter. emend. 82. not. *92.* 40. *26.* 128. 137. 148.

Palme-

P

Palmerius Jacobus 96. laud.
Panvinius Onuphrius not. 146.
Paralipomena illuſtr. 24. 85.
Paſſerius Baptiſta Joannes laud. 55. 66. not. 32. laud. 150. 151.
Paterculus Vellejus illuſtr. 147.
Pauſanias illuſtr. 46. 64. 110.
Pauvius Cornelius laud. 54. 65.
Perizonius Jacobus not. 29. 31. laud. 63.
Perſius illuſtr. 57.
Petronius illuſtr. 58.
Phædrus 11.
Pherenicus illuſtr. 44.
Photius 103.
Phylargirius 35.
Pierius Joannes laud. 78.
Pighius Stephanus 45. 137.
Pindarus illuſtr. 25. 48.
Piſcopus Agnellus laud. 116.
Pitiſcus Samuel laud. 75.
Plautus 7. 8.
Plinius illuſtr. 10. 43. 72. 73. 74. 75. 61. 109. 112. 137.
Plutarchus illuſtr. 84. 91.
Pollux illuſtr. 63.
Poſidippus 11.
Potterus Joannes laud. 86.
Probus confut. 36.
Propertius illuſtr. 86. 126. 128. 145.
Protarchus Trallianus 36.
Proverbia illuſtr. 86.
Pſalmi illuſtr. 85. ter. 89.
Ptolemæus 32.
Puteanus Erycius not. 147.

R

Raymarus. .... laud. 65.
Rhodiginus Cælius 11.
Roſinus Joannes 127.
Rychius Theodorus laud. 106.

S

Salmaſius Claudius confut. 71. 72. 73. 74. laud. 109. 112. not. 111. 118. confut. 133. uſque ad 138. 145. uſque ad 151.
Samaritanus Paraphraſtes not. 19.
Scaliger Cæſar Julius laud. 9. 29. not. 58. laud. 77. 78.
Scaliger Joſephus laud. 26. not. 27. 51. 59. vindic. 71. 72. 73. 74. 75. laud. 86.
Scholiaſtes Ariſtophanis emend. & illuſtr. 12. 13. 14. 15. 16. 17. & 54.
Scholiaſtes Lycophronis laud. 23. 86.
Scholiaſtes Septuaginta interpretum illuſtr. 86.
Scholiaſtes Theocriti emend. 27. illuſtr. 28. 29. 56.
Septuaginta interpretes illuſtr. 10. not. 19. vind. 22. 23. illuſtr. 85. 86. 87. 88. pluries.
Servius not. 35. 93. 94. 95. 96. 97. laud. 76. 79. not. 102. 139. 140.
Sidonius not. 9.
Sigonius Carolus 125. not. 142.
Silius illuſtr. 55.
Solinus illuſtr. 43. 111. & 112. 133. 134. 135. 136. 137. 138. 145. 146. 147. 148. 149.
Soſibius Lacon 44.
Spanhemius Ezechiel laud. 13. 51. 56. 62. 90.
Spartianus illuſtr. 112.
Spencerus Joannes laud. 26.
Spiriti Salvator laud. 134.
Sponius Joannes laud. 45.
Statius illuſtr. 34.
Stephanus Byzantinus illuſtr. 35. emend.

emend. 89. 102. 103. 112. 113. 114. 115.
Stephanus Henricus laud. 113.
Strabo laud. 25. 28. emend. 95. 96. illuſtr. 97. ter. 103. 104. 117. pluries. 118. 119.
Svetonius illuſtr. 62. 139.
Svevius expl. 80.
Symmachus 126.
Syncellus illuſtr. 114. 115.
Syrus paraphraſtes not. 19.

T

Tacitus not. 75. illuſtr. 81. 127.
Theocritus illuſtr. 9. 78.
Theophraſtus illuſtr. 109.
Tzetzes Joannes laud. 12. not. 108.
Turnebus Adrianus not. 125. 126.

V

Vaillantius Joannes not. 122. 123.
Valeſius Adrianus laud. 63.
Vargas Michael laud. 56.
Varro not. 107. laud. 77. 82. 123. 124.
Victor Aurelius not. 138.
Virgilius explic. 29. illuſtr. 34. 35. & ſequent. 41. 55. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 84. defend. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100. & ſequ. illuſtr. 106. quater. 105. bis. 101. ſexies. 124. 127. 128. 139.
Vopiſcus Flavius illuſtr. 112.
Voſſius Joannes Gerardus laudat. 11. not. 27. 30. 32. 55. laud. 77. 109.
Voſſius Iſaacus laud. 22. 23. 64.
Weſſellingius Petrus laud. 63. 114. not. ibidem, & 115.
Vulgata illuſtr. 16. 19. vind. 22. illuſtr. 85. 86. 87. 88. 89. pluries.

X

Xiphilinus 82.

Z

Zacharias Proph. illuſtr. 86.
Zacharias Franciſcus laud. 64.
Zannettius Hieronymus not. 47.

INDEX

INDEX

RERUM, ET VERBORUM.

A

ABliken quid apud Belgas pag. 109.
Ægle in veteri monumento 40.41.
Ætatis in victimis veteres potiſſimum habuiſſe rationem oſtenditur 142. 143.
Αγαλμα αμεμφες in veteri epigraphe 47.
Alba an oppidum Albanum 93. 94. ejus deſcriptio ibid.
Alba & Albula dictus Tiberis 112. 113. 114. 115.
Albam quis condidit 97. an prima urbs condita ab Ænea 97. 98. 99. 100. 191. Albam duplicem fuiſſe oſtenditur 93. uſque ad 124.
Alberg quid apud Belgas 109.
Albi nomen variis datum locis 109. 110. 111. 112. 113.
Albinik dicti Scoti 110.
Albion Britannia 110.
Albis fluvius Germaniæ dictus Albas, & Alba 112.
Album pomontorium 112.
Alburnus ibid.
Αλφα ſæpe additum nominibus propriis 115.
Alpes unde dictæ 109.
Αλπιον vicus 109.
Alpus quid ſit 109.
Αμειλικτος Saturnus 32.
Ανολητης Saturnus 32.
Antium quo in loco 95.
Απο θαλαττης contrarium τῳ ὑπερ θαλαττης 118.
Ara maxima: de ea agitur 125. uſque ad 153. quo in loco, cui dicata, & a quo 128. diverſa ab Ara Jovis Inventoris 125. uſque ad 132. eadem Salmaſio viſa, ſed confutatur 133. uſque ad 153. Ara maxima eſſetne illa Herculi dicata, an illa Jovi 128. 133. 138. 144. 145. Aram an ipſe ſibi Hercule erexerit 125. 136.
Ardea an Troja dicta 102. 103.
Αργινοεντα λυκαςον 110.
Αργινοεντα καμειρον 111.
Aricia ubi 95.
Armon quid ſit in Amoſe 87. 88. 89.
Aſcanius Albam condidit 97.
Aſpiratio H eodem modo ac Latine, Græce ſcripta in veteri epigraphe 47.
ארמן eſt idem ac Palatium 83. quid differat a ארמה 89. quid ſit in Amoſe 87. 88. 89. quomodo hanc vocem verterint Septuaginta 85. 86.

B

Bacchi cultus haud vetuſtus apud Græcos 48. 49. & ſeq. hymnus in Bacchum falſo Homero tributum ibid.
Baccho Tityri & Sileni comites adjungebantur 46.
Bacchus in veteri marmore 41.
Bacchus ſenex, Hebon, Baſſareus, Bryſeus 41. Milichius 44. Ficulneus ibid.
Βαρις quid ſit 85. 86.

Baſan

Baſan quid 89.
Bauli unde dicti 126.
Blik Alpes 109.
Britannnia dicta Albion 100.
Butyrus ſecundam producit 9.
בול quid ſit 126.

C

Κακοποιος Saturnus cur. 31.
Cacus; de ejus fabula quam diverſa tradiderint veteres 134. 135. 136.
Camiſene Latium 33.
Camiſes Saturnus Mazochio viſus 32. ſed falſo 36.
Camus Deus 37.
Carmenta an proprium Nicoſtratæ nomen 136. 137.
Celebris & celeris quam ſæpe confundantur in veteribus libris 79.
Κελαινη,ſus dicta Lycophroni, quæ aliis alba 108.
Chlæna & læna quid 14.
Chonia unde 32. & ſeq.
Cognomen quid apud Virgil. 106. 107.
Columna in inſula Melo inventa cum epigraphe illuſtr. 47. uſque ad 54.
Κρηςος quid in Ariſtoph. 16. 17.
Criminiſa unde 33. & ſeq.
Κοτυλυ Cajetani Silenus 53.
CS pro X ſæpe veteribus uſurpatum, & quot inde errores nati in veterum libris 141. 142.
Cunina Dea 82.
Κυριος τιτυρος quid 27.

D

Δεχομαι tertio caſui junctum in veteri monumento 50.
Δεινοτατος Saturnus 32.
Delphines pandi & Simi 43.
Dictynnus, & Cadiſtus an albi montes 109. 111.

E

Ebrietas in veteri monumento 40. 46.
Εκφαντος Sculptoris nomen in veteri epigraphe 47. 48.
Εκφαντοι, pro εκφαντου 51.
Εκφαντος Jupiter 51.
Εκφαινειν, και επιφαινειν quid 51.
Etaros vox obſcuriſſima apud Livium quid ſit 142.

F

Farneſianus Hercules 52.
Ficum ποτνιαν an recte dixerit Cleophon 45.
Ficus ad antrum Sileni 44. Soror vitis dicta Hipponacti ibid. Bacchi inventum ibid. expreſſa in Κοτυλῳ Cajetano 45.
Ficus Navia & Ruminalis, vide Ruminalis.
Flora Dea 10.
Fornicari quid in Sacris libris 24.
Fortuna Calva eadem ac Tutilina 11.
Fuſia lex 61.

H

Heraclea quo in loco, & an longe a mari 118. 119.
Herculis Victoris, & Triumphalis ædes quo in loco 137. 138.
Herculis Ara maxima, vide Ara maxima.
Hippa nutrix Bacchi 53.
Hircorum cultus apud Ægyptios 24.

24. eorum libido 25. Hircus Mendes ibid.
Hoſtilina Dea 10.

I

Ilex in veteri numiſmate 92.
Inſcriptio inter columnæ ſtrias in inſula Melo inventæ illuſtr. 47. uſq. ad 54.
Inter ceteros opponitur nominatim 61.
Julia lex Miſcella cur dicta 61. 62. 63.
Jupiter εκφαντος, και περιφαντος 51.
יבול quid ſit, & cur nomen inde menſi Octobri datum 126.

L

Læna & chlæna quid 14.
Lanuvium vide Lavinium.
Lavinium, Laurentum, Lanuvium male confunduntur 95. 96. 119. 120. 121. 122. 123.
Lavinium an prima urbs in Italia condita ab Ænea 100. 101. 101. & ſeq. Lavinium an eadem urbs ac Patrica 116. uſque ad 123.
Laurentum vide Lavinium.
לבן quid ſit, & cur inde nomen datum Libano 109.
Λευκα καρηνα Τιταινοιο 111.
Λευκα ορη 109.
Λευκην ολοοσσονα, λευκαι δωλαι, λευκον τειχος, λευκη ακτη aliaque id genus 110. 111. 212.
Levis, an Lenis legendum in Geneſi 16.
Libanus mons unde dictus 109.
Littus quid in Marone 94. 95. 96.
Ludi pro Ludiones 62.
Lupa in veteri numiſmate 92.
Λυκαστην αργινοεντα cur dixerit Homerus 110.

M

Ματαιος quid in ſacris libris 19.
Matura dea 110.
Mendes hircus 25. oſtium Nili 26.
Mercurius in κοτυλῳ Cajetano 53.
Miſcella lex unde, & quid 61. 62. 63.
Miſcelliones quid 62.
Miſcellaneorum titulus libris datus quomodo elegantius exprimi poterit 63.
Murmur quid 78.

N

Navia Ficus vide Ruminalis.
Naxii Bacchum Milichium colebant 44.
Nodotus Deus 10.
Nomen quid ſit, & nullum nomen apud Vellejum 147.
Nominatim opponitur inter cæteros 61.
Numiſma Vetus de Lavinio expenditur 121. aliud gentis Sulpiciæ 122. 123., aliud cum Ficu Ruminali 90., & aliud cum ilice ibid.

O

Ολοοσσονα λευκην cur dixerit Homerus 111.
Ωμηστης Saturnus cur 32.

P

Palatium dictum Rumon 83.
Palatium quid 84.
Patrica vide Lavinium.
Περιφαντος Jupiter 51.

Per-

Perpetuus bos quid ſit 139. 140.
Picus Martius in numiſmate 91.
Piloſus quid in ſacris libris 19.
Pomptina palus an eadem ac Satyria 36.
Populus arbor Herculi dicata 44.
Ποτνια vox cui tribuenda 45.

Q

Quinquennalis bos cur Jovi immolabatur 139. 145.

R

Remma mons 88.
Repandiroſtrum pecus 43.
רמה quid ſit, & cui urbi nomen dederit 89.
Roma unde dicta 84.
Romulus & Remus in veteri numiſmate 92.
Ruminalis ficus: de ea agitur 68. & uſque ad 92. quo in loco fuerit 62. an eadem ac Navia 71. 72. 73. 74. 75. fuit in Palatio 76. dicta ex Rumone Tiberi 76. ejus σχημα 90.
Rumis quid 82.
Rumon Tiberis dictus 76. uſque ad 89.
Rumor non eſt ſtrepitus 77. 78.
Rumore ſecundo quid apud Maronem 76. uſque ad 81.

S

Sacena quid fuerit 141.
Sacrificulus quid ſit 138. 139.
Sarra Tyrus dicta cur 55. inde Sarranæ Tibiæ ibid.
Satur unde, & quid proprie 56.
Satura lanx, offa, placenta 59.
Satura lex quid 60. 61. Lex Satura, & per Saturam quid ibid. per ſaturam liber 63.
Saturæ meſſes, & Saturum rus quod 52.
Saturi Tarenti quid in Marone 33. 56.
Saturitas eſt lanarum abundantia 52.
Saturnus unde dictus 32. Mazochianum ſyſtema de Saturno confutatur 33. uſque ad 39.
Satyram an Græci habuerint 57. unde dicta, & an eadem Satura ſcribi poſſit ibid. & ſeq.
Satyria palus ubi, & an eadem ac Pomptina 36.
Satyrion ejuſdem originis ac Saturnus Mazochio viſum 33. ſed confut. 34. & ſeq.
Satyrorum mentio an ulla in Sacris litteris 19., & ſeq. Satyri nulli Homeri ævo 48. Satyri pandi, & ſimi 43. Satyrus an etiam avis 19. Satyri nomen unde 30. Satyrus Herculano inventus 31. Satyrus D. Antonio viſus 64.
Scæna quid fuerit 141.
שער quid ſit in Geneſi 16. quid in Levitico ibid., & p. 19. uſque ad 26. quid in Iſaia ibid. quomodo verterint Septuaginta 19. eſt hircus 16. etiam avis 19. eſt tunica 54.
Sculptorum nomina inſcribi ſolita veteribus monumentis 49. ſæpe in ων exeuntia ibid.
Scutum Herculis falſo Heſiodo tributum 49.
Segetia quid 10.
Seir mons 56.
Seſcena quid fuerit 141.
Seſcennaris quid ſit apud Livium 140. 141. 142. 143.

Sileni aſellus cur pandus, & turpis dictus 41. 42. 43.
Silenus ſemper Baccho junctus 46. & ſeq. Silenobacchi caput Neapoli repertum 46.
Σιληνος εν νεεισι quid 53.
Simus, & pandus idem 43.
Sirenes quid in ſacris literis 22. quid in Lycophrone 23.
Σισυρος, σισυς, σισυρα και σισυρνα, quid 11. 12. 13. & ſeq.
סתר quid ſit, & an inde Saturni nomen 32. & Satyri 31.
סתרנה Dominus lamentationis dictus Saturnus 32.
Striatæ columnæ an vetuſtæ 49.
Sulpicia gens unde dicta 123.
Supra mare an ſit longe a mari 117. 118. 119.
Sus alba ab Aenea inventa Lycophroni dicta κελαινη nigra 108.
Sus in veteri numiſmate 90. item 123. fœderis ſignum ibid. an gentis Sulpitiæ fuerit inſigne 123. 124.
Συρα quid 54.

T

תבר quid ſit, & quid inde deducatur 85.
Tiberis unde dictus 85. per Lupercal fluebat 76. vide Rumon, & Alba.
Tyrus unde 55.
Tityrus an απο του πιειν τυρον 8. a σισυρος 11. avis Tityrus 19. verum etymon ex Hebreo 16. & ſequent. variæ hujus vocis notiones 27. τιτυρος κυριος quid ibid. an etiam otioſum notet 29. Tityri in veteri monumento 39. & ſeq. Tityri pandi, & ſimi 43. Bacchi ſemper comites 46. & ſeq. Tityrus mons 56.
Τριχευσι quid in Aquila 19.
Trigemina porta ubi 127.
Τροφων ſculptoris nomen in veteri epigraphe 47. 52. 52.
Τροφος Baccho dictus in veteri epigraphe 47. 48. quomodo exprimitur in veteri monumento, & in κοτυλω Cajetano 53.
Troja an dicta prima urbs in Italia ædificata 101. 102. 103.
Tutilina dea 10.
Τυρευειν quid Demoſtheni 10.
Τυρος prima ſyllaba producitur ut τυρω, & συντυρω 10.
צר quid ſit, & quomodo inde Sarræ, & Tyri nomen 55.

V

Vanus quid in ſacris libris 19.
Viſceratio quid ſit 139.
Vitis ad antrum Sileni 43. Soror ficus dicta 44. ex vite Bacchi ſimulacrum 44.
Volutina Dea 50.
Urbs primum condita in Italia ab Aena quænam 97. 98. uſq. ad 104. quo in loco 117. 118.

Y

Υπερ θαλαττης an ſit longe a mari 117. 118. 119.

Adm. Rev. D. Franciſcus Pertuſius S.Th. Profeſſor revideat, & in ſcriptis referat. Datum Neap. die 14. Decembris 1758.

I. SANSEVERINUS EP. PHILADEL. VIC.GEN.

JOSEPH SPARANUS CAN. DEP.

EMINENTISSIME PRINCEPS.

Ex tot virorum doctorum lucubrationibus, quæ in diem magno in numero excuduntur, nullum politius, elegantius, doctius, majorique admiratione dignum adhuc opus in lucem prodiit, quam hic mole quidem exiguus, rerum autem reconditarum varietate ſpiſſiſſimus *Xaverii Matthæi Variarum Exercitationum per Saturam Liber*. Nam, ut cetera mittam, quæ alii libentius admirentur, eo acumine, critice, eruditione tot implicatiſſimos Sacrarum litterarum nodos in binis hiſce Exercitationibus explicuit, ut nemo vel ex iis, qui in his toti ſtudiis integros vitæ annos exegerint, meliora in medium proferre umquam poſſit. Hæc quidem in omnibus admiranda: ſed multo magis in adoleſcentulo, qui tertium ætatis luſtrum vix adhuc exceſſerit. Certe poſt hominum memoriam primus eo ætatis opus tanta Latinarum, Græcarum, Hebræarum litterarum eruditione, tantoque judicio conſcripſit, ut ſenes etiam merito aſſurgant: nec alius poſtea adoleſcens aliquid fortaſſe hujuſmodi præſtare poterit: ita ut de eo, quod olim de Homero, jure dici queat, nec habuiſse ante ſe quem imitaretur, nec poſt ſe habiturum

rum, qui eum imitari valeat. Ceterum cum omnia ad Catholicam veritatem exacta ſint, dignum cenſeo, qui ad communem utilitatem in lucem prodeat, ſi Em. Tuæ auctoritas acceſſerit. Neap. Kalendis Juniis.

Em. Tuæ.

Obſequentiſſimus
Franciſcus Maria Pertuſius.

Attenta Relatione Domini Reviſoris imprimatur. Datum Neapoli hac die 16. menſis Julii 1759.

I. SANSEVERINUS EP. PHILADEL. VIC. GEN.

JOSEPH SPARANUS CAN. DEP.

Adm. R. P. Fr. Albertus Sacco Ord. Præd. in hac ſtudiorum Univerſitate Profeſſor revideat, & in ſcriptis referat datum Neap. die 23. menſis Aprilis 1759.

NICOLAUS DE ROSA EPISC. PUT. CAP. MAJ.

ILLUSTRISSIME, ET REVERENDISS. DOMINE.

CRiticen artem, quam omnes quidem, ut omnium nobiliſſimam merito ſuſpicere debemus, nonniſi ab iis, qui in veterum, & recentiorum libris evolvendis ſenuiſſent, adhuc tractari didiceramus. Nunc autem, quod quiſque vel invitus obſtupeſcat, vix tertium emenſus luſtrum Adoleſcens in binis hiſce exercitationibus tot tantaque ex penitiſſimis adytis veterum

rum Latinorum, Græcorum, atque Orientalium promit, eoque acumine, judicio, critice hæc tractat, ut vel doctiſſimis Senibus parvum hoc mole opuſculum invidiæ eſſe poſſit. Dignum igitur cenſeo, quod in publicam utilitatem typis mandetur, præſertim, cum nihil in eo ſit, quod jura Majeſtatis offendat: imo orandus Adoleſcens eruditiſſimus, ut cæteras, quaſi ſecum habet, & pollicetur id genus, exercitationes in publicam lucem, omnibus bonis avide expectantibus, quam citiſſime emittat.

P. Frater Albertus Sacco Publicus Profeſſor.

Die 11. menſis Julii 1759. Neapoli.

VIſo Reſcripto ſuæ Regalis Majeſtatis ſub die 5. *currentis menſis, & anni, ac relatione Rev. P. Franciſci Alberti Sacco de commiſſione Rev. Regii Cappellani Majoris, ordine præfatæ Regalis Majeſtatis*

Regalis Camera Sanctæ Claræ providet, decernit, atque mandat, quod imprimatur cum inſerta forma præſentis ſupplicis libelli, ac approbationis dicti Reverendi Reviſoris; Verum in publicatione ſervetur Regia Pragmatica. Hoc ſuum.

CASTAGNOLA. GAETA. ROMANUS.

Ill. Marchio Danza Præſes S.R.C. tempore ſubſcriptionis impeditus, & Ill. Marchio Fraggianni non interf.

Reg. fol. 84.
Carulli. Athanaſius.